3

6

13

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
8
9 B
46

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

3 3
f 9
3 27

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

# OCCUPATIO ANIMÆ JESU CHRISTO CRVCIFIXO DEVOTÆ.

*Complectens*

VARIA EXERCITIA SPIRITUALIA, ad recolendam, venerandam, imitandámq; Domini noſtri Paſſionem accommodata.

Collegii Romani Cat. inscript.
Bibliothecae Jesuit. ex dono Authoris

*AUTORE*

R. P. FRANCISCO LE ROY INSULANO, è SOCIET: JESU, Doctore Theologo.

---


PRAGÆ,
Typis Vniverſitatis, in Collegio Societatis JESU ad S. Clementem, per Georgium Czernoch.
ANNO M. DC. LXVI.

Digitized by Google

Inſtar apis ſedulæ huc ſtudioſè advolemus, de vulnere in vulnus tranſeuntes; nec aliunde nobis pabula carpamus, cùm hæc mella ſcateant.

*Lud: Bloſius ex J. Thaulero.*

Digitized by Google




Occupatio Animæ IESV Christo Crucifixo deuotæ. Aut. P. Francisco Le Roy è Soc. IESV.

C. Screta delin. Philip Kilian sculp.

Digitized by Google

# IESV CHRISTO
## NAZARENO
## CRVCIFIXO,

DEI & MARIÆ Filio Vnigenito;
Regi ſæculorum,
Principi amantium, Duci errantium,
Domino univerſorum.
IN FORMA DEI
Verbo viventi, Sapientiæ ſubſiſtenti,
Imagini DEI conſubſtantiali,
Splendori gloriæ, & figuræ ſubſtantiæ ejus,
portanti omnia verbo virtutis ſuæ:
eidémque
in forma ſervi
deſpecto & noviſſimo virorum,
Viro dolorum & ſcienti infirmitatem,
vermi & non homini,
pro me vulnerato, percuſſo à DEO & humiliato,
ac demum in crucis patibulo,



Digitized by Google

per ſummam dolorum & opprobriorum acerbitatẽ,
Amoris manu, divinæ Iuſtitiæ immolato:

DEO Spei meæ,

Domino, Parenti, Patrono, Duci, Servatori,
Aſſertori optimo:
ut miſellam hanc animam intra vulnera ſua,
& dulciſsimum cor, receptam, hujúsq; vitæ periculis
ereptam,
æternùm perire, ac fructus paſsionis ſuæ exortem
eſſe ne patiatur;
Filius doloris,
&, indignus licet, magno tamen pretio emptus,
ſervulus,
me meáq; omnia æternùm dico conſecróq;,

F. L. R.

FA.

Digitized by Google

# FACULTAS
## A. R. P. GENERALIS.

JOANNES PAULUS OLIVA SOCIET: JESU PRÆPOSITUS GENERALIS.

CUm Opuſculum inſcriptũ: Occupatio Animæ JESU Chriſto Crucifixo devotæ, *P. Franciſci le Roy noſtræ Societatis Sacerdotis, aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint; poteſtatem facimus, ut typis mandetur, ſi ijs, ad quos pertinet, ita videbitur; cujus rei gratiâ has literas manu noſtrâ ſubſcriptas, ſigilloq; noſtro munitas, damus. Romæ 10. Septemb: 1664.*

Ioann: Paulus Oliva.

---

*Imprimatur, ſi videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro S. P. A.*

O. Archiep: Patrac: Vicesg:

---

*Imprimatur.*

Fr. Hyacinthus Libellus, S. P. A. Magiſter.

---

*Imprimatur. Ex Cancellaria Archiepiſcopali Pragenſi,*

Henricus Meckenburger, Eminentiſſ: Principis Archiep: Pragenſis Cancellarius.

# FACULTAS
## R. P. PROVINCIALIS BOHEMIÆ

*CUm ex Mandato S. Cæſ: Majeſtatis, omnibus & ſingulis Typographis, Bibliopolis, ac alijs quamcunq; librariam negotiationem exercentibus, ſeriò firmiterq; inhibeatur, ne quiſquam libros ullos à Societatis noſtræ Patribus hactenus editos, aut impoſterum edendos, intra Sacri Imperij, Regnorum & Dominiorum S. Cæſ: Majeſtatis hæreditariorum fines, ſimili alióve charactere, aut formâ, ſive in toto, ſive in parte recudere, vel aliò recudendos mittere, aut alibi etiam impreſſos adducere, vendere & diſtrahere clàm ſeu palàm, citra ſuprà dictorum Patrum conſenſum ac teſtimonium audeat, vel præſumat: Ego Ioannes Saxius Societatis IESV per Bohemiam Præpoſitus Provincialis, concedo Typographo Academico Pragenſi Georgio Czernoch, Facultatem excudendi Librum P. Franciſci Le Roy ejuſdem Societatis, qui inſcribitur:* Occupatio animæ JESU Chriſto Crucifixo devotæ, &c. *In quorum fidem hoc ei teſtimonium manu noſtrâ ſubſcriptum, & ſigillo munitum dare voluimus. Pragæ, die 9. Ianuarij, 1665.*

L. S.

Ioannes Saxius.

Digitized by Google

# DE OCCASIONE, FINE, METHODO HUIUS OPERIS, AUTORIS AD LECTOREM PRÆFATIO.

ANni pluſculi ſunt, *Lector in Chriſto crucifixo dilecte*, cùm lucem aſpexit R. P. Franciſci de la Croix, viri è noſtra Societate, multorum munerum præclarè geſtorum laude inſignis, *Hortulus Marianus*, violis, roſis, lilijs, aliiſque, de cœli areolis, tranſumptis floribus conſitus; hoc eſt, multiplici erga DEI Matrem ſanctorum affectuum varietate, atque omnigenâ piarum artium eandem colendi ac demerendi amœnitate, floridus. Qui ſtatim atque eſt editus, cùm piorum cœpiſſet teri manibus, móxque in varias converſus linguas, non minori paſſim utilitate, quàm aviditate legeretur; animum ſubijt ea cogitatio: quando tria eſſe viderentur, ſive Chriſtianæ pietatis incitamenta, ſive certiùs conſequendæ ſalutis adminicula præcipua, *JESUS crucifixus*, *Sanctiſſimum Sacramentum*, *MARIA Virgo*: fortaſſis è re Chriſtiana futurum, ſi duo inſuper ſimili formâ conficerentur atque inſtruerentur Hortuli, *Paſſionis* alter, alter *Eucharisticus*; non mediocrem & ipſi (ut ſpes erat) apud ejuſmodi ſanctarum artium ſtudioſos, utilitatem habituri. Jámque prioris illius, Hortuli Paſſionis videlicet, deſcribendi partes adornandíque mihi ſumpſeram, eundémque plantis ſalutaribus, tametſi in parte amaris, conſerendi; nardo, croco, myrrha, aloë, balſamo, è ſacro Cantico iſtuc tranſlatis. *Scribendi occaſio.*

Veruntamen alijs graviorum partim ſtudiorum, partim curarum occupationibus, intermiſſa quidem eſt annis pluribus, at ex toto nunquam omiſſa ea cogitatio: cùm interdum, ſiquid inter legendum commentandúmve incideret, quod eam in rem poſſet facere, ſtudioſè annotarem; aliàs

autem, per ſucciſiva, aut quaſi ſpiramenta temporum, nunc hoc, nunc illud exercitium, nullo ferè ordine materiæ, ſed prout occaſio animúſve ferret, conſcriberem. Ita ipsâ die, tanquam ſub manu creſcente materiâ, aut (quod Vates ait Venuſinus.) *currente rotâ*, exijt denique, non ille animo deſtinatus & præconceptus Hortulus, ſed grandiuſcula hæc circa JESUM crucifixum Occupatio.

*Horat: de arte Poët:*

*Scriptionis finis & forma.*

In qua adornanda id fuit præſertim propoſitū, ut Lectorem meum ante omnia ad Chriſti patientis gratam memoriam, venerationem, amorem incitarem; tum verò ad ejus diligentem imitationem (in qua Chriſtianæ veræque virtutis perfectio omnis conſtituta eſt) ſenſim ac pedetentim adducerem.

Ea propter inprimis id ſecutus ſum, ut pleramque operis à me ſuſcepti materiam, non ſoluto ac libero diſcurſu, ſeu diffuſiore methodo, traderem, neque accurato quodam ordine, aut artificiosâ diſpoſitione deducerem (quorum utrumque fieri potuit, minori fortaſſis operá, majore ſplendore ac dignitate ſcriptionis) ſed in formam potiùs exercitiorum, præceptorúmve aſceticorum cogerem, ac facilioribus primùm poſitis, deinde ad majora progrederer: quò nimirum magis, ſtudioſarum mentium, & in via ſpiritûs proficere cupientium, commodis utilitatibúſque ſervirem; illorum Scriptorum imitatus induſtriam; qui (ut Plinius ait) utilitatem *juvandi*, *prætulerunt gratiæ placendi*.

*Præfat. ad hiſt. nat.*

Eâdem ex causâ, tum precationes quaſdam interdum, rhythmóſve ſacros intermiſceo; tum revelationibus doctrináve ſanctarum fæminarum, Gertrudis, Mechtildis, Catharinæ Senenſis, ac Genuenſis, Angelæ, Tereſiæ, aliarúmq; plurium, ſparſim nec illibenter utor: quòd earum dicta atque exempla, apud eos quibus præcipuè ſtudet hic noſter labor, aliquam exiſtimem ſpiritualem utilitatem allatura. Quâ ſanè in parte duces habeo viros præclaros; nominatímque

Digitized by Google

timque Ludovicum Bloſium, Lætienſem in Belgio Abbatem, Autorem in iſto ſcribendi genere laudatiſſimum, alióſque Scriptores aſceticos, etiam nobis liberaliùs, ejuſmodi ſanctarum ſententijs ſcripta ſua paſſim reſpergentes. Fatebatúrque P. Petrus Faber, vir rerum ſpiritûs experientiſſimus, & S. IGNATII in Societate conſtituenda filius primogenitus, multam ſe ex libris S. Gertrudis orandi ſilvam ſuo commodo comparâſſe: noſterq; item B. Aloyſius Gonzaga, lectionē vitæ B. Catharinæ Genuenſis (in qua ſublimia continētur vitæ ſpiritualis axiomata) magno habebat in pretio; ut Nicolaus Lancicius teſtatur. Idem fuit viri magni ſenſus Roberti Cardinalis Bellarmini, de quo ita P. à Petra ſancta in ejus Vita: *Oblectabatur etiam vitâ S. Catharinæ Senenſis, & B. Catharinæ Genuenſis, propter ſenſa animi ſublimia, quæ communicaverat illis DEUS.* Ubertinus porrò de Caſali, in Prologo primo Arboris Vitæ crucifixæ JESU, gratulatur ſibi plurimùm, quòd in notitiam ſanctiſſimæ (ut ait) & verè angelicæ, Angelæ de Fulginio, adhuc viventis adductus ſit; ex cujus uſu & conſuetudine, ſe ita agnoſcit illuſtratum fuiſſe divinitus, ut abſterſis priſtinis animæ ſuæ languoribus, Chriſti ſpiritum in ſe de novo genitum ſenſerit: ibidémque quandam memorat devotiſſimam virginem Cæciliam Florentinam, per quam itidem ait in arcana JESU ſe introductum eſſe.

*L. 2. Vit. c. 4.*

*De arid. in orat. c. 6.*

*L. 2. c. 8.*

Atque utinam illius ſpiritûs qui de prædictarum Chriſti ſponſarum ſcriptis aſpirat, altorúmque ſenſuum, quibus ipſas imbuit arcana divinorum experientia, in mentes noſtras pars aliqua derivaretur! fortaſſe non modò (quod ajunt) teneræ cujuſdam devotionis, ſed robuſtæ quoque ſolidæque virtutis plus haberemus. At quando non omnes ejuſdem ſunt ſenſus, & quaſi genij ſpiritualis; poterit, cui minùs hæc arriſerint, ea cùm occurrent, oculo negligente tranſmittere, eíque quod fortè ad palatum magis faciet, immorari ſtudioſiùs, ex apum more videlicet, quæ pratum

 flori-

Digitized by Google

floridum circumvolantes, omnes quidem flores delibant, ſed alios levi tanquam oſculo tentatos omittunt, cupidiùs alijs inſiſtentes, quos operi ſuo magis ſenſerint opportunos. Ego interim pro meo inſtituto, quæ pluribus placere ac prodeſſe poſſe, exiſtimarem, mihi faſtidiosè aſpernanda, aut (cùm res ipſa poſtulare viſa eſt) penitus omittenda non cenſui.

*Styli ratio*

Poſtremò eundem in finem ſtyli rationem aut loquendi formam attemperavi. Nam etſi in eo nonnihil operæ poſuerim, ut nè ſordidus planè aut etiam abjectus ſermo eſſet, quòd nonnullos intelligam à piorum librorum lectione, ipſâ barbarie, aut nimiâ ſtyli ſimplicitate abſterreri: non tamen adeò eâ in causâ religioſus extiti, ut vocibus varijs, quas vel erudita SS. Patrum autoritas, vel ſcriptorum etiam aſceticorum uſus recepit communiſsimus, propterea mihi abſtinendum ſcrupuloſiùs cenſerem, quòd eas latini autores, vel non omnino, vel non eum in ſenſum uſurpaverint. Habet enim, quemadmodum diſciplinæ reliquæ, immò (ut Tullius obſervat) ars omnis, ita aſcetica quoque doctrina, propria ſibi vocabula; quæ cùm neceſſe ſit identidem in ejuſdem operis tractatione recurrere; ſi voce aliquâ peregrinâ, ſeu eâ in arte minùs familiari, vel operoſo longéque ducto verborum circuitu, eorum vim exprimere volueris; aut obſcurum te feceris, aut prudentioribus etiam ridendum præbueris. Nam cùm verba conſtet, ſententiæ gratiâ, non autem è contrà, ſententiam verborum causâ eſſe; ídq; tum maximè ſpectandum ſit, cùm non loquendi ars traditur, ſed bene vivendi operandíque diſciplina: ſtultum erit probroſúmque ſcriptori, dum verborum formas curioſiùs exquirit, ſententiam perdere; & ſupervacui ridendíque laboris, eò per circuitus atque anfractus eniti, quò facilè liceat, viâ ſimplici rectóque itinere pervenire.

*l. 3. de finib.*

Exaudiam igitur S. Ambroſium ita quodam loco præcipientem: *Si ipſi Philoſophi eorum qui totos dies in diſputatione*

*l. 1. in Luc. cap. 1.*

*ne conſumunt, minùs latinis & receptis uſi ſermonibus ſunt, ut proprijs uterentur: quantò magis nos negligere verba debemus, ſpectare myſteria?* Placètque itidem quod hîc ſubmonet Lætienſis Abbas: *Pietati* (inquiens) *admodum amica eſt ſimplicitas; fitque neſcio quo pacto, ut verba curioſiùs exculta cor plerumque non tam penetrent, quàm demulceant.* Ita ille ſcriptor religioſiſsimus & ſapientiſsimus; cujus nos in toto opere, non modò ſenſa ſæpe ſectabimur, ſed etiam verba ſubinde pluſcula ponemus. *Præf: can. Sit: ſpir.*

His ſalve, mi Lector, & iſthoc quidquid eſt opellæ meæ, tuo commodo utere; & me (ſiquid de te hoc meo labore bene merui) in Chriſti vulneribus ac viſceribus commendatum habe.

# PARTIUM, CAPITUM, PARAGRAPHORUM HUIUS OPERIS

# ELENCHUS.

## PARS PRIMA.

*In qua præmittuntur incitamenta quædam, ad ſeriam atque conſtantem, circa JESUM crucifixum, exercitationem.*

### CAPUT I.


IIs etiam qui in virtutis ſtudio non parum profecerint, eam occupationem utilem atque neceſſariam eſſe.

§. 1. Quorundam in hac materia minùs probanda perſuaſio.

§. 2. Aſpirandum non eſſe ad contemplationis quietem, niſi per aſſiduam Chriſti patientis meditationem atque imitationem.

§. 3. Non ſolis incipientibus aut imperfectis eam occupationem commendatam eſſe debere.


### CAPUT II.


Paſſionem Chriſti piè recogitatam, ad divini amoris perfectionem ſuum contemplatorem adducere.

§. 1. Paſſionem Chriſti piæ meditationi ſubjectam, cujuſvis ſanctæ affectionis materiam præbere.

§. 2. Hanc ipſam circa Chriſtum paſſum exercitationem, ad inflammandum cor amore Dei, vim præcipuam habere.

§. 3. Amorem Dei ſolidum ac fortem ex Chriſti patientis exemplis petendum & deſumendum eſſe.


### CAPUT III.


Rem eſſe periculi pleniſſimam, præproperè omiſſo Chriſtum crucifixum imitandi ſtudio, ſublimiores & inſolitas divinæ contemplationis vias affectare.

§. 1. Eos qui præfeſtinè altiora illa affectant, ad id plerumque occultâ ſuperbiâ duci.

§. 2. In eo negotio non rarò amorem proprium, & privatam ſui exquiſitionem, latere.


§. 3.

Digitized by Google

§. 3. Eoſdem plerumque imperfectos, & veris virtutibus vacuos remanere.

## CAPUT IV.

Etiã ijs qui perfecti ſint, Paſſionis Chriſti memoriam, aut devotam circa crucifixum occupationem, non eſſe omittendam.

§. 1. Non omnes perfectos ad unionem myſticam vocari; & quos Deus vocat, non continuò ad ſummam ſui contemplationem aut fruitionem admittere.

§. 2. Actum intimæ contemplationis, nec perpetuum, nec diuturnum eſſe poſſe.

## CAPUT V.

Quæ hactenus à nobis demõſtrata ſunt, expreſſiori autoritate confirmantur.

§. 1. Quorundam ſanctorum virorum eam in rem documenta & exempla.

§. 2. Ex altero ſexu petita eorundem confirmatio.

## CAPUT VI.

Nonnulla ex dictis deducta, ad majorem rei à nobis propoſitæ explanationem.

§. 1. Duo quædam ultro conceſſa, neq; aſſertioni à nobis poſitæ repugnantia.

§. 2. Quî intelligendum ſit quod hic à varijs dicitur: unicuique ad divinam contemplationem, & myſticam unionem eſſe aſpirandum.

## CAPUT VII.

Frequentem Paſſionis Chriſti memoriam æterno Patri acceptiſſimam eſſe.

§. 1. Perennẽ gratámq; Paſſionis Chriſti recordationem, ad immortalem Patris gloriam pertinere.

§. 2. Eandem ipſi Dei filio, noſtrâ causâ depreſſo atque exinanito, perquam eſſe glorioſam.

## CAPUT VIII.

Chriſtum ipſum, perennem paſſionis ſuæ memoriam, meritiſſimò à nobis exigere.

§. 1. Quâ ratione Chriſtus à ſibi ſingulariter dilectis eam recordationem poſtulaverit.

§. 2. Quàm multa & mira ad eam in nobis conſervandam operari dignatus ſit.

§. 3. Quàm juſtum ſit, noſtrum quemlibet, ei Domini noſtri deſiderio ſtudioſiùs reſpondere.

## CAPUT IX.

Idem exercitium B. Virgini Dei Matri ſummopere placere.

## CAPUT X.

Chriſtum Dominum in omni vita, futuram paſſionem ſuam præ oculis habuiſſe.

## CAPUT XI.

Eandem ſeu cogitationem ſeu memoriã B. Virgini familiariſſimam, ac ferè perpetuam fuiſſe.

§. 1. Virginem ſanctiſſimam, futuram filij ſui paſſionem continuè præmeditatam eſſe.

§. 2. Eandem Virginem filij ſui mortem acerbam, quam coràm ipſa ſpectaverat, aſſiduè recogitâſſe.

§. 3. Ejuſdem, in viſendis locis paſſione filij conſecratis, animi ſtudium ac devotio.

## CAPUT XII.

Hanc fore perennem jucundámq; Sanctorum in cœlo occupationem.

§. 1.

Digitized by Google

§. 1. Circa Chriſtum ejúſque vulnera, Sanctorum in cœlo ſenſus prædulces.
§. 2. Domini crucem in cœli faſtigio, poſt judicium, collocandam videri.
§. 3. Sanctorum ad Domini crucem ſolennis ac feſta occupatio.

### CAPUT XIII.

Jugem ac devotam patientis Chriſti memoriam, eſſe magnum ſignum divinæ prædeſtinationis.
§. 1. Ejus aſſertionis ratio ac ſenſus exponitur.
§. 2 Quanto ea res ſit ſolatio, Crucifixum amanti.

### CAPUT XIV.

Ex paſſionis Chriſti pia gratáque memoria fructus innumerabiles percipi.
§. 1. Duo quædam bonorum ſpiritualium genera, ex ea exercitatione univerſè provenientia.
§. 2. Speciales quædam prærogativæ amatori Crucifixi propoſitæ.

### CAPUT XV.

Animi eſſe ingratiſſimi, paſſionis Chriſti nunquam aut rarò meminiſſe.
§. 1. Supremi ejus beneficij gratiam meritiſſimò à nobis repoſci.
§. 2. Quorundam Chriſtianorum ea in parte ſocordiam ipſi Salvatori magnopere diſplicere.

### CAPUT XVI.

Profundam paſſionis Chriſti oblivionem, in ſalutis negotio rem periculi plenam eſſe.

### CAPUT XVII.

Aſpiratio & votum animæ Jesu Chriſto crucifixo devotæ.

## PARS SECVNDA.

*Exercitia artéſve nonnullæ, ad memoriam ac reverentiam paſſionis Chriſti ſpectantes, & in actibus exterioribus præſertim conſiſtentes.*

### CAPUT I.

Aſſiduum uſum ſigni crucis, ad paſſionis Chriſti memoriam ac reverentiã multùm conferre.
§. 1. Signi crucis uſum primis Chriſtianis, multò quàm nobis, familiariorem fuiſſe.
§. 2. Eodẽ ſigno ſenſus omnes noſtros, ipſúmque cor, crebrò muniendum eſſe.

### CAPUT II.

In memoriam atque honorem paſſionis Chriſti, preces aliquas extentis brachijs, ipſóque corpore in crucis formam compoſito, pronuntiare.
§. 1. Eum, inter precandum, corporis habitum, veteris Eccleſiæ moribus receptum fuiſſe.
§. 2. Eundem uſum in mores noſtros meritò revocari poſſe.

### CAPUT III.

Crucis aut Crucifixi ſignum, è metallo aliáve materia, ad cor appenſum geſtare.
§. 1. Ejus rei antiquum exemplum, & nova ſpecies proponitur.
§. 2. Crucifixum amantium auſus quidam inſoliti, neque imitationi noſtræ facilè ſubijciendi.

CA-

Digitized by Google

## CAPVT IV.

Apud ſe in cubiculo, Chriſti crucifixi effigiem aliquam habere.

§. 1. Eam non immeritò Chriſtiano cuilibet commendatam eſſe debere.

§. 2. Chriſtum crucifixum, ſtudiorum, laborum, actionúmque familiarium, teſtē & adjutorem adhibendum eſſe.

§. 3. Ad eundem in tentàtionibus aliiſq; moleſtijs eſſe recurrendum.

§. 4. Coram eodem precandum; & alia quælibet tanquam cum amico fideliſſimo, conferenda.

## CAPUT V.

Sumptâ in manus Chriſti crucifixi effigie, ſe ſe ſubinde ad bonam mortem exercere.

§. 1. Ejus exercitij, tum neceſſitas, tum utilitas oſtenditur.

§. 2. Exercitationis propoſitæ ſpecies atque adumbratio quædam.

§. 3. Illuſtri exemplo aſſeritur eadem exercitatio.

## CAPUT VI.

Miſſæ ſacrificio quotidie frequentando, paſſionis ac mortis Domini memoriam renovare.

§. 1. Miſſæ ſacrificium expreſſam quandam paſſionis Chriſti repræſentationem eſſe.

§. 2. Quæ eum in finem ſpecialiter videantur obſervanda.

§. 3. Eandem præceptionem peculiariùs ad ſacerdotem Sacrum facientem pertinere.

## CAPUT VII.

Eandem paſſionis Chriſti memoriam, etiā ad ipſam Euchariſtiæ ſuſceptionem, eſſe adhibendam.

§. 1. Ipſum per ſe divinum Sacramentum, etiam quandā Chriſti patientis imaginem præferre.

§. 2. Patientis Chriſti recordatio, in ſacræ Euchariſtiæ ſumptione, qua ratione uſurpanda.

§. 3. Quæ hoc capite dicta ſunt, inſigni documento confirmantur.

## CAPUT VIII.

Chriſtum patientem in membris ſuis agnoſcere.

§. 1. Egenos, afflictos, ulceroſos, ut proprias Chriſti paſſionis imagines, aſpiciendos eſſe.

§. 2. Multiplex iſtius perſuaſionis utilitas.

§. 3. Studium iſtud ad Chriſti ſponſas propria quadam ratione ſpectare.

## CAPUT IX.

Ex rerum creatarum aſpectu in paſſionis Chriſti memoriam venire.

§. 1. In natura rerum complura paſſionis Dominicæ veſtigia reperiri.

§. 2. Amantem animam omnibus propemodum in rebus dilecti paſſionem agnoſcere.

§. 3. Ad eundem finem quædam latè patens, ſed magis arcana, conſideratio.

§. 4. Plures ejus artis, ſeu exercitationis utilitates.

## CAPUT X.

Ægritudinibus noſtris ac doloribus, velut ſecreto atque intimo paſsionis Chriſti admonitore, uti.

§. 1. Morbos atque dolores noſtros, efficaces eſſe Chriſti dolorum admonitores.

§. 2. Familiaris uſus cōſiderationis propoſitæ.

## CAPUT XI.

Memoriam ac cultum paſſionis Chriſti certis officijs aut precibus celebrandum eſſe.

§. 1. Officium de cruce aut paſſione Domini,

mini, ſtatis temporibus religioſè recitare.

§. 2. In honorem Dominicæ paſſionis, coronam (quam vocant) Domini noſtri percurrere.

CAPUT XII.

Juverit etiam, eandem paſſionis Chriſti memoriã quotidiana commentatione, aut pio ſermone confovere.

§. 1. Quotidie partem aliquam temporis recogitandæ Dominicæ paſſioni aſſignare.

§. 2. Ad horas ſingulas, alicuius myſterij paſſionis Chriſti meminiſſe.

§. 3. De paſſione Domini libenter ſermonem facere.

CAPUT XIII.

Nonnulla alia, quibus pium animi noſtri ſtudium in Chriſtum patientem conteſtemur.

§. 1. Alicui Chriſti crucifixi, aut Matris dolentis, ſodalitio adſcribi.

§. 2. Crucis effigiem, & nominis Jeſu figuram, ubi occurrerit, aliqua pietatis ſignificatione venerari.

§. 3. Pro amore Chriſti crucifixi, aut paſſionis ejus reverentiâ, quicquam petenti, non facilè denegare.

CAPUT XIV.

Diem ſextam cujuſque hebdomadæ, uti Chriſti paſſioni dicatam, cultu proprio celebrare oportere.

§. 1. Rationes, ſeu artes, nonnullæ, ad eam diem peculiariter celebrandam, accommõdatæ.

§. 2. Artes aliquæ rariores, eôdem pertinentes.

CAPUT XV.

Sacras (quas appellant) Chriſti patientis Stationes, ſuis temporibus religioſè obire.

§. 1. Ejus religionis ratio ac finis proponitur.

§. 2. Quæ præſertim forma in illis obeundis ſervari poſſit.

§. 3. Quandam ejuſmodi ſacrarum Stationum ſpeciem poſſe ab unoquoque privatim ſibi conſtitui.

CAPUT XVI.

Quid in actibus vitæ quotidianis, aut nonnullis oblatis occaſionibus, amatori crucifixi faciendum.

§. 1. Silvula variarum præceptionum ad uſus vitæ quotidianos attinentium.

§. 2. Familiares aliæ, pro varijs rerum eventibus, exercitationes.

§. 3. Affines jam dictis, B. P. Franciſci Borgiæ ad uſus eoſdem commentationes.

## PARS TERTIA.

*Interior animæ circa Chriſtum crucifixum occupatio, per actus potiſſimùm virtutum theologicarum.*

CAPUT I.

Magnum eſſe operæ pretium, erga Chriſtum in cruce pendentem crebris fidei actibus exerceri.

§. 1. Exercitationis propoſitæ uſus & fructus exponitur.

§. 2. Ejuſdem exercitij quædam quaſi formula traditur.

CAPUT II.

Varij ſanctæ fiduciæ fontes, ex paſſione

ac

ac morte JESU Chriſti.

§. 1. Æterni Patris unigenitum ſuum tradentis ſumma adverſum nos charitas.

§. 2. Filij DEI, ſeipſum totum in cruce profundentis, incredibilis noſtri dilectio.

§. 3. Nonnulla ſanctæ ſpei ſemina, ex donata nobis à DEO bona voluntate.

§. 4. Dictorum hoc capite concluſio.

## CAPUT III.

Ipſum Chriſti crucifixi aſpectum, varia fiduciæ argumenta ſuppeditare.

§. 1. Crucifixi vultus ad nos propenſus, ad fiduciam nos invitat.

§. 2. Chriſti brachia in cruce protenſa peccatores expectant ad veniam.

§. 3. In Salvatoris vulneribus ſumma ratio ſpei noſtræ.

§. 4. Idem ſpeciatim de Chriſti ſanguine oſtenditur.

## CAPUT IV.

Ex Chriſti boni Paſtoris contemplatione, ſpeciale concipiendæ fiduciæ argumentum.

§. 1. Ovis errabunda boni Paſtoris humeris revecta.

§. 2. Ex eodem ſchemate multiplex fiduciæ ratio.

§. 3. Sanctorum Patrum in hunc ipſum ſenſum atque affectum conſpiratio.

## CAPUT V.

Quos adhuc peccare delectat, hos terroris potiùs quàm fiduciæ, in Chriſto crucifixo cauſas habere.

## CAPUT VI.

Chriſti Incarnationem ac mortem piè recogitatam, ad divinum amorem in nobis excitandum atque alendum, vim permagnam habere.

§. 1. Magna divini amoris illecebra, Verbum Caro factum.

§. 2. Nonnullæ de re propoſita S. Auguſtini cogitationes.

§. 3. Concluditur caput hoc quibuſdam locis eodem pertinentibus, è S. Bernardo adductis.

## CAPUT VII.

Chriſtus crucifixus ſupremum amoris incitamentum.

§. 1. Singularis JESU Chriſti bonitas ac beneficentia in ejus paſſione commendatur.

§. 2. JESU crucifixi rara & eximia pulchritudo.

§. 3. De ejuſdem Salvatoris noſtri, inter amara paſſionis ſuæ, incredibili ſuavitate.

## CAPUT VIII.

Ad amorem JESU Chriſti crucifixi parænetica invitatio.

## CAPUT IX.

Contemplatio JESU Chriſti crucifixi ad ejus amorem in nobis excitandum.

§. 1. Ejus exercitij ex SS. Patribus commendatio.

§. 2. Ejuſdem exercitij ratio quædam ac forma proponitur.

§. 3. Exactior rerum propoſitarum & uſui propior contemplatio.

## CAPUT X.

Interiorum ſenſuum circa Chriſtum crucifixum applicatio.

§. 1. De ejus exercitij ratione generatim.

§. 2. Quâ ratione circa Crucifixum ea adhibeatur exercitatio.

§. 3. Adjungitur quoddam ejus exercitij corollarium.

## CAPVT XI.

Chriſtum perfectè amare cupienti, amorem ſuum proprium unà cum Chriſto eſſe crucifigendum.

§. 1. Quod hoc capite propoſitum eſt, variâ autoritate ſtabilitur.

§. 2. Ejuſdem rei diffuſior explicatio.

§. 3. De eo quòd Chriſtus amorem noſtrum ſecum crucifixerit.

§. 4. Rerum iſto capite propoſitarum extrema concluſio.

## CAPVT XII.

Amantis animæ cum Chriſto crucifixo deſponſatio.

§. 1. Amantem animam Chriſti crucifixi ſponſam eſſe.

§. 2. Animæ & Chriſti ſponſalia in cruce peragi oportere.

§. 3. Amantis animæ ad ſponſum ſuum crucifixum ſuſpiratio.

## CAPVT XIII.

Cum corde Jesu crucifixi cor ſuum conjungere, aut commutare.

§. 1. Exercitatio propoſita, autoritate & exemplis adſtruitur.

§. 2. Eorum, quæ modò allata ſunt, ſpecialior quædam explicatio.

§. 3. Opportuna in rem præſentē animadverſio.

§. 4. Iſtius exercitationis ratio ac fructus præcipuus.

## CAPVT XIV.

Quidquid agimus patimúrve, Chriſti operibus aut doloribus conjungere, eáq; conjunctione conſecratum æterno Patri offerre.

§. 1. Iſtius exercitationis uſus ac fructus commendatur.

§. 2. Suggeruntur varia monita, ad uſus præſentes non parum conducibilia.

## CAPVT XV.

In Chriſti Domini vulneribus aſſiduè ac libenter habitare.

§. 1. Ejus myſticæ habitationis ratio proponitur atque exponitur.

§. 2. Habitationis in Chriſti vulneribus multæ ac pretioſæ utilitates.

## CAPVT XVI.

Eadem animæ Crucifixum amantis ſtudia, nonnullis figuris aut emblematis adumbrata.

§. 1. Anima ſancta, columba nidificans in vulneribus Crucifixi.

§. 2. Anima Crucifixo devota, turtur ſedens in palma crucis.

§. 3. Anima ſancta, myſtica philomela, ad pedem crucis deficiens & moriens.

## CAPVT XVII.

De delitijs quas invenit anima, in corde Jesu Chriſti crucifixi.

§. 1. Teſtimonia S. Gertrudis, S. Bonaventuræ, & cujuſdam pij Scriptoris.

§. 2. Teſtimonia S. Bernardi, Guilielmi Abbatis, & B. Petri de Alcantara.

## CAPVT XVIII.

De delitijs animæ ſanctæ in corde Chriſti unà cum ipſo epulantis.

§. 1. Cor Chriſti crucifixi triclinium eſſe animarum ſanctarum.

§. 2. Deſiderium animæ amantis, & in Crucifixi cor ingredi, & unà cum illo refici, ac delitiari affectantis.

## CAPVT XIX.

Plagam lateris Chriſti animarum ſanctarum alvearium eſſe.

§. 1. Apum myſticarū circa Chriſti vulnera occupatio.

§. 2. Eaſdem non niſi divino cordi mellificare debere.


CA-

CAPVT XX.

Salvatoris apertum latus, eſſe peregrinorum ſepulturam.

§. 1. Quinam peregrini ſepulcri jus hîc habeant?

§. 2. Quis cenſendus ſit mundo crucifixus, mundo mortuus, mundo ſepultus.

§. 3. Quanta quies ſit & pax animæ, in latere Chriſti crucifixi ſepultæ.

CAPVT XXI.

De Chriſti crucifixi vulneribus crebrò ſalutandis, amantérque diſſuaviandis.

§. 1. Exercitij propoſiti multæ ac parabiles opportunitates.

§. 2. Formulæ quarundam aſpirationum ad præſentem uſum accommodatæ.

CAPVT XXII.

Simili ſalutationis officio, etiam membra Chriſti ſigillatim impertienda.

§. 1. Modus ſalutandi Chriſti membra ex B. Bernardo.

§. 2. Alia ex Ludovico Bloſio membrorum Chriſti crucifixi ſalutatio.

CAPVT XXIII.

Alia quædam præclara animæ circa Chriſti vulnera occupatio.

§. 1. Exercitium circa Chriſti vulnera ex Nicolao Eſchio deſumptum.

§. 2. Alia quædam his affinia ex Joanne Thaulero deprompta.

CAPVT XXIV.

De piæ compaſſionis affectu erga Chriſtum patientem exercendo.

§. 1. Exercitationem hujuſmodi Chriſtiano homini non eſſe negligendam.

§. 2. Nonnulla ad eum affectum in nobis excitandum adjumenta.

§. 3. In quo concluduntur quæ de hoc exercitio dicta ſunt.

CAPVT XXV.

De commiſeratione, etiam Matris Dei filio compatientis, ſuſcipiendâ.

§. 1. Maternorum dolorum commiſerationem Chriſto Domino acceptiſſimam eſſe.

§. 2. Ad idem exercitium uſurpandum propria quædam incitamenta.

§. 3. Quanta fuerit dolorum Deiparæ filio compatientis magnitudo.

§. 4. Adduntur nonnulla ad majorem dictorum explicationem.

CAPVT XXVI.

Quî conveniat animam Chriſto patienti devotam, in ejus myſterij admiratione, eique cognatis affectibus, interdum exerceri.

§. 1. Actus admirationis.

§. 2. Admirationis fructus.

CAPVT XXVII.

Exercitium ſuperiori affine: Gratiarum actio & vox laudis.

§. 1. De eo exercitio aliquid præmiſſum generatim.

§. 2. Priora monita ad uſum præſentis exercitij conducentia.

§. 3. Poſteriores eandem in rem præceptiones.

§. 4. Animæ, Chriſtum impenſè laudare ſatagentis, in idque quàm poteſt longiſſimè, deſiderio extendentis ſe atque exporrigentis, paradigma.

CAPVT XXVIII.

De quadam animi confuſione atque pudore, ex paſſionis Chriſti contemplatione, concipiendis.

§. 1. Ejus exercitij prima velut adumbratio.

§. 2. Qui actus præſertim eo exercitio contineantur.

## CAPVT XXIX

Ut itidem in contemplantis animo, ardens excitetur, Chriſto pro injuria ſatisfaciendi, cupiditas.

§. 1. Prior pars hujus exercitij: coram ipſo Chriſto aut DEO Patre, ſeſe reum mortis Unigeniti conſtituere.

§. 2. Pars poſterior: eâdem in cauſâ, ſibi Judicis ac vindicis partes, adverſus ſemetipſum ſumere.

# PARS QVARTA.

*Exercitationes ad patientiam ſpeciatim; ſive, ad omnimodam ſui ipſius abnegationem, ex Chriſti crucifixi diſciplinâ.*

## CAPVT I.

In patientiæ præcepta ingreſſio.

## CAPVT II.

Chriſtianæ patientiæ diſciplinā ex Chriſto crucifixo potiſſimùm eſſe hauriendam.

§. 1. Chriſtus crucifixus artis patiendi primus ac ſummus Magiſter.

§. 2. Eandem artem, præeunte Chriſto, non adeò difficulter addiſci.

## CAPVT III.

Amorem crucis & patientiæ ſtudium, viam ad ſalutem compendioſiſſimam eſſe.

## CAPVT IV.

Quàm incenſum fuerit in Chriſto deſiderium patiendi.

§. 1. Chriſtum Dominum, ut pati poſſet, miraculis pluribus uſum eſſe.

§. 2. Eundem præſtitutum ſibi patiendi tempus velut impatienter expectâſſe.

§. 3. Eundem inflictorum ſibi tormentorum dolores voluntariè exaggerâſſe.

§. 4. Languoris noſtri, ad hos Chriſti ardores comparati, incuſatio.

## CAPVT V.

Qualiter dulcis Redemptor noſter, inter patiendum, ſummo animi gaudio exultaverit.

§. 1. Stabilitur theſis propoſita, Patrum atque in primis S. Cyrilli Alexandrini, autoritate.

§. 2. Ad idem elegans Tertulliani locus expenditur.

§. 3. Eadem veritas ex Apoſtoli verbis elicitur.

## CAPVT VI.

Quàm congruens ſit, in adverſorum tolerantia, eoſdem nos, cum Domino noſtro, ſenſus habere.

§. 1. Ut deceat ſervos ijſdem cum Domino moribus eſſe.

§. 2. Perhonorificum eſſe ſervo, Domini ſui veſtibus atque inſignibus indui.

## CAPVT VII.

Unumquemque noſtrum Chriſti cruci aut ipſi Chriſto, tanquam ſurculum, inſeri oportere.

§. 1. Allegoriæ propoſitæ fundamenta quædam jaciuntur.

§. 2. Diſcurſus facti vis in pauca colligitur.

## CAPVT VIII.

De tribus individuis Chriſti Domini comi-

Digitized by Google

comitibus, paupertate, dolore, contemptu.
§. 1. Comitatum hunc, ſeu ſocietatem, Chriſto Domino perpetim adhæſiſſe.
§. 2. Eoſdem tres comites, ei quoque qui Chriſtum propiùs ſequi deſideret, in ſocios adſciſcendos eſſe.
§. 3. Ex tribus his quaſi ſpeciebus, familiarem quandam confici poſſe, morbis animæ noſtræ medicinam.

## CAPVT IX.

Via trium dierum in ſolitudine; ſive, exercitium omnimodæ nuditatis & abnegationis ſui, ad exemplar Jesu Chriſti crucifixi.
§. 1. Via primæ diei in ſolitudine.
§. 2. Via ſecundæ diei.
§. 3. Ejuſdem ſanctæ ſolitudinis dies tertia.

## CAPVT X.

Exercitij ejuſdem ulterior declaratio.
§. 1. De duplici ſapore Chriſti Jesu; & quòd ſumma virtutis in eo ſit, ut, etiam abſque ſpirituali dulcedine, afflictiones æquo animo toleremus.
§. 2. Chriſtum purè amanti, etiam divina ſolatia refugienda, & pro ſuſpectis habenda.
§. 3. Crucem etiam nudam & ſolatij expertem, Chriſti exemplo, amplexandam eſſe.

## CAPVT XI.

Quo pacto anima deſolata ſe ſe reſignabit, ac proijciet in ſinum & brachia crucifixi.
§. 1. Ejus exercitij pars prior.
§. 2. Ejuſdem exercitij pars poſterior.
§. 3. Quædam eandem in rem obſervatu digna adduntur.

## CAPVT XII.

Proponitur altiſſima quædam & abſolutiſſima abnegatio ſui, & tanquam apex patientiæ Chriſtianæ
§. 1. Tres quaſi gradus perfectionis Chriſtianæ ex S. Ignatij exercitijs.
§. 2. Supremus hic gradus patientiæ Chriſtianæ ex S. Joanne Chryſoſtomo aſtruitur.
§. 3. Idem ſenſus in S. Bonaventura & alijs quibuſdam oſtenditur.
§. 4. Adduntur nonnulla ad idem argumentum pertinentia.

## CAPVT XIII.

Amatorem Chriſti juvat interdum, latitudinem & longitudinem, ſublimitatem & profundum crucis inveſtigare.
§. 1. Dimenſiones illæ ad Chriſti crucem variè applicatæ.
§. 2. Noſtram etiam crucem iiſdem dimenſionibus conſtare debere.

## CAPVT XIV.

In quo oſtenditur, etiam homines perfectos, grandes ac multiplices cruces perferre.
§. 1. Non eaſdem hominum perfectorum, atque imperfectorum, cruces eſſe.
§. 2. Speciales quædam Sanctorum cruces expoſitæ.
§. 3. Perfectorum hominum aliæ cruces nonnullæ.
§. 4. Chriſtum perfectè diligentiũ crux poſtrema.
§. 5. Extrema dictorum clauſula.

## CAPVT XV.

Dei ſervos, qui crucis complexum & mortificationis ſtudium refugiant, ea propter crucem multiplicem pluresque mortes incurrere.
§. 1. Ejus pronuntiati rationes quædam allatæ.

§. 2.

Digitized by Google

§. 2. Ejuſdem aſſerti ratio ſpecialior & occuitior exponitur.

§. 3. Ratio poſtremò propoſita magis explicatur & confirmatur.

## CAPVT XVI.

Quemadmodum nos par ſit, in commentandis ac devenerandis occultis Chriſti cruciatibus interdum exerceri.

§. 1. Quinam illi fuerint occulti Domini noſtri cruciatus.

§. 2. Quî conveniat nos, in ijs interdum exerceri.

## CAPVT XVII.

De Chriſti Jesu cruce perpetua, memori mente aſſiduè circumferenda.

§. 1. Crux Chriſti perpetua quorundam Patrum Scriptorúmve aſceticorum autoritate aſtruitur.

§. 2. Crux illa Chriſti ſpiritualis, quibus ex partibus conſtiterit.

§. 3. Tam præproperi in Chriſto crucis complexûs, cauſæ nonnullæ.

§. 4. Rationes aliæ eòdem ſpectantes.

## CAPVT XVIII.

Conſiderationes, quibus efficitur, afflictiones à Deo immiſſas, cum veneratione atque amore eſſe ſuſcipiendas.

§. 1. Afflictiones noſtras, velut micas de menſa crucis deciduas, religiosè excipiendas eſſe.

§. 2. Eaſdem, tanquam fragmenta quædam crucis Dominicæ, aut portionem aliquam paſſionum Chriſti, aſpiciendas.

§. 3. Eaſdem eſſe velut ſtigmata Domini Jesu, in corpore aut corde noſtro impreſſa.

## CAPVT XIX.

Aliæ nonnullæ conſiderationes eandem ad rem pertinentes.

§. 1. Juſtorum in vita afflictiones, meras Chriſti amantis blandicias eſſe.

§. 2. Chriſtum electis ſuis, luctum, dolores, anguſtias, hæreditatis nomine reliquiſſe.

## CAPVT XX.

Duplici ratione oſtenditur, quàm homini juſto charæ eſſe debeant præſentis vitæ tribulationes.

§. 1. Electos, ut pretioſos lapides, tunſionibus atque preſſuris variè conformari & expoliri oportere.

§. 2. Ipſas etiam afflictiones noſtras, velut cœleſtes margaritas, in pretio & honore habendas.

§. 3. Nonnulla ex dictis patientiæ documenta.

## CAPVT XXI.

Malorum patientiâ Chriſtianum, velut nummum Regis imagine, ſignari.

§. 1. Chriſtum Jesum fuiſſe nummum à Deo Patre percuſſum.

§. 2. Nos quoque, ceu nummos, percutiendos; & eâdem cum Chriſto imagine ſignandos eſſe.

## CAPVT XXII.

Electos Dei, in torculari paſſionum, cum Chriſto premi atque calcari oportere.

§. 1. Chriſtum, inſtar botri, in cruce compreſſum expreſsúmque fuiſſe.

§. 2. Mira efficacia muſti, de Crucifixi prælis exæſtuantis.

§. 3. Simili modo nos & botros eſſe, & in afflictionum torculari, premi & calcari debere.

§. 4. Commentationis jam propoſitæ fructus nonnulli colliguntur.

## CAPVT XXIII.

Homines juſtos, per paſſionum toleran-
tiam,

tiam, in quædam Chriſti crucifixi ſimulacra, exactè elaborari.
§. 1. Ejus conſiderationis fundamentum ac ratio proponitur.
§. 2. Conſiderationis expoſitæ, in acerbis rebus, utilitas.

CAPUT XXIV.

Chriſtianam in adverſis patientiam, harmoniam eſſe divinis auribus jucundiſſimam.
§. 1. Chriſtus crucifixus, cithara Patris.
§. 2. Nos etiam, ceu Dei citharas, & variè tangi, & Deo dulcem de nobis melodiam reddere debere.
§. 3. De hilari malorum patientiâ, variæ ex dictis præceptiones.

CAPUT XXV.

Amicorum Chriſti adverſis in rebus patientiam, Chriſto in pœnis ſuis ſolatium aliquod præbuiſſe.

CAPUT XXVI.

Concluditur iſtæc Chriſtianæ patientiæ tractatio.

# PARS QVINTA.

*Chriſti patientis, in actibus quibuſdam geſtiſve ſingularibus, imitatio.*

CAPVT I.

Ad peculiarem certis in articulis Chriſti patientis imitationem, introductio.

CAPVT II.

Imitatio Chriſti in horto Gethſemani Patrem orantis.
§. 1. Quantam attentionem ad orandum Chriſtus attulerit.
§. 2. Quanta cum animi corporiſque reverentia precatus ſit.
§. 3. Quantâ animi devotione atque fervore oraverit.
§. 4. Quantâ conſtantiâ in oratione perſeveraverit.
§. 5. Uti omnem ſuæ voluntatis propenſionem Patris voluntati amanter ac plenè ſubjecerit.

CAPVT III.

Imitatio Chriſti circumducti per vias Jeruſalem.
§. 1. Chriſti per vicos & plateas raptati conſideratio.
§. 2. Nonnullæ ad eam imitationem opportunæ præceptiones.

CAPUT IV.

Imitatio Chriſti ab Herode ſpreti atque illuſi.
§. 1. Conditionum rei propoſitæ expenſio atque æſtimatio.
§. 2. Earundem rerum ad uſus noſtros traductio.
§. 3. Variæ laudabilis inſaniæ ſpecies, ex Chriſti amore atque imitatione.

CAPUT V.

Imitatio Chriſti ad columnam alligati, & flagellati.
§. 1. Flagellationis Chriſti atrocitas & indignitas.
§. 2. Ejuſdem myſterij ad uſus noſtros applicatio.
§. 3. Opportunum homini religioſo documentum.

CAPUT VI.

Imitatio Chriſti ſpinis coronati, & ſaturati opprobrijs.
§. 1. Myſterij propoſiti contemplatio.

§. 2. Primitivæ Eccleſiæ fideles à capitis coronis religioſe abſtinuiſſe.

§. 3. Chriſti ſpinis docemur, Crucifixi diſcipulo mundi delicias minimè eſſe conſectandas.

§. 4. Nonnulla ad uſus peculiares ex his deducta.

§. 5. Chriſtum Jesum, pro corona ſpinea, gloriâ & honore à nobis coronandum eſſe.

### CAPVT VII.

Imitatio Chriſti bajulantis ſibi crucem, & cum ea ad montem Calvariæ contendentis.

§. 1. De ipſo myſterio nonnulla.

§. 2. Gravitatis crucis, quam Salvator ſibi bajulavit, ponderatio.

§. 3. Quâ ratione ipſa crux Chriſti immenſa & interminata fuerit.

§. 4. Quid præſertim à nobis exigat præſentis myſterij contemplatio.

### CAPVT VIII.

Imitatio Chriſti, in cruce pro inimicis deprecantis Patrem.

§. 1. Admirabilis ejuſdem facti conſideratio.

§. 2. Clementiæ Chriſti, & inhumanæ clementiæ in re propoſita comparatio.

§. 3. Evangelicæ diſciplinæ prima de re præſenti præcepta.

§. 4. Alterum ac tertium eandem in rem Chriſti præceptum.

### CAPVT IX.

Chriſti in Cruce morientis imitatio.

§. 1. Imminentem mortem, de manu Dei libenter ac promptè acceptare.

§. 1. In Dei manus, & Crucifixi vulnera, ſpiritum ſuum commendare.

§. 3. Lectuli crucis duritiem (quoad licebit) imitari.

§. 4. Ad præſidium Matris Dei eo in articulo ſtudioſiùs confugere.

### CAPVT X.

Status religioſus, peculiaris Chriſti crucifixi imitatio.

§. 1. Hominis religioſi cum Chriſto crucifixo comparatio.

§. 2. Specialia quædam conſectaria ex dato principio eruuntur.

## PARS SEXTA.

*In qua nonnulli fructus eximij hujus Exercitationis colliguntur.*

### CAPUT I.

Ubi de his fructibus præmittitur aliquid generatim.

### CAPVT II.

Ingens peccati horror & deteſtatio.

§. 1. Iſtius effectus atque affectus cauſæ nonnullæ.

§. 2. Allatis quibuſdam cauſis alijs, res concluditur.

### CAPUT III.

Fuga deliciarum, & honoris faſtûſque mundani averſatio.

§. 1. Prior hujus pronuntiati ratio.

§. 2. Ratio poſterior ad idem propoſitum.

### CAPVT IV.

Amor incommodorum, & cupiditas patiendi cum Chriſto.

§. 1.

Digitized by Google

§. 1. Hunc item affectum exercitationis propoſitæ fructum eſſe.

§. 2. Ejus fructus tres potiſſimùm cauſæ referuntur.

## CAPVT V.

Fortitudo & robur animi in ſufferendis adverſis.

§. 1. Stabilitur hujus fortitudinis prima ratio.

§. 2. De altera ejuſdem fortitudinis ratione.

§. 3. Poſtrema ratio ejuſdem affectus aſtruitur.

## CAPVT VI.

Zelus animarum, ſeu ardens ſtudium ſalutis alienæ.

§. 1. Rationes variæ iſtius zeli in animis noſtris excitandi.

§. 2. Eandem in rem Doctoris Seraphici loci nonnulli.

## CAPUT VII.

Adverſus egentes atque afflictos tener animi ſenſus ac commiſeratio.

## CAPVT VIII.

Abundantia ſanctarum lacrymarum.

§. 1. Paſſionem Chriſti aſſiduè recogitantibus, hoc donum ſolere à Deo concedi.

§. 2. Dulcedo & pretium lacrymarum ex Crucifixi contemplatione manantiū.

## CAPVT IX.

Transformatio hominis in Jesum Chriſtum crucifixum.

§. 1. Excellentē hominis Chriſtiani perfectionem, in ejus in Chriſtum transformatione conſiſtere.

§. 2. Frequenti circa Chriſtum paſſum exercitatione, poſſe ad eam transformationem perveniri.

§. 3. Amore præſertim eam transformationem effici.

## CAPVT X.

Placidus ac felix exceſſus è vita, inter brachia Salvatoris.

§. 1. Nonnullæ ejuſce rei cauſæ.

§. 2. Specialia quædam, feliciter intra Crucifixi vulnera expirantiū, exempla.

## CAPUT XI.

Magna in judicio ſecuritas & exultatio.

§. 1. Rationes propriæ ejus ſecuritatis inquiruntur.

§. 2. De eo quod à S. Hippolyto ſcriptum eſt; Chriſtum in judicio Caput ſpinis coronatum eſſe oſtenſurum.

§. 3. Crucis inimicorum, & Crucifixi amatorum in judicio diſcrimen.

## CAPUT XII.

Purgatorij pœnarum immunitas, aut maturior liberatio.

## CAPUT XIII.

Merces amplior & gloria ſpecialis in cœlo.

§. 1. Crucifixi & crucis amatores ſpeciali in cœlis gloriâ donandos.

§. 2. Peculiaris eorum gaudij cauſæ nonnullæ proponuntur.

§. 3. Hujus capitis, totiúſque tractatus extrema concluſio.

# PROTESTATIO AUTORIS.

*Cum S.D.N. Urbanus Papa VIII. die 13. Martij 1625. Decretum ediderit, idémque confirmârit die 5. Julij 1634. quo inhibuit imprimi libros, hominum qui ſanctitatis ſeu martyrij famâ celebres è vita migraverint, geſta, miracula, vel revelationes, ſeu quæcunque beneficia tanquam eorum interceſſionibus à DEO accepta continentes, ſine recognitione atque approbatione Ordinarij, & quæ hactenus ſine ea impreſſa ſunt, nullo modo vult cenſeri approbata.*

*Idem autem Sanctiſſimus die 5. Junij 1641. ita explicuerit, ut nimirum non admittantur elogia Sancti vel Beati abſolutè, & quæ cadunt ſuper perſonam, bene tamen ea quæ cadunt ſuper mores & opinionem, cum proteſtatione, quòd nulla eis adſit autoritas ab Eccleſia Romana, ſed fides tantùm ſit penes autorem.*

*Huic decreto ejuſque confirmationi & declarationi, obſervantiâ ac reverentiâ, quâ par eſt, inſiſtendo, profiteor me haud alio ſenſu, quidquid in hoc libro refero, accipere, & accipi ab ullo velle, quàm quo ea ſolent, quæ humanâ duntaxat autoritate, non autem divinâ Catholicæ Romanæ Eccleſiæ, aut S. Sedis Apoſtolicæ nituntur: iis tantummodo exceptis, quos eadem S. Sedes Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum Catalogo adſcripſit.*

PARS

Digitized by Google

# PARS I.

*In qua præmittuntur incitamenta quædam ad ſeriam atque conſtantem circa Ieſum crucifixum exercitationem.*

## CAPVT I.

## Iis etiam, qui in virtutis ſtudio non parùm profecerint, eam occupationem utilem atque neceſſariam eſſe.

### §. 1.

*Quorundam in hac materia minùs probanda perſuaſio.*

PRius quàm ad illud, quod hac primâ parte faciendum ſuſcepi, aggrediar; ut certa nimirum incitamenta proponam, quibus ad aſſiduam divinæ paſſionis memoriam, amorem, ſtudium, imitationem extimulemur: amolienda nobis eſt hoc loco falſa quædam, & (uti arbitror) in via ſpiritûs non parùm nociva nonnullorum perſvaſio; qui frequentem illam, quam commendamus in hoc opere, circa Chriſtum paſſum, aut omnino circa ſacram ipſius Humanitatem, exercitationem, eorum tantùm arbitrantur eſſe propriam, qui ſpiritualem vitam modò aggreſſi, in ea rudes adhuc & imperfecti ſint; quos utique convenit principiò mentem informatam ac depictam habere ſanctis vitæ Chriſti ac paſſionis ejus imaginibus; earúmque

 virtu-

virtutum exemplis, quæ nobis in ſua Humanitate exhibuit, ſenſim ad majora ac diviniora provehi.

Qui verò jam paulùm ultra communem ac vulgarem virtutem progreſſi ſint, aut in gradu aliquo perfectionis Chriſtianæ conſtituti, hos jam non in illis Humanitatis Chriſti exercitijs, ſed in ſublimibus atque arcanis ipſius Divinitatis myſterijs eſſe diſtinendos. Imò his potiùs expugnandas eſſe ex animo (quoad fieri poterit) univerſas, non modò cæterarum rerum corporearum, ſed ipſius quoque Humanitatis Chriſti imagines; eò quòd & illæ impedimento ſint, ad illud (ut Bernardus appellat) theoricæ contemplationis arcanum, & intimam cum Divinitate conjunctionem aſpiranti.

*Serm. 23. in Cant.*

Nempe ſacram Chriſti Humanitatem aſſiduè habere præ oculis, complecti membra, palpare vulnera, & dulcibus circa hæc teneriſque ſenſibus affici; etſi pium id quidem & ſanctum ſit, neſcio quid tamen carnale ſapere: hiſque occupatam hominis mentem ita teneri, ut ne omnibus denique exuta rerum corporatarum ſimulacris, nudæ adhæreat incommutabili veritati.

Compertum id S. Bernardo, viro (ſi quis alius) earum rerum experientiſſimo, qui quodam ſermone planè ac diſertè pronunciat: iſtius modi, erga Chriſti carnem occupatum & defixum amorem, quo quis videlicet *Chriſto paſſo piè compatitur, compungitur & movetur facilè ad memoriam eorum quæ pertulit, atque iſtius devotionis ſuavitate paſcitur*, carnalem eſſe quodammodo; illius nimirum amoris reſpectu, quo non tam Verbum caro ſapiat, quàm Verbum ſapientia, Verbum juſtitia, Verbum veritas, &c. Ut proinde ei, qui meliora chariſmata æmuletur, omittendus ſit ille quaſi carnalis amor, & ad ſpiritalem divinioremque aſpirandum: quemadmodum ait Apoſtolus: *Et, ſi cognovimus ſecundùm carnem Chriſtum: ſed nunc jam non novimus.*

*Serm. 20. in Cant.*

*2. Cor. 5.*

Et ſa-

Et ſanè niſi hæc circa Chriſti Domini Humanitatem occupatio, ſubtiliori ac puriori Dei contemplationi impedimento eſſet, non præciperent Theologiæ myſticæ Magiſtri ei, qui ad intimam contemplationem, & myſticam cum Deo conjunctionem admiſſus ſit, exinaniendum eſſe fundum animæ, & deponendas eſſe omnes etiam rerum ſanctarum imagines, & nudo atque indepicto intellectu, ſive ab omnibus aliarum rerum formis vacuo, in ſuprema quadam nuditate ac paupertate ſpiritûs, & omnium animæ facultatum ſilentio, ipſi Divinitati ſinè medio adhærendum. Quos inter Ludovicus Bloſius in præclara ſua Inſtitutione ſpirituali accuratè admonet; in actu myſticæ intimæque unionis cum Deo, deſtinandas quaslibet ſanctas cogitationes & imagines, & memoriam quoque Dominicæ paſsionis deponendam: quòd hæc etiam medium aliquod conſtituat inter animam & Deum. Teſtatúrque hoc ipſum experta B. Angela de Fulginio: ſeſe videlicet in ſuprema extaſi, & intimo ſummi boni complexu poſitam, non jam amplius meminiſſe Humanitatis Chriſti, aut ullius rei quæ formam habeat, ſed ſimplici quodam intuitu (ut ipſa ajebat) omnia videre, & nihil videre, ſolitam. Quo modo etiam docet B. Albertus Magnus, hanc eſſe hominis in hac vita ſublimiorem perfectionem: *ita Deo uniri, ut tota anima cum omnibus potentijs ſuis & viribus in Dominum Deum ſuum ſit collecta, ut unus fiat ſpiritus cum eo, & nihil meminerit niſi Deum, nihil ſentiat vel intelligat niſi Deum, & omnes affectiones in amoris gaudio unitæ, in ſola Conditoris fruitione ſuaviter quieſcant.* Denique diſertè tradunt nonnulli, ei qui ad Deum aliquantò propiùs acceſſerit, omittendam eſſe paſsionis Chriſti ejúsque vulnerum commentationem, neque jam (ut ajunt) de plagis oſtiarijs cogitandum; quòd illud jam, ſaltem ex parte, aſſecutus ſit, quò illa conducit circa ſacram Chriſti Humanitatem aſſumpta exercitatio.

*Cap. 12.*

*Vit. c. 6.*

*De adhær. Deo c. 3.*

*De myſt. theol. c. 3, p. 3, apud Bonav.*

Quamobrem præclarè etiam Doctor Angelicus: *Quæ pertinent ad Chriſti humanitatem* ( inquit ) *per modum cujuſdam manuductionis maximè devotionem excitant: cùm tamen devotio principaliter circa ea, quæ ſunt divinitatis, conſiſtat.*

22. q. 82. a. 3. ad 2.

Aliæ nimirum ſunt perfectorum propriæ, aut eorum qui jam ad perfectionem propiùs aſpirant, aliæ incipientium aut lentè adhuc proficientium exercitationes. Pœnitentiæ luctus, compaſsionis lachrymæ, mortificationis horror, quotidianæ crucis ſtudium, ſancta & principiò opportuna ſunt exercitia, ſed velut tyronum atque imperfectorum in via ſpiritûs rudimenta: quibus ubi quiſpiam temporis aliquid, ſub ipſa initia dependerit, porrò pergendum eſt, & ad altiora ac diviniora aſpirandum. *Quæ retro ſunt* ( inquit Paulus ) *obliviſcens, ad ea verò quæ ſunt priora extendens meipſum.* In ſimplici ad Deum adhæſione, in amore puro ac defæcato, in rerum omnium corporalium ac ſenſibilium transgreſſu, poſita eſt animæ perfectio. Neque dubium eſſe poteſt, quin nudi ac puri amoris actus unicus ſæpe pluris ſit in oculis Dei, quàm centum impuri atque permixti, aut quàm plures alij, ex genere ſuo, naturæ aut notæ inferioris. In iſtis igitur nobiliſsimis ac diviniſsimis actibus ſingulariter exercendus eſt animus, in his ſtudium omne ponendum, omnis induſtria collocanda.

Philip. 3.

Itaque & eos hoc loco audire videor, Chriſti crucifixi ſtudioſum aſcetam in hunc ferè modum compellantes: Quid uſque langues circa infima, & in his quæ pridem eſſe te prætergreſſum oportuit. quaſi rei ſumma in illis ſit, tanto ſtudio occuparis? In iſtius jugi ſummo vertice, in iſta luce, in puro illo, quem vides, æthere ſitum eſt bonum tuum: & tu circa pedem montis oberras, & directo calle omiſſo, quo brevi tanquam compendio ad ſumma quæque poſsis eniti, eò per ambages, obliquóſque flexus, & devios tramites contendis, & longo labore, non magno operæ pretio, circum-

Digitized by Google

circumverſando & circumflectendo laſſaris. Aſſumat denique anima tua pennas aquilæ, & ſanctâ quadam libertate ſpiritûs, trans omne quod divinitus non eſt, evecta, introeat in potentias Domini, & per myſticam adhæſionem complexúmque intimum, unus cum Deo ſpiritus effecta, præguſtare incipiat Sanctorum in cœlo beatas delicias; qui utique nullis impreſſi formis iſtorum ſenſibilium, nullis cujusvis creatæ rei imaginibus occupati, intimè ipſi Divinitati & abs que ullo modo adhæreſcunt. Sic illi.

Quorum oratio quid veri aut probi habeat, quid è contrario falſo affine involvat, in ſequentibus disquirendum eſt: ſi id modò præfatus fuero; me dum unicuique hominum generi contendo neceſſariam eſſe ſeriam atque conſtantem circa Chriſtum crucifixum exercitationem, nollem id præfidenter intelligi, de hac ſpeciali à nobis tradita animæ devotæ occupatione; (quippe quam, pluſculis levioribus ac minutioribus exercitijs conſtantem, in tyronum duntaxat gratiam, atque minùs in via ſpiritûs exercitatorum conſcribimus, aut eorum ſanè quorum ea palato arriſerint) ſed quòd universè ad perfectionem, aut intimam cum Deo adhæſionem aſpiranti, aliqua circa IESU Chriſti paſsionem exercitatio aſſumenda & retinenda ſit, verùm hæc vel illa pro cujusq; genio, & cujúsque ſtatui aut conditioni accommodata.

## §. 2.

*Aſpirandum non eſſe ad contemplationis quietem, niſi per aſsiduam Chriſti patientis meditationem atque imitationem.*

SAcratiſsima Chriſti Humanitas, ſive eorum quæ dulcis Redemptor noſter in carne geſsit aut paſſus eſt, ſtudioſa & crebra meditatio, oſtium eſt quo introeatur ad ipſius divinita-

nitatem: neque temerè quisquam ad ſublimem aliquem contemplationis gradum aſcendit, niſi qui ſe diu ac diligenter in Chriſti vita ac paſsione exercuerit. In quo pronuntiato ita generaliter poſito, non arbitror ullum relictum eſſe controverſiæ locum. Hoc quippe velut uno ore tradunt vitæ ſpiritualis magiſtri, etiam ij qui de Theologia myſtica (ut appellant) ſcripsêre. Qui etiam illa Chriſti verba Ioannis 10. cap. *Ego ſum oſtium: per me ſi quis introierit, ſalvabitur, & ingredietur & egredietur, & paſcua inveniet*; in hunc ferè ſenſum accipiunt: quaſi quis per Chriſtum ingrediatur, dum per myſteria Humanitatis ejus, ad ſimplicem quandam Divinitatis ejus contemplationem adducitur; egrediatur autem, dum vitæ ac mortis illius ſanctiſsimis exemplis informatus, ad ſancta opera virtutúmque actiones deſcendit: & ita vitalia paſcua, plenámque animæ ſatietatem invenit. Proferamus iſtorum Doctorum locos nonnullos, ex quibus certiùs eorum ſententia dignoſcatur. B. Albertus magnus, eo ipſo libro qui ſuprà laudatus eſt, aſcetam informans & manuducens ad ſupremam cum Deo adhæſionem, ei ſic præcipit inter cætera: *Deinde ſe totum intra ſe recipiat, nec aliud unquam objectum mente attendat, quàm Ieſum Chriſtum vulneratum; ſicque per eum in eum, id eſt, per hominem in Deum, per vulnera humanitatis ad intima divinitatis ſuæ, ſedulò & obnixè contendat.*

*De adhær. Deo c. 2.*

Ioannes Thaulerus à Bloſio relatus ita loquitur: *Planè proxima puriſſimáque ad Deum pertingendi via hæc eſt; ut quis cum ingenti amore & gratitudine, Salvatoris intra ſe converſationem paſſionémque circumferat, atque illam moribus & vitâ, intus & foris exprimere curet, &c.* Et poſtea: *Neque enim aliquis* (ſubdit) *ad contemplationis quietem tutò aſpirat, niſi viâ iſtâ gradiatur. Nam Chriſti divinitas in illius humanitate abſcondita eſt; & humanitas via quædam & janua eſt pertingendi ad divinitatem: ſicut ipſe Chriſtus teſtatur, dicens: Ego ſum*

*Marg. ſpir. p. 1.*

Digitized by Google

*ſum via. Et rurſum: Ego ſum oſtium: per me ſi quis introierit, ſalvabitur; & ingredietur in divinitatem, & egredietur in humanitatem meam; & utrobique paſcua æterna viriditatis, pulchritudinis atque felicitatis inveniet.*

Ipſe autem Bloſius in eundem ſenſum ac pœne verba idem inculcat frequentiſsimè. In ſpeculo quippe ſpirituali ita loquitur: *Humanitas Chriſti via & janua eſt, quà ad divinitatem pertingitur; nec aliquis ad ſublimioris contemplationis quietem divinámque unionem tutò aſpirat, niſi virtutes Chriſti ſanctiſſimas diligenter imitari, & amabilem humanitatis ejus imaginem, animæ ſuæ per devotam imitationem imprimere conetur.* In tabella autem ſpirituali: *Ante omnia* (inquit) *recoles gratâ mente, illa quæ pro te fecit ac pertulit clementiſſimus Ieſus, & imitaberis pro modulo tuo ſanctiſſimas virtutes ejus. Sanè, niſi tu amabilem humanitatis Chriſti imaginem, per devota exercitia & humilem imitationem, ſtudueris animæ tuæ imprimere, fruſtra ad divinitatis ejus eximiam ſapidámque cognitionem aſpiras: nam humanitas vera via & janua eſt ad divinitatem.* Quibus ſimilia crebrò repetit in alijs ſuis opuſculis, nominatim in aurea illa inſtitutione ſpirituali; ex qua inferiùs nonnulla delibabimus. Idem apud eundem docet Ioannes Rusbrochius, & alij.

*cap. 10.*

*In §. 5.*

Eſtque illud hoc loco commemorabile, quod de Henrico Suſone, ex Ordine ſancti Dominici viro ſanctiſsimo, in ipſius vita proditur: cùm ſub initia ſpiritualis vitæ, ſublimi eorum quæ ad ipſam divinitatem pertinent, commentatione unicè teneretur, reprehenſum ab ipſo Deo eſſe, quòd his adeò inſiſteret, prætermiſsâ Filij Dei paſsione, cùm tamen hæc ſit oſtium, per quod ad illa introeatur. Quapropter poſtea tum ſuo edoctus experimento, tum ipsâ dictante æternâ Dei ſapientiâ ſcripſit: Compendioſiſsimam viam ad ſalutem & perfectionem, eſſe contemplationem & amorem Chriſti patientis & attriti in humanitate.

*Vit. c. 15.*

*Dial. Sap. cap. 1.*

Verun-

Veruntamen plus audet Seraphicus Doctor Bonaventura, qui cùm alibi non ſemel ut receptum dogma poſuiſſet: per oſt um Humanitatis Chriſti intrandum eſſe ad ejus Divinitatem; demum in ſtimulo divini amoris eò prorumpit, ut dicat: *Quicunque ad contemplationis quietem & dulcedinem,* p. 3. cap. 1. *niſi per illud oſtium voluerit intrare, furem ſe reputet & latronem.* Nimirum ut ſi invito Deo in ejus bona ac dona involet, aut ea ſaltem alio titulo aut modo, quàm ea Dominus donare intendat, uſurpet.

Id igitur hoc loco ante omnia conſtitutum ſit, & pro certo habendum: ſanctiſsimam Chriſti Humanitatem in ſenſu quem propoſuimus, viam eſſe ad ejus Divinitatem; & (ſi de conſveta loquamur Dei providentia) neminem ad præclarum aliquem divinæ, ſeu contemplationis, ſeu unionis amorisve myſtici gradum admitti, niſi qui antea in Chriſti vita ac paſsione commeditanda, ejúsque divinis virtutibus imitatione exprimendis, multum ſtudij atque operæ poſuerit. Quippe quemadmodum, ex universè recepto principio, ab imperfectis ad perfecta procedimus, & ab corporalibus ad incorporea, ab ſenſibilibus ad intelligibilia gradum facimus: ita per humana Salvatoris noſtri ad ejus divina traducimur. Et, cùm eadem via perinde ſerviat ultro citróque commeantibus; velut Divinitas ad nos per Chriſtum, ſive per ſacratiſsimā ejus Humanitatem ineffabili modo deſcendit: ſic nos per eandem ad ipſum Deum aſcendere, & facili fœlicíque compendio, ad ipſam in ſeſe Divinitatem deguſtandam reduci quodammodo debemus.

## §. 3.

*Non ſolis incipientibus aut imperfectis eam occupationem commendatam eſſe debere.*

QUamobrem quicunque ſpiritualis eſſe deſiderat, & ad gradum aliquem Chriſtianæ virtutis ac perfectionis pertinge-

Digitized by Google

tingere; is ſeſe ſedulò circa Chriſtum crucifixum occupet, & in ejus vita ac paſsione exerceat: certus eam artem atque ſtudium (ſi quis id ſeriò conſtantérque ſequi inſtituat) ſectatorem ſuum ad ſupremam ſtatũs Evangelici abſolutionem ac perfectionem rectà conducere.

Quòd ſi quemquam Deus ſibi propiùs adjungere, atque ad ſublimem contemplationis gradum provehere decrevit; is adeò ſciat ſeſe hac ratione regiam ac tutam eò perveniendi viam inſiſtere; & cùm tempus fuerit, non labore ſuo, ſed proprio Dei beneficio, altiùs ſublevandum ac provehendum eſſe. Sin autem in gradu inferiori ſtatúque communi relinquendus eſt, pergat is proinde in arrepto ſtudio, atque in jam ſuſcepta Chriſti crucifixi diſciplina; eóq; pacto ad ſummam Chriſtianæ vitæ, eámque ſolidam atque germanam perfectionem nitatur, quam ſatis conſtet in excelſis potiùs heroicíſque virtutibus, atque inprimis in amore Dei caſto, puro, forti ſitam eſſe, quàm in Dei donis ſingularibus & extraordinarijs, aut quamlibet ſublimi rerum divinarum contemplatione. Nulla autem eſt Chriſtianæ virtutis excelſitas, cujus non præclara atque efficacia documenta eluceant, in Domini noſtri paſsione.

Cùm & alioqui res magni ſit plena periculi, ſive ultrò ſeſe in Sponſi cœleſtis intimam familiaritatem ingerere, ſive ad eam ſanè viâ aliâ, quàm exactâ virtutum Chriſti crucifixi imitatione graſſari.

Quare neque ijs, qui gradum aliquem ſive perfectionis Evangelicæ, ſive etiam divinæ contemplationis aſſecuti ſint, eam circa Chriſtum crucifixum occupationem omittendam eſſe, etiam paulò antè à nobis propoſita myſticorum Doctorum ſvadet autoritas: quando eis præſertim convenit, per Chriſtum ingredi atque egredi, quemadmodum illi expoſuêre.

Cæterúm, quæ ſtrictim ac breviter præſenti paragrapho

diximus, conſequentibus capitibus paulò explicatiùs tradenda ſunt. Nam cùm non parùm ſit periculi, ne contraria perſvaſio nonnullis imponat incautioribus, eóſque prætentâ præſtantioris boni ſpecie, à recta via perfectionis abducat; placuit rem omnem operoſiùs diſcutere, & iſtam tanquam aſceticam proluſionem præmittere; in qua, contrà quam nonnulli volunt, efficaciter (nî fallor) demonſtrabitur; aſsiduam animi circa Chriſti vitam ac paſsionem occupationem, & incipientibus viam ſpiritûs, eſſe omnino neceſſariam, & proficientibus ſtudiosè retinendam, & perfectis quoque, atque (ſi ita vis) ad ſublimem etiam Dei contemplationem unionémque myſticam evectis, non eſſe penitus abijciendam.

# CAPUT II.

## Paſsionem Chriſti piè recogitatam, ad divini amoris perfectionem ſuum contemplatorem adducere.

### §. 1.

*Paſsionem Chriſti piæ meditationi ſubjectam, cujusvis ſanctæ affectionis materiam præbere.*

PRimo igitur loco illud generatim ponatur: nullam eſſe ſanctam affectionem animi, nullum quamvis præclaræ & excellentis virtutis exercitium, ad quod contemplantis cor non permoveat, piè recogitata paſsio Salvatoris. Quemadmodum enim (ut eleganter diſputat S. Cyrillus Ieroſolymitanus) veris tempore una pluvia in terram deſcendit, & roſam quidem rubram efficit, album lilium, purpureum hyacinthum; & ſic pro variâ cujusque plantæ conditione, in varios ſuccos, colores, odoréſque vertitur: ita una paſsionis

*Catech. 9.*

nis Chriſti meditatio, in his qui peccatis obligati adhuc tenentur, ſanctum Dei timorem, horrorem peccati, compunctionem cordis, pœnitentiæ lachrymas; in ijs verò, qui ſeriò ad Deum converſi, in via ſpiritûs jam proficere cœperint, contemptum ſæculi, deliciarum fugam, ſeveritatis amorem, continentiæ, humilitatis, patientiæ ſtudium; at in his qui ultrà progreſsi, Deo jam intimiùs ac familiariùs adhæſerint, pacem animi, ac gaudium ſpiritûs in quibusvis animi corporiſve afflictionibus, amorem purum ac fortem, omnimodam ſui ſub Dei nutus ſubjectionem, ardens deſiderium aſsimilandi ſe Chriſto, ac tandem perfectam in ipſum Chriſtum transformationem parit; atque in ſingulis pro cujúsque captu ac genio ſe attemperans, prout cuique opus aut uſus eſt, in varios ſe colores & formas, in omnigenos inquam effectus affectúsve convertit.

Hîc etenim nominatim valet, quod universè tradit Seneca: *Non eſt quod mireris, ex eadem materia ſuis quemque ſtudijs apta colligere. In eodem prato bos herbam quærit, canis leporem, ciconia lacertum.* Ita hîc quippe in eodem prato, ſeu magis in eodem monte Calvariæ, ille compunctionem cordis aut pias animi condolentis lachrymas, iſte in adverſis fortitudinem & conſtantiam, alius ſanctum & caſtum amorem, poſtremus intimæ contemplationis quietem quærit & invenit; & quaſi ex florum iſtic ſubnaſcentium amænisſima varietate, quisque quod amaverit, carpit; ſeu potiùs unum illum florem, IESVM nimirum Nazarenum crucifixum, in uſus ſuos ſpirituales, quemadmodum quisque animo affectus & comparatus eſt, variè convertit. Quamobrem præclarè & huic loco conſentaneè B. Albertus Magnus, agens de Chriſto, qui ſe florem campi dixerit; eundem ait non uno modo florere in campo Eccleſiæ, ſed rubere in Martyribus, virere in Confeſſoribus, candeſcere in Virginibus, pallere in pœnitentibus, nigreſcere in humilibus, rutilare

*Ep. 108.*

*L. 12. de laud. Mar. cap. 4.*

tilare in Doctoribus, &c. Quaſi flos ille de crucis ſtipite in Calvariæ colle progerminans, in ſe uno florum univerſorum varietatem præferat, idem roſa, idem lilium, idem viola, caltha, hyacinthus; quemlibet nimirum ad noſtra commoda tanquam colorem, ac vultum aut ſpeciem induens, cámque cujusvis indoli, ingenio, ſenſibus accomodatam.

Unde etiam S. Bonaventura diſertè negat, ullum hominem, in quocunque gradu aut ſtatu ſit, poſſe ſe à conſideranda Chriſti paſſione excuſare: *quia nullus eſt* (inquit) *qui non inveniat in hac arbore* (id eſt, in palma crucis, de qua loquebatur) *ſuaviſſimum fructum & ſufficiens nutrimentum*. Quod deinde demonſtrat, diſcurrens per quinque diverſos ſtatus hominum: *Si peccator es* (inquiens) *conſidera illam ad peccatum deteſtandum. Si pœnitens, ad exemplum pœnitentiæ. Si proficiens, ad ejus effectus rimandum & ruminandum. Si perfectus, ad totum te in illam transformandum. Si in juſtitia conſummatus, ad Dei dilectionem & dignationem erga nos admirandum.* Tum graviter denique concludit: *Nullus ergo ſe excuſet, quin hîc inveniat pabulum ſuum; quin hîc inveniat portum, domicilium & centrum ſuum.*

*P. 1. Stim. c. 15.*

*Med. de paſſion. c. 1.*

Quibus conſentaneè Fulvius Androtius noſter: *Paſſio aut crux Chriſti* (inquit) *eſt arbor vitæ in medio Paradiſi ſanctæ Eccleſiæ; in qua alij ſunt rami ſublimes & in cœlum erecti, alij humum verſus depreſſi*: atque ſublimes ait eſſe pro mentibus excelſis, quæ ſublimiore divinarum perfectionum contemplatione paſcuntur; humiliores autem ijs inſervire, qui etiamnum in ſpiritu parvi ſunt, & ſolâ paſſionis Chriſti memoriâ, aut turpitudinis peccatorum ſuorum meditatione, tenentur. Quaſi arbor crucis ſimilis ſit illi, quam olim vidit Nabuchodonoſor, de cujus fructibus non ſolùm paſcebantur beſtiæ terræ; ſed & volucres cœli (id eſt mentes ſublimes, & cœleſtium contemplationi aſſvetæ) converſabantur in ramis ejus.

*Dan. 4.*

Quapro-

Quapropter dubitandum non eſt, tum aliorum piorum ſenſuum, tum ſublimis etiam contemplationis & ſancti amoris copioſam materiam in Chriſti paſſione reperiri; prout nunc jam á nobis accuratiùs demonſtrandum eſt.

## §. 2.

### *Hanc ipſam circa Chriſtum paſſum exercitationem, ad inflammandum cor amore Dei, vim præcipuam habere.*

CAve enim putes, cùm ſumma Chriſtianæ virtutis in puro Dei amore poſita ſit, hujus tibi cauſas ac rationes, in hoc tam præſtanti argumento defore. *Ubi enim, quæſo,* (ut S. Benaventura loquitur) *magis apparet diffuſio bonitatis divinæ, & clementiæ dulciſſimi & amantiſſimi Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti, quàm in paſſione ſua?* Ubi magis ſapit amanti ſupereminens dulcedo divini cordis? Aut quæ uſpiá potentior amoris illecebra, (quam diu quidem in iſto corpore peregrinamur à Domino) quâm in illo divinæ charitatis incomprehenſibili prodigio, in verbo Dei non tantùm abbreviato, ſed etiam exinanito & exhauſto propter nos; in Deo depreſſo & humiliato uſque ad formam vermis, & mortem crucis; in illa demum fornace amoris & charitatis, in corde inquam Iesv Chriſti, amore noſtri vulnerati & crucifixi. *P. 1. Stim. c. 4.*

Hinc ſumas licet amori tuo pabula; hinc ſanctæ ebrietatis & internæ ſuavitatis materiam; hic (ſi quando te ſopor divinæ contemplationis occupaverit) locum inveni ſpiritualis quietis. Neque enim, poſt ipſum divinitatis ſinum, intra quem quiete imperturbabili perfruuntur beatæ mentes, invenies lectulum ſuaviorem, in quo dormiens ſileat, & ſomno ſuo requieſcat contemplatrix anima, quàm apertum latus & vulneratum cor Salvatoris: quod etiam

eam ob rem (uti pluribus infrà videbimus) à B. Petro de Alcantara, congruenti phraſi, *Sepultura peregrinorum,* eſt appellatum. Quod item confirmat Seraphicus Doctor Bonaventura, dum de hac ipſa abſtractione mentis, & ſpiritûs elevatione agens, in hunc modum loquitur: *Iam* (ſcilicet egregius patientis Chriſti contemplator) *ſolus cum ſolo converſatur: & circa divinos honores, circa æternas divitias, circa immenſas Dei delicias negotiatur, in prædicta paſſione, anima delicata: ibi habitat, ibi requieſcit; in Domino ſuo dulcoratur cor; liqueſcit pectus; mens ſupra ſe elevatur; inebriatur anima ſpiritualibus delicijs, & in eis ſepelitur.* Sic ille. Qui proinde alibi, rem iſtam ex ſuo ſenſu, & velut proprio experimento definiens: *Nihil ſcio* (ait) *in hoc mundo, quod tantum ad cæleſtia contemplanda elevet, tantum ad Deum ſapiendum illuminet, ſicut paſſio Ieſu Chriſti.* Audiatur & hîc [omiſſis alijs qui in decurſu referentur] mellifluus Bernardus, dum ita loquitur in rem noſtram: *Super omnia, inquam, reddit amabilem te mihi, bone Ieſu, calix quem bibiſti, opus redemptionis noſtræ. Hoc omnino amorem noſtrum facilè vendicat totum ſibi. Hoc, inquam, eſt, quod noſtram devotionem & blandiùs allicit, & juſtiùs exigit, & arctiùs ſtringit, & afficit vehementiùs.* Vides etiam ex Bernardi ſenſu, Chriſtum Iesvm in paſſione ſua ſuper omnia reddi amabilem; atque hanc proinde, contemplantis mentem præ reliquis omnibus ad divinum amorem inflammare?

*P. 1. Stim. c. 7.* — *P. 1. Stim. cap. 12.* — *Serm. 20. in Cant.*

Et quam aliam ob cauſam, amabo, ſanctiſſimo Patri Franciſco in illo viſo mirabili, quo vulnerum Chriſti ſacra ſtigmata ipſius carni impreſſa ſunt, Seraphini ſpecies, ſimul crucifixa, ſimul ignita apparuit; niſi ut intelligeretur, Iesvm crucifixum fontem eſſe divinæ charitatis, indéque ardores Seraphicos, inde flammas atque incendia, quibus mens in Deum colliqueſcat, eſſe petenda?

*Vit. c. 13.*

Hoc ipſum denique divinitus S. Mechtildi monſtratum

eſt.

eſt. Quæ feriâ 5. majoris hebdomadæ, ſub initium Miſſæ, ad illa verba: *Nos autem gloriari oportet in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti*; viſa eſt ſibi videre in medio Eccleſiæ arborem proceram & excelſam, quæ Domini crucem ac paſsionem repræſentaret; ex cujus ramis, quaſi totidem ardentes lampades, religata pendebant corda Chriſtum amantium; quarum etiam lampadum flamma oleoſo ſucco alebatur ex eadem arbore promanante. Quo quidem viſo ſignificari intellexit: Chriſti paſsionem optimam eſſe ſancti amoris materiam; nec eſſe quicquam quod humanum cor magis vulneret & inflammet amore, quàm diligentem atque intimam Chriſti pro nobis paſsi & crucifixi contemplationem. *L. 1. prat. ſpirit. c. 22.*

Non igitur cùm te ad frequentem, imò aſsiduam paſſionis Chriſti commentationem invito, perpetuò hærere te velim in luctu & ſqualore pœnitentiæ, non aſsiduo mœrore confici in recogitatione præteritorum annorum tuorum; neque rurſum ſemper ad pedem crucis pectus tundere, & planctu amaro lugere mortem Unigeniti. Sint iſta, ſi placet, eorum qui recens ad Deum converſi ſunt, aut etiam rudiorum exercitia. Sed ut hinc habeas quorumvis ſanctorum affectuum materiam, robuſtæ virtutis magiſteria, & quamlibet ſublimis contemplationis argumenta. Omitto [quando res & tempus ita poſtulat] timores & dolores anxios, vaca ſancti amoris dulcedini, gaude & exulta in Deo Iesu tuo. Et quoniam, ut ſuprà ajebas cum S. Bernardo, illa erga Chriſti carnem affectio, quâ quis repræſentatâ ſibi patientis Salvatoris imagine, facilè compungitur animo, & ſenſibilis iſtius devotionis ſuavitate paſcitur; quodammodo carnalis amor eſt; Sapiat tibi jam in carne Chriſti, Dei bonitas; ſapientia, juſtitia, & reliquæ divinæ perfectiones; quarum in Chriſti paſsione, ſi uſpiam, expreſſa elucent argumenta. Nam neque ei Verbum ut Caro ſapit, opinor, qui ſolidarum virtutum [quas in Chriſti vita ac

morte habet ad imitandum propoſitas ] ardenti ſtudio tenetur, & quaſi guſtu atque ſapore delectatur: aut ipſe Bernardus adhuc carnaliter, & non ſpiritualiter amabat, cùm in alio ſermone diceret; ſe ſemper in corde ac memoria retinere anxietates & amaritudines Domini ſui, & in his ſibi conſtituiſſe juſtitiæ perfectionem, plenitudinem ſcientiæ, &c. Qui etiam ut admonet nos, ſe iſtic & quandam ſanctæ contemplationis quietem, & divini amoris refectionem invenire: *Non requiro*, ſubjungit, ſicut Sponſa, *ubi cubet in meridie, quem lætus amplector mea inter ubera commorantem*: *non requiro ubi paſcat in meridie, quem intueor Salvatorem in cruce.* Quam rem etiam pluribus, ex ipſo Bernardo aliiſque Patribus demonſtrabimus parte tertiâ; ubi proponemus interiorem animæ circa Crucifixum; per actus virtutum Theologicarum, occupationem.

*Serm. 43. in Cant.*

## §. 3.

### *Amorem Dei ſolidum ac fortem, ex Chriſti patientis exemplis petendum & deſumendum eſſe.*

VErùm illud hoc loco adjungendum eſt: cùm ſuprema virtutis abſolutio, aut perfectio hominis Chriſtiani, non in quocunque Dei amore, ſed in charitate ſincera ac forti atque robuſta conſiſtat; hanc non poſſe meliùs, certiùs, ſecuriùs acquiri, quàm aſsiduâ circa Chriſtum paſſum occupatione & exercitatione.

Sunt enim fortaſſe non pauci, qui amoris divini nomen uſque crepent ac ore commendent, qui re ipsâ vim puri amoris & ipſam quaſi energiam, aut in quo illius perfectio ſita ſit, neſciant. Genuinus ille ſincerus ac purus Dei amor ( &, quod hinc conſequens eſt, apex ac conſummatio ſpiritualis vitæ ) non in aliqua intimorum affectuum teneritudi-

tudi-

Digitized by Google

tudine ſitus eſt, non in divinis ſolatijs aut dulcedine ſpirituali, non etiam in pijs lacrymis, quæ potiùs tironum in via ſpiritûs ſunt illecebræ; ſed neque (quod fortè mireris) in tædio rerum præſentis ſæculi, in deſiderio divinæ viſionis atque complexûs, non in aſsidua præſentis Dei memoria, non in orandi aſsiduitate, non denique in ipſa quiete divinæ contemplationis. His quippe omnibus, ſi ſolitariè & ſeorſum ab ijs, quæ mox dicturus ſum, ſpectentur; admiſceri poteſt quædam impuritas, privatus amor, & aliqua [quod ajunt] ſuiipſius exquiſitio.

In quo igitur (inquies) illa perfectio, illa ſummitas & quaſi apex ſancti amoris conſiſtit? In hoc, ut pro Dei creatoris ac redemptoris tui amore ac reverentia, perfectè temetipſum abneges in omnibus, ut teipſum teipſo expropries, ut nullâ re prorſus, etiam ſanctâ ac ſpirituali, ſenſum tuum aut guſtum exquiras; ſed nudum ac purum Dei beneplacitum in omnibus, ſive proſpera ſint ſive adverſa, ſive amara ſive dulcia, unicè & æqualiter attendas. Sive, [uti loquitur libellus de imitatione Chriſti] in *offerendo te ex toto corde tuo voluntati divinæ, non quærendo quæ tua ſunt, nec in parvo nec in magno, nec in tempore, nec in æternitate: ita ut unâ æquali facie, in gratiarum actione permaneas, inter proſpera & contraria, omnia æquâ lance penſando.* *L. 3. c. 25.*

Ille verè ac purè Deum amat, qui, ſolo ipſius divinæ gloriæ ſtudio, ei ſervire vult omnino gratis, & abſque ullius, ſive temporalis, ſive etiam æterni ſolatij ſtipendio; qui eligit potiùs pro illo pati, quàm vel beatis frui cœli gaudijs, itáque animo comparatus eſt, ut (ſi ita ferret Dei voluntas) libenter ſufferret etiam æternos cruciatus; quòd ejus divinum beneplacitum majorémque gloriam, cuicunque ſuo bono anteferat, etiam æternæ ſuæ felicitati, denique, ut verbis alijs, rem tamen eandem explicem, is purè, ſincerè, atque robuſtè Deúm amat, qui non tantùm fert patienter,

ſed etiam hilariter tollit crucem ſuam, neque illam duntaxat exteriorem, paupertatem, morbos, vexationes, dolores, damna, injurias, contumelias; verùm etiam interiorem, hoc eſt animi deſolationem, ariditatem ſpiritûs, mentis tenebras, cordis duritiam, derelictionem ſpiritualem, & alia interna cruciamenta, quibus ſolet Deus fideles ſuos & fortes amicos probare atque exercere; qui amat affligi, derelinqui, contemni, atque etiam ut lutum conculcari; qui nudus omnino, omnino nudum IESVM ſequitur ad montem Calvariæ, & ad mortem, mortem autem crucis; qui eadem cum illo ſentiens, eadémque cum illo amans, eadémque deſiderans, ſibi mortuus in illo ſolo vivit, in eandem ejus imaginem perfectè transformatus.

Quòd ſi vis perfecti amoris in hac abſoluta ſuimet abnegatione & plena humanæ voluntatis in divinum beneplacitum transfuſione ſita eſt: ubi, quæſo, horum ſpeculum illuſtrius invenias, quàm in paſsione ac morte Chriſti? aut in qua Schola citiùs aut ſecuriùs condiſcas prima iſta ac ſumma Chriſtianæ virtutis ac perfectionis principia, quàm in monte Calvariæ, Crucifixo de crucis cathedra divinam illam Philoſophiam clariſsimè docente, & non tam verbo quàm exemplo illuſtriſsimo, ad eam nos quaſi manuducente? *Hanc enim ſapientiam* (inquit Thaulerus) *non in Pariſiorum Gymnaſiis, ſed in Chriſti paſſione diſcimus.* Ex hoc nimirum exemplari re & facto ipſo diſcere debes, in quo poſita ſit puri ac fortis amoris abſolutio; & intrando in cor boni IESV, in profunda quadam ſolitudine & amaritudine ſumma à Deo Patre derelicti, ad hujus ſanctuarij pondus, amoris tui vim ac perfectionem æſtimare.

*Inſtit. c. 31.*

*Sanè vera perfectio* (inquit modò dicta confirmans magnus ſpiritualis vitæ Magiſter Ludovicus Bloſius) *non in perceptione magnæ dulcedinis, neque in conſolationum affluentia conſiſtit: ſed in hoc ſita eſt, ut quis ſe & omnia pro Dei amore*

*Inſtit. Spir. cap. 7.*

*relin-*

*relinquat, ſe verè abneget atque mortificet, & voluntate propriâ in voluntatem Dei integrè transfusâ, liber tranquillúsq; in omnibus quæ ſibi eveniunt, permaneat ac Deo adhæreat, unus ſpiritus cum Deo effectus.* Dixerat autem ſuperiùs ad hanc integram hominis abnegationem requiri; ut, *neque in tempore, neque in æternitate aliquid ſuum quærat; ſed omni proprietate rejectâ, ſe prorſus ſeipſo ſpoliet privétque, & ſibi rebúsque omnibus ita moriatur, ac ſi nunquam creatus fuiſſet.* Ibid. cap. 2.

Juvat denique audire hoc loco ſummum myſticæ unionis patronum Joannem Thaulerûm, eà ſuper re ſic diſſerentem: *Quamvis excellentiſſimum utiliſſimúmque exercitium, quod quidem in hac vita mortali habere quis poſſit, ſit intrinſecus in ſpiritûs unitate cum Deo quieſcere & operari: huic tamen immorari non oportet. Etenim aliud adhuc longè excellentius utiliúsque exercitium eſt, in quo nimirum à Deo probamur & exercemur: & hoc eſt reſignatio in perpetuo continuóque languore, in ſterilitate, obſcuritate, & paupertate ſpiritûs.* Sic ille. Ep. 9.

Ad hunc arduum atque ſublimem Chriſtianæ virtutis & perfectionis verticem, qui ſe evaſiſſe meritò ſibi perſvaſerit; is jam, per me licet, laborioſum iſtud circa Chriſti carnem, ejúsque ſanctiſsimas actiones ac paſſiones, ſtudium atque exercitationem omittat, omnem etiam, ſi placet, ex animo ſuo (quanquam neque iſta in ſequentibus conceſſurus ſum) non tantùm rerum cæterarum ſenſibilium, ſed etiam ipſius ſacratiſsimæ Chriſti Humanitatis expungat imaginem, perfruatur quodam ſancto otio, & in ſolis divinitatis myſterijs, atque intima & ſinè medio ejus contemplatione occupetur. Qui verò (quod Sancti, etiam ſummi quique, fecêre) etiamnum ſe in imperfectis numerat, qui in ſe invenit, atque agnoſcit, non pauca quæ corrigat, quæ mortificet aut reſecet, quæ conformet aut expoliat; is neque oculos de ſummo illo exemplari, neque manum tollat

tabula, aut (quod huic loco magis convenit) à ferro ſeu ſcalpro abſtineat; ſed attentâ Chriſti crucifixi contemplatione, ad ejus formam & imaginem ſeſe componat perficiátque: ne ſi fortè nondum ſatis inſtructus virtutibus, aut in perfectæ abnegationis ſtudio minùs exercitatus, ad altiora aſpiraverit, multis ac gravibus in via ſpiritûs obnoxius ſit periculis. quam rem (uti momenti permagni eſt in propoſito) proximo capite aliquanto impenſiùs pertractabimus.

# CAPUT III.

## Rem eſſe periculi pleniſsimam, præproperè omiſſo Chriſtum crucifixum imitandi ſtudio, ſublimiores & inſolitas divinæ contemplationis vias affectare.

EQuidem hac in re triplex potiſsimùm, & undequaq; grave, periculum deprehendo: primum, ab occulta ſuperbia; alterum, ab amore proprio ſpirituali; poſtremum, à ſolidarum virtutum inopia atque vacuitate: de quorum ſingulis ordine ſuo diſſerendum eſt.

### §. I.

*Eos qui præfeſtinè altiora illa affectant, ad id plerumque occultâ ſuperbiâ duci.*

PRimum igitur hoc loco ſatísque obvium periculum eſſe poteſt ab occulta ſuperbia; dum quis aliquantum progreſſus in via ſpiritûs, & à noxis conſvetis ſe abſtinens, fortaſſis etiam (ut fieri amat ſub initia) nonnullis divinis illecebris, ſolatiiſque cœleſtibus lactatus, eò confeſtim ad abstruſiores & paucis cognitas contemplandi vias aſpirat, quòd perfectum ſe jam exiſtimet, dignúmque quem Deus magis inti-

intimâ dignetur familiaritate: certè tritas illas meditandi atque operoſiùs diſcurrendi rationes, omnémque adeò circa Chriſti vitam & cruciatûs occupationem, minùs jam ſibi convenire; quòd eæ artes tyronum propriæ atque incipientium ſint, ultra quos ipſe jam evaſerit, ſummis propior effectus.

Quam ego occultam ſuperbiam appello, quòd eum, qui eo teneatur morbo, ipſa lateat; cùm interim aperta ſit per ſeſe, & manifeſtum indicium, hominem, non (uti ſibi blandè perſvadet) ad perfectionem perveniſſe, ſed magnis adhuc animæ morbis, & (ut cum antiquo quodam hoc dicam) intercutibus vitijs, laborare. *Agell. l. 13. cap. 8.*

Proprium quippe perfectorum eſt, ut (quod ſpeciatim de S. Franciſco legimus) humilitatis amore, ſeſe in imperfectis, imò in numero peccatorum habeant, ſeſéque indignos acceptis jam Dei donis exiſtiment; multò minùs ut rara, inſveta, & paucisſimis conceſſa affectent. Meminerunt etenim præcepti Magiſtri noſtri, quo invitati ad nuptias, conſiſtere monemur in loco noviſsimo, dum ſuperiùs jubeamur aſcendere. Sciunt, ſanctæ humilitatis ac demiſſionis ſtudium, quovis eventu atque occaſione, Deo ſemper eſſe placitum, & ſecuram ad Deum atque divina viam munire: vias autem illas retruſiores, quæ ſublimiores ac diviniores videantur, plerumque incertas, ſæpe etiam grandibus periculis opportunas eſſe, nec raró (quod nunc contendimus) occultæ ſuperbiæ, & amori proprio ſubtiliſſimo, materiam ac pabulum præbere Proinde ſalubriter hîc præcipere S. Bernardum: *Oportet namque humiliter ſentire de ſe nitentem ad altiora, ne dum ſupra ſe attollitur, cadat à ſe, niſi in ſe firmiter per veram humilitatem fuerit ſolidatus.* *Serm. 34. in Cant.* Quibus affinia ſunt illa ſapientiæ verba apud Henricum Suſonem: *Nemo poteſt ad divinitatis meæ celſitudinem atque ad inſolitam pertingere ſuavitatem, niſi antè per humanitatis meæ* *Dial. c. 2.*

*duca-*

[library stamp]

*ducatur amaritudinem. Nam quò quiſpiam ſinè hac altiùs aſcendere nititur, eò profundiùs prolabetur.* Et illa Abbatis Bloſij: *Fruſtra ſanè aſceta aſpirat ad myſticam germanámque contemplationem, ſi ſe exercere non vult in meditatione paſſionis Dominicæ, ac verâ humilitate. Nam niſi illam pro fundamento habeat, quò per contemplationem altiùs aſcendere pertentaverit, eò profundiùs corruet.* Sic illi.

*Inſtit. ſpir. cap. 6.*

Ex quibus apparet, quanti ea res ſit periculi; eóque ſtudioſiùs eſſe cavendam, quò faciliùs incautis poteſt obrepere.

Neque enim, ut indicabamus, quidquam eſt factu proclivius, quàm ut ijs, qui jam nonnihil in via ſpirituali proceſſerint, aut ſenſum aliquem rerum divinarum acceperint, imponat blanda perſvaſio, ut contrà quàm de ſe ſentiebat Apoſtolus, arbitrentur ſe jam comprehendiſſe, aut perfectos eſſe. Nam, ut ſapienter admonet S. Gregorius: *Plerumque in eo quiſque converſus labitur, quod dum quibusdam donis gratiæ, dulcedine inchoationis, excipitur, conſummationem accepiſſe ſe perfectionis arbitratur; & plenitudinis conſummationem æſtimat, quæ adhuc blandimenta eſſe inchoationis ignorat.* Atqui oppoſitâ, me autore, viâ procedet, quisquis periculi ſecurus eſſe voluerit.

*Philip. 3.*

*L. 24. Mor. cap. 13.*

Rara enim avis eſt in terris, rarus (mihi crede) homo perfectus: rarus, qui ſeipſum non omni duntaxat carnali aut terreno affectu, ſed omni etiam (uti loquuntur) ſui proprietate exuit; qui mundo mortuus, mundo crucifixus, & cum Chriſto cruci confixus ſit; qui demum ad eam mentis & corporis puritatem pervenerit, ut non indecorè ad oris divini oſculum, & intimos illos aſpirare poſſit amplexus. Quanquam neque qui hujusmodi ſit, continuò aut ſponte ſuâ, in arcanum Regis cœleſtis cubiculum irruet, ſed indignum ſeſe omni Dei dono ſentiens, foris ſtabit verecundè excubans, expectánsque, ſi quando jubeatur ad interiora ſucce-

ſuccedere. Eò quippe quisque humilior eſt, quo ſanctior: & potiùs eligit ſecurâ humilitate Deo placere, quàm vel temerariâ curioſitate, vel periculosâ familiaritate, ad eum propiùs accedere.

Attende hîc Sponſæ verecundiam: *Introduxit me Rex* (inquit) *in cellam vinariam.* Non audet Sponſa, niſi ipſo Rege ac Sponſo introducente, intrare in cellam vinariam, in ſecretas charitatis apothecas; & tu in illas invocatus te ingeres, & promptuariâ divinæ dulcedinis, paucis & intimis familiarium repoſita ac reſervata, perrumpes? Singulariſſimum Dei donum eſt, arcana ac pura Dei contemplatio; neque humano ſtudio, diligentiâ, induſtriâ (etiam cum conſvetis divinæ gratiæ ſubſidijs) parari ſolet; ſed Dei liberalitate & favore extraordinario, & paucis omnino, conceditur. Proindéque hoc ipſum argumentum tractans S. Bernardus, aliique Patres relati à P. Thoma à Iesu in opere de contemplatione divina, rectiſsimè admonent: neque omnes qui perfecti ſint, ad ſublimem illam divinæ contemplationis formam locari; neque hoc ipſo quod ad illam quisquam elevetur & admittitur, hoc ipſo, inquam, cenſendum eſſe perfectum. Indicátque itidem S. Tereſia ſubinde ad ſpecialem Dei familiaritatem vocari animam nondum virtute perfectam. Id ita agente paternâ videlicet Dei providentiâ; ut & ſe Dominum donorum ſuorum oſtendat; & ij qui jam perfecti videntur, in Dei donis non extollantur, nec ea attribuant ſuis meritis: quippe quæ videant, aut alijs dignioribus negari, aut etiam minùs dignis concedi. Et qui minùs perfectos ſe ſentiunt, dum ſe donis acceptis omnino indignos agnoſcunt, hoc ſecuriùs ſe in ſancta humilitate contineant, & ad ſincerum ac purum munificentiſſimi largitoris amorem magis accendantur. Ita in utrisque conſervatur ſanctæ humilitatis ſtudium, ſinè quo eſſet inutilis, imò perniciosa, quantumvis ſublimis Dei contemplatio.

*Cant. 1. & 2.*

*L. 1. c. 9.*

*In Vita ſua cap. 22.*

Ex

Ex his autem & illud ulterius conficitur, quod & per ſe plurimùm intereſt, & apprimè facit ad rem præſentem: perfectionem vitæ ſpiritualis in ſublimi illa Dei contemplatione non conſiſtere, ſed neque illius jam acquiſitæ, hoc certum pignus aut ſignum eſſe; cùm, ut modò vidimus, ſubinde ad donum divinæ contemplationis eleventur, qui adhuc in vita ſpirituali imperfecti ſint, idémque multis negetur, qui ſint perfecti.

## §. 2.

### *In eo negotio non rarò amorem proprium, & privatam ſui exquiſitionem latere.*

Alterum periculum eſt ab amore proprio ſpirituali. Quo nomine eum animi affectum intelligo, quo quis res etiam ſpirituales ac ſanctas, ipſáque etiam gratiæ dona impurè & inordinatè diligit, & cum proprietate poſſidet, non Deum in illis, ſeu Dei beneplacitum ac gloriam, ſed ſeipſum, hoc eſt proprium ſuum guſtum, affectum, delectationem exquirens, inque eorum, licet ſpirituali dulcedine, ſordidè & intemperanter acquieſcens. Quem affectum invenio à Joanne Taulero non incongruenter fornicationem ſpiritualem, à Lanſpergio autem & Bloſio, gulam ſpiritualem appellatum. De quo etiam agens S. Catharina Senenſis, amorem proprium ſpiritualem affirmat eſſe graviorem ac periculoſiorem amore rerum in ſenſus ipſos incurrentium, eúmque à paucis caveri; quòd magis ſubtilis, atque obſervatu difficilis ſit, ut qui ſub boni larva ſubintret, & ſpecie virtutis ac ſanctitatis decipiat. Itaque etiam Lætienſis Abbas aſcetam ſuum ſtudiosè admonet; ne immoderatè ſuavitatem ſpiritualem appetat, ut quæ in ſolo Deo, non autem in donis ejus quieſcat. *Siquidem* (inquit) *corrupta natura, ad*

*Serm. 2. de Quadrag.*
*Lanſp. præf. Phar.*
*Bloſ. tab. ſpir.*
*Dialog. c. 1. Vit. c. 25.*
*Inſtit. ſpir. cap. 2.*

*ad ſeſe in omnibus reflecti, & etiam in Dei donis ſeipſam quærere ſolet.* Porrò ſigna hujus amoris impuri hæc eſſe poſſunt ſi quis exempli cauſâ, ſolatiorum cœleſtium dulcedine nimiùm teneatur, ſi ea inquietè deſideret, ſi ad ſingularia & paucis conceſſa Dei dona importuniùs aſpiret, ſi divinioris ſuavitatis experiendæ ſtudio ſecretos amplexus divinitatis ambiat, aut in Sponſi thalamum ſeſe ingerat invocatus. Atque ab hoc amore proprio, dico non leve eſſe periculum aſcetæ; dum affectibus ſuis nondum domitis, & intempeſtivè abrupto perfectæ abnegationis ſtudio, quam ex Schola crucis haurire & combibere debuerat, quaſi abſque alis ad ſublimiora nititur; & laborioſæ exercitationis pertæſus, neſcio quam captat interioris otij dulcedinem, & divini cordis ſapores intimos æquo cupidiùs curioſiùsque venatur.

Nimirum facilè fallit incautos dulce divinæ contemplationis nomen, & tot illa ſpecioſa magis quàm perſpicua vocabula, adhæſio ad Deum ſinè medio, attactus myſticus, complexus intimus, liquefactio animæ, reſolutio in ipſam divinitatem, divina caligo, ſilentium animæ, expunctio omnis imaginis, intellectus indepictus, nudus & Deiformis animæ fundus; & ſi quæ alia à myſticis Doctoribus uſurpari ſolent, pro rerum quidem obſcuritate non inconvenienter excogitata, ſed ad eorum captum qui ipſarum rerum inexperti ſint, difficilia ſatis atque perplexa.

Nec periculo vacat ejuſmodi rerum experiendarum curioſa cupiditas. Quippe (*id etiam fatente* S. Tereſiâ *itiner. perf. c. 16.*) ſenſus ſublimes, guſtus intimi divinis ſimiles, & quædam velut extaſes & mentis exceſſus, ab Angelo Satanæ eſſe poſſunt: at ſincera ſui deſpicientia, veráque humilitas, ſolum Deum habet autorem.

Securiùs igitur faciet anima, ſi ſanctæ humilitatis retinens, & altioribus Dei donis indignam ſe ducens, reſiſtat

D in

in monte Calvariæ, atque ex dilecti imitatione, amet agere & pati fortia, & quoad reliqua ſe ei permittens, non niſi eodem apertè vocante, ac ducente in montem excelſum, de quiete cogitet theoricæ contemplationis. Quin & conſultiùs facturam dico, ſi dum ad illam vocari ſe ſentit, verecundè declinet amplexus Sponſi, & ſuſpecta habeat prima ejusmodi familiaritatis initia: ne fortè dum nimis cupidè illas ſectatur ſpirituales illecebras, convincatur non caſto amore duci, ſed impurâ cupiditate impelli; & miſerè deluſa, pro quiete unionis myſticæ, iners inveniat ac ſterile mentis otium; & pro legitima atque divina mentis contemplatione, nudam illius prenſet imaginem, & in mera quieſcat umbra contemplationis.

Audiatur de his accuratè diſſerens Abbas Bloſius; in ſpeculo ſpirituali: *Nonnulli* (inquit) *perfectionem ſtolidè in hoc conſtituunt, ut ipſi quieti ac liberi, intellectum ſuum ab imaginibus expedire, ſeſéque cum nuda & otioſa ſenſualitate intra ſeipſos recipere poſſint: negligentes interim Dei amorem, & qualibet pia opera atque exercitia. Qui quidem falſæ quietis ſectatores* (*cùm ſeipſos impuriſſimè quærant, & in ſeipſis potiùs quàm in Deo delectentur*) *miſera diaboli mancipia ſunt. Legitimi verò contemplatores, ſupernaturaliſque quietis cultores, ita mentis nuditatem & ſanctum otium ſectantur, ut tamen bona opera atque exercitia non deſerant. Nam & virtutibus dant operam pro viribus, & Deum laudant, & paſſionem Dominicam recolunt, &c. honorem item Dei potiùs quàm propriam delectationem ſpectant & quærunt. Deus in eis nobiliſſimum opus ſuum peragit*: & quæ ſequuntur. Eadémque fere iterum tradit atque inculcat in quadam epiſtola inſerta farragini utiliſſimarum inſtitutionum.

Cap. 11.

§. 3.

## §. 3.

### *Eoſdem plerumque imperfectos, & veris virtutibus vacuos remanere.*

POſtremum periculum eſſe diximus, à ſolidarum virtutum inopiâ. Quando ipſo uſu atque experimento compertum eſt: eos qui, priusquam in ſeſe perfectè abnegandis, comparandíſque ſolidis ac veris virtutibus (quarum ſanè Schola certiſſima & compendioſiſsima eſt IESUS Chriſtus crucifixus) multum ſtudij atque operæ poſuerint, ad arcanam illam, & ſinè medio (ut ajunt) cum Deo adhæſionem nituntur, atque à recepta diſciplina remotas, uſúmque communem tranſcendentes orandi vias, incautiùs conſectantur; non temerè ullam virtutem egregiam acquirere, ſed plerumque jacere in infimis, inolitis nimirum affectibus, & vitiorum fibris nuſquam evulſis: eò difficiliore remedio, quò magis ſe arbitrantur profeciſſe.

Hinc enim illos perſæpe videas, cæcâ quadam philautiâ occupatos, præfidentes ſibi atque plus æquo tribuentes, odioſo faſtidio alios præ ſe deſpicientes, proprij ſensûs ac judicij pertinaces, communium negligentes, ſingularia ſectantes, ad majorum ductum & obedientiam difficiles, atque ad externa pietatis opera, quibus à Deo ad proximum avocari videantur, parum propenſos: quò divinioribus (ut ipſi autumant) cogitationibus atque exercitationibus occupati ſint: cùm magis inerti & falſo quodam diſtineantur ſpiritûs otio, quàm germanâ contemplatione perfruantur. Sincera quippe divinitatis contemplatio, ſolidarum virtutum, non noverca, ſed mater eſſe ſolet: éſtque nominatim falſæ atque fucatæ contemplationis indicium, ſi quis inde reſtingui aut tepeſcere in ſe ſentiat ſimplicis ac promptæ obedientiæ ſtudium, ac zelum ſalutis animarum; cùm è contra legitimus contemplator ſciat (quod ajunt) Deum prò

Deo libenter relinquere, & promptus ſit ad Domini vocem, (hoc eſt ad quamlibet Rectoris juſſionem) etiam ſuum Iſaac hoc eſt riſum & gaudium ſuum, ſive illam omnem quam in contemplationis quiete præcipit ſuavitatem, ipſi Domino ſacrificare. Alioqui enim [ut rectè admonet magna illa contemplatrix S. Tereſia] *quòd nolimus per obedientiam distrabi, potiſſima cauſa eſt amor proprius; qui hîc* (inquit) *adeò ſubtiliter ſe inſinuat & intermiſcet, vix ut diſcerni poſſit; quòd ſcilicet potiùs nobis ipſis, quàm Deo placere velimus.* Unde è diverſo ipſa exclamat: *O beata obedientia! ô beata, quæ illius cauſâ contingit, diſtractio.* Quemadmodum & S. Bernardus monet deditum contemplationi, ne propriæ amore quietis, de ſanctæ obedientiæ actibus quicquam detrahat. *Alioqui*, inquit [quod quidem ad complexum amoris myſtici attinet] *non dormiet tecum Sponſus in lecto uno, illo præſertim, quem tibi pro obedientiæ floribus, urticis inobedientiæ aſperſiſti.* Quod autem ad zelum animarum, is alio in loco diſertè docet, hoc habere veram & caſtam contemplationem, ut mentem accendat ad multos acquirendos Deo, qui eum ſimiliter diligant.

*I. fundat. cap. 5. apud Lemie.*

*Serm 46. in Cant.*

*Serm. 57. in Cant.*

Quòd ſi ij, de quibus agimus, in hæc fortè vitia non incidant; at ſaltem, quod hîc contendimus, plerumque imperfecti permanent, neque ad ullius virtutis ſolidæ perfectionem perveniunt. Nam ferè ſterilis eſt, & ad virtutis uſum minùs accommodata contemplatio, quæ non deſcendit ad ſingula, quæ manum operi non admovet, ſed ſemotis ab uſu rerum contenta theorematis, nunquam in actuoſo pulvere & ipſo virtutum exercitio verſatur: quarum equidem leges atque exempla conſtat, ex Chriſti vita ac paſſione potiſſimùm eſſe requirenda.

Ut vel hinc appareat quàm miſerè illos in fraudem impellat, præproperum ſuum ſublimioris contemplationis, & intimæ cum Deo conjunctionis ſtudium, dum ſpiritualis fru-

fructus inanes, & veræ virtutis vacui remanent: quia neque germanam ac legitimam contemplationem aſſequuntur, ad quam non ut oportet, aſpiraverint; neque à virtutibus ſolidis ſe ſatis inſtructos atque paratos inveniunt, ut quarum ſtudium præfeſtinè reliquerunt. Ita dum omiſſis conſvetis medijs, finem ac terminum inconſulto impetu affectant, neque finem obtinent, neque in medijs utiliter conſiſtunt, ſed otio ſterili aut labore ſtulto deluduntur; ſicut ſcriptum eſt: *Labor ſtultorum affliget eos, qui neſciunt in urbem pergere*; hoc eſt, viam rectam aptámque methodum, ad quemque finem adhibere. Eccl. 10.

Proindéque, ut ego exiſtimo, agit id plerumque occultâ fraude ſerpens antiquus; ut quos à virtutis pietatiſque ſtudio, ſæcularium illecebrarum objectu nequit avertere, eos amplioris boni obtentu fruſtretur fine laboris ſui; ne ſcilicet unquam ad perfectionem evadant; quin potiùs ſeſe in gravia diſcrimina, eáque improviſa, induunt, & ſubinde etiam abſque remedio corruant.

Ex quibus omnibus id conficitur, qui ſcopus erat capitis præſentis: Eos qui relictâ communi viâ & Sanctorum paſſim preſsâ veſtigijs, ignota quærunt diverticula, & ſemitas non tritas temerè conſectantur, multis erroribus ac periculis eſſe obnoxios; & ſæpe vel in præcipitia, aut etiam in latronum inſidias incidere, vel cæcâ nocte deprehenſos in tenebris ambulare, vel ipſâ callium perplexitate deluſos, eò unde cœperant, redire, & ſe in eodem quaſi veſtigio invenire.

Nunquam aberravit quiſquis viam regiam ſecutus eſt, viam inquam crucis, & perfectæ ſuiipſius abnegationis.

Quòd ſi fortè te Deus, in via ſpiritûs ambulantem, & in ſancta quadam ſolitudine degentem, de medio rubi ardentis vocet ad propinquiorem ſuæ divinitatis contemplationem, tunc eas licet, & videas viſionem magnam: ſed ita

Digitized by Google

ita ſi priùs cum Moſe, calceamenta de pedibus detraxeris; hoc eſt, ſi ad exemplar IESU Chriſti crucifixi, diligenter te in ſtudio propriæ abnegationis exercueris, ſi omnes carnales & terrenos affectus exueris; ut ſic ad ſecretam Dei viſionem admiſſus, coram igne illo conſumente, puris veſtigijs & mundo corde poſſis aſſiſtere. Quanquam neque ei qui divinitatem ita de propinquo contempletur, deponendam omnem paſſionis Chriſti memoriam, ſatis indicet ſpecies ipſa rubi, in quo ſeſe Deus ſingulariter ſpectandum præbuit. Quid enim eſt rubus ardens in monte, niſi Dei filius ſpinis obſitus, & plagis confectus, præ amore moriens in cruce? aut quid aliud fuit tota vita & paſſio Salvatoris, niſi incenſus ardor amoris, in rubo perpetui doloris?

# CAPUT IV.

## Etiam ijs qui perfecti ſint, paſsionis Chriſti memoriam, aut devotam circa Crucifixum occupationem non eſſe omittendam.

### §. I.

*Non omnes perfectos ad unionem myſticam vocari: & quos Deus vocat, non continuò ad ſummam ſui contemplationem aut fruitionem admittere.*

HÆc conſideratio non unam continet noſtri pronuntiati rationem.

In primis enim, (ut prædiximus, & obſervat Bloſius aliique Magiſtri ſpirituales, & tradit etiam nominatim S. Bernardus) non omnes, etiam qui perfectionem aſſecuti videan-

*Serm. 31. in Cant.*

deantur hîc invitat Deus ad illam ſui familiaritatem intimam, ſed eam reſervat alteri vitæ: ubi fideles illi Dei amici, eò perfectiùs beatiúsque Deo fruentur, quò magis in vita exerciti probatíque fuerint, & quò majori patientiâ, demiſſione, reſignatione animi, in quemvis eventum atque occurſum, divinæ ſe ſubjecerint voluntati.

Paucos videlicet aſſumit Iesus, quos ſecum ducat in montem excelſum ſeorſum, ad arcanam magnitudinis & gloriæ ſuæ contemplationm, Sed omnes invitat ad jugum Calvariæ, ad ſpectaculum atque conſortium doloris & contemptûs ſui, ad illam probroſam atque cruentam, ſpecioſi formâ præ filijs hominum, in virum dolorum, in vermem & opprobrium hominum, transfigurationem. *Dicebat* enim (ut diſertè S. Lucas) *ad omnes: Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me:* utique ad montem Calvariæ, quo nos ipſe anteivit bajulans crucem. *Luc. 9.*

Prius illud ſuavius fortaſſis: at nobis plerumque poſterius illud conducibilius eſt: ut proinde minùs conſultò, vel leviter guſtatâ divinæ contemplationis dulcedine, continuò exclamemus cum Petro: *Domine, bonum eſt nos hîc eſſe*; cùm potiùs nobis (niſi ad ſe nos Deus potentiùs trahat atque evocet) alibi ſcilicet tabernacula figenda ſint: hoc eſt, (ut in loco cum S. Bonaventura dicemus) in plagis Chriſti crucifixi, atque potiſſimùm in corde dilecti noſtri vulnerati.

Deinde, ut Deus tibi guſtum aliquem ſubinde tribuat intimæ ſuæ præſentiæ, & indicia præbeat futuræ aliquando majoris familiaritatis: non idcirco repente ad ſumma quæque te ingeres, ſed veluti priùs, circa ſacram Chriſti Humanitatem exercebere, donec manifeſtius fiat, quid Deus in te denique moliatur.

Nimi-

Nimirum velut in naturæ, ita & in gratiæ operibus, ad ſumma non niſi per media pervenitur. Multis gradibus aſcenditur in templum Domini conſtructum in monte Moria; id eſt, divinæ viſionis ſeu contemplationis. Atque iſtuc cùm evaſeris, diu multúmque occupandus es circa altare holocauſtorum; jugulandi nempe omnes irrationales affectus, detrahendæ pelles, ſeu veteris hominis exuviæ; quidquid in te carnale & animale eſt, ſacro illo igne abſumendum; priusquam accedas ad altare thymiamatis, ubi jam ſinè ferro & ſanguine, ſolis odorum vaporibus, hoc eſt amore puro, & liberi ſpiritûs ac tranquillæ mentis ardoribus, Deo litetur.

Priùs cum Magdalena rigandi lacrymis pedes Domini, & unguento ungendi, quàm cum Sponſa oris oſculum affectandum; monente graviter S. Bernardo: non temere aſſurgendum ad os ſereniſſimi Sponſi, ſed ad pedes Domini jacendum, dum ad altiora invitemur. Et vetuſtius eſt S. Paulini monitum: *Pedibus Chriſti oſcula caſta figamus, ut mereamur à pedibus in caput ſurgere.* Quapropter ſubdit eo loco S. Bernardus: *Nolo repentè fieri ſummus, paulatim proficere volo.* Et ſubinde: *Longus* (inquit) *ſaltus & arduus de pede ad os.* Illud nimirum ſubindicans, etiam poſtquam diutiùs ad pedes Domini, in contritione cordis & pœnitentiæ luctu, jacuerimus, non continuò nobis aſpirandū eſſe *ad ſummum illud quodcunque eſt* [ ut ipſe ait ] *ſummæ dignationis & miræ ſuavitatis oſculum*: ſed intermedijs virtutis actibus & pietatis, operibus [ donec nos Deus ad altiora evocaverit ] cum patientia perſiſtendum.

*Serm. 3. in Cant.*

*Ep. 4. ad Sever.*

Cujus rei ſpecimen habemus in B. Catharina Genuenſi: quam tametſi etiam penè infantem mirabiliter Deus per viam perfectionis deducere cœpiſſet, non tamen voluit, niſi quibusdam quaſi gradibus ad amoris myſtici perfectionem aſcendere, & à complexu pedum Salvatoris, ad oris divini

bea-

beatum oſculum pervenire. Nam, uti pluribus in ejus vita eſt proditum, poſtquam interiori Chriſti Domini crucem bajulantis, & ſanguine undique manantis aſpectu, ad Deum efficaciter converſa eſt, ; viſa eſt ſibi principio conſtitui ad Chriſti ſervatoris pedes ſanctiſſimos, ad quos anni circiter ſpatium conſiſtens, miris à Deo luminibus illuſtrabatur. Exinde altiùs in Crucifixum elevata, & ſecretas quasdam in eo divini amoris vias recognoſcens ( quod tres ipſos annos tenuit ) dolore pariter atque amore conſumebatur. Tum verò ad Chriſti pectus admiſſa, conſpexit in illo ſacratiſsimum cor Crucifixi, quod ei omnino ignitum apparebat, ita ut & ipſa ab eo videretur accendi. Poſtremò poſt plures hiſce in ſtudijs exactos annos, dulciſsimo denique ac ſuaviſsimo Iesu Chriſti oſculo dignata ( quo myſtica & ſuprema adhæſio, ac transformatio in ipſum Deum ſignificatur ) in ipſam abyſſum Divinitatis immergi atque abſorberi viſa eſt; ita ut ſeipſam in illa perdens, dicere poſſet cum Apoſtolo: *Vivo autem jam non ego, &c.* His illa gradibus ad intimam illam cum ipſo Deo adhæſionem, & nudi ac puri amoris perfectionem evecta eſt; ſenſim videlicet proficiens, & ipſo progreſſu in ſacris Iesu Chriſti membris opportunas ſibi commorationes, & tanquam ſtationes inveniens

*Vit. cap. 2.*

*Gal. 2.*

Quæ tametſi à nobis ita dicuntur; nolim tamen quiſquam in eum ſenſum accipiat, quaſi ignorem, varias atque multiplices eſſe vias modoſque divinæ ſapientiæ; aut tanquam non poſſit velitque aliquando Deus, extra conſvetum ſuæ providentiæ ordinem, aliquem repentè ad perfectum amorem & myſticam ( quam vocant ) cum divino ſpiritu unionem adducere; ſicut ſcriptum eſt: *Facilè eſt in oculis Dei, ſubitò boneſtare pauperem:* ſed tantùm quòd viam Sanctorum regiam, certam, atque ſecuram demonſtremus; quam ( uti patebit proximo capite ) etiam ij ſecuti ſint, qui

*Eccli. 11.*

in carne mortali tanquam Seraphini amore arſerunt, & ad ſummum gradum divinæ contemplationis pervenerunt.

## §. 2.

### *Actum intimæ contemplationis, nec perpetuum, nec diuturnum eſſe poſſe.*

NEque omittendum videtur, quod non parùm facit ad rem præſentem: quos Dei bonitas illo perfectæ contemplationis dono dignatur, eos non aſsiduè in illo lumine divini vultûs ambulare, aut in illud intrare quoties aut quamdiu libuerit. *Quis enim* (inquit S. Bernardus) *non dico continuè, ſed vel aliquamdiu, dum in hoc corpore manet, lumine contemplationis fruatur?* Nempe ſpiritus, uti ubi vult ſpirat, ita quando vult, & quantum vult. Et licet nonnullis Sanctorum conceſſum fuiſſe ſciamus; ut objectâ ſibi qualibet rerum divinarum ſpecie, & ad minimum quaſi divinæ gratiæ attactum, confeſtim raperentur in Deum; alijs autem, ut, cùm clauſo oſtio cordis, & compreſſis omnibus animi ſui motibus, ſeſe ad orandum in Dei conſpectu componerent (ut olim Eliſæo contingebat, ad citharæ harmoniam, irruente in illum ſpiritu Domini) illico divina paterentur; neque tamen in illis vehementior hîc divinorum ſenſus conſuêrat, aut omnino poterat, eſſe perpetuus; Vt propterea quandoque Deum impenſiùs rogarent, ut illam ſubtraheret cœleſtis gratiæ divinæque dulcedinis copiam, quòd ei continendæ impares ſentirent anguſtias cordis ſui. Quò ſpectat & illud Gilleberti Abbatis: *Anima mea liquefacta eſt, deficiens à comprehenſione, & non ſufficiens ex vehementi & violenta dulcedine, perſiſtere & morari in admiratione.* Atque iſtud quoque quod modò dixi, paucorum eſt, fit enim plerumque, ut (quod ſermone quodam ſuſpirans ajebat S. Bernardus) divinæ illius contemplationis ac fruitionis

*Serm. 51. in Cant.*

*Serm. 44. in Cant.*

*Serm. 23. in Cant.*

tionis

tioris; *ſit rara hora, & parva mora*; aut, ut alibi ait, *ad tempus, & tempus modicum, velut in tranſitu,* ſeu (uti loquitur S. Auguſtinus) *ſuperſtrictim & raptim, & quadam quaſi coruſcatione luminis æterni.* Qui proinde etiam in libris Confeſſionum ſuarum, illum commemorans mentis exceſſum, quem inter loquendum de cœleſti gloria cum S. Matre ſua expertus eſſet: appellat illum, *momentum intelligentiæ*, in quo *modicè toto ictu cordis* & *rapida* tantùm *cogitatione* attigerit æternam ſapientiam: & poſtea agens de eo quod extremis animis experiretur, ita loquitur cum Deo ſuo: *Aliquando intromittis me in affectum multùm inuſitatum introrſum, ad neſcio quam dulcedinem, quæ ſi perficiatur in me, neſcio quid erit, quod vita iſta non erit. Sed recido in hæc ærumnoſis ponderibus, & reſorbeor ſolitis, & teneor & multùm fleo, &c.* Hæc Auguſtinus. Denique, ut ait Gillebertus ſuprà: *gaudium contemplationis eſt inſtar puncti.*

*Serm. 32. in Cant.* *In Pſ. 41.* *In Pſ. 36.* *Lib. 9. c. 10* *Lib. 10. c. 11.*

Igitur neque qui perfecti ſint, & dono etiam arcanæ contemplationis dignati, continuò amittent ex animo ſacræ humanitatis Chriſti imaginem, aut à recolendis vitæ & paſsionis ejus myſterijs ſibi prorſus ceſſandum exiſtimabunt, ſed huc revolventur, eáque ſe paſcent commentatione, ſi quando à divinæ contemplationis ſublimitate in ſeipſos recident, & ſolitis curis atque ærumnis reſorbebuntur. *Nolenti quippe animo* (inquit B. Gregorius agens de ſilentio contemplationis, quod in Apocalypſi dicitur factum quaſi dimidiâ horâ) *dum cogitationum tumultuoſi ſtrepitus ſe ingerunt, etiam ſublimibus intendentem, rurſus ad reſpicienda terrena, cordis oculum vehementer trahunt.*

*L. 30. Moral. c. 24.*

Quamlibet ſublimè ſubvecti eſſe videamur, attamen ſemper homines ſumus, non mentes à corpore ſecretæ: & animus iſte, quamdiu alligatus eſt corpori, non valet in rerum diviniorum obtutu, & illâ quaſi contemplationis acie diu conſiſtere; ſed ſenſim ad ſibi familiares imagines, &

ſenſibus ſuis cognata viſa revertitur: & quamlibet contrà alioqui contenderis, remittit ſeſe, & ipsâ etiam contentione langueſcit. Igitur his quaſi adminiculis ſuſtentanda eſt ſpiritûs noſtri infirmitas; & quadam exercitiorum viciſſitudine, tanquam flabello, identidem eſt excitanda & redaccendenda noſtra dovotio.

Eſto, quando ita vis, inſtar candidæ ac pernicis columbæ, & libero volatu per auras excelſæ contemplationis evecta, æthere ſublimi ac cœlo puriore fruere. Attamen ubi ſumma quæque pennâ exultante pervolaveris, dulce erit denique reverti ad arcam humanitatis Chriſti; dulce habitare in petra, & nidificare in ſummo ore foraminis, hoc eſt in vulneribus Salvatoris; dulce erit, interdum degere & gemere ſuper rivulos aquarum, hoc eſt lacrymarum ex oculis Chriſti profluentium; & reſidere juxta fluenta pleniſſima, hoc eſt juxta torrentes ſanguinis ex ejus plagis, & potiſſimùm ex aperto latere, largiter ſcaturientis.

*Gen. 8.* *Ierem 48.* *Cant. 5.*

Neque verò Sponſa illa de Canticis (quæ animæ contemplatricis typus eſt) præſentem ſemper habet dilectum; ſed ſubinde quærit, & non invenit, & vagatur exquirens ſiqua ejus deprehendat veſtigia, ignorans ubi paſcat, ubi cubet in meridie, & nunc à cuſtodibus Civitatis, nunc ab adoleſcentulis eum pariter amantibus ac ſequentibus, num eum viderint, aut de eo aliquid auditione acceperint, ſolicitiùs inquirens.

*Ibidem.*

In illa igitur dilecti velut abſentia, in hac deſolatione ſpiritûs, in iſtis ſubtractæ divinioris dulcedinis intervallis, quid reſtare cenſemus animæ Chriſtum Iesum amanti; niſi ut in ejus ſanctiſſima vita ac paſsione ſeſe occupet, & (donec iterum videat faciem ejus in jubilo) complectatur ſaltem morientem in lectulo crucis, quem viventem in ſinu Patris amplexari non datur, in lectulo ſanctæ contemplationis? Et privata ſplendore divini vultûs, humiliter ſedeat

ſub

ſub umbra amabilis humanitatis ejus; ſicut ſcriptum eſt: *Sub umbra illius quem deſideraveram ſedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo?* At de his hactenus.

Veruntamen præterire non poſſum, magnam contemplatricem S. Tereſiam, eo loco quem infrà laudabimus, conſcientiæ ſuæ directorem expreſſiſsimis verbis admonere: ne viam aliam ſectari velit, quantumvis ſe fortè inveiant in ſummo apice divinæ contemplationis: quoniam (ut ſubdit) *iſtâ pergitur viâ ſecurè.*

# CAPUT V.

## *Quæ hactenus à nobis demonſtrata ſunt, expreſſiori autoritate confirmantur.*

JAm verò ut doctrinam traditam confirmemus exemplis documentíſque Sanctorum, paucos duntaxat è multis ſeligam, & eos quidem quos alioqui conſtet, non tantùm eximiâ virtute atq; excellenti ſanctitate præditos, verùm etiam ad ſublime quoddam contemplationis genus divinitùs evectos fuiſſe.

### §. I.

### *Quorundam ſanctorum virorum eam in rem documenta & exempla.*

ORdior à mellifluo S. Bernardo, qui in ſua Cantici Canticorum explanatione, non uno loco id quod hic agimus tradit diſertiſsimè. Nominatim autem ſermone 43. ubi cùm Sponſæ conſilium ac prudentiam collaudâſſet, quæ dilectum ſuum ut faſciculum myrrhæ complexa, eundem inter ubera ſua collocet, ut nimirum aſsiduè, tum in memoria, tum in ejus affectu commoretur; atque ad idem facien-

cien-

Digitized by Google

ciendum auditores ſuos graviter eſſet cohortatus: tum ijs ſeipſum etiam exemplo proponens: *Et ego*, inquit, *fratres, ab ineunte mea converſione, pro acervo meritorum, quæ mihi deeſſe ſciebam, hunc mihi faſciculum colligare, & inter ubera mea collocare curavi, confectum ex omnibus anxietatibus & amaritudinibus Domini mei. Propterea hæc mihi frequenter in ore, ſicut vos ſcitis; hæc ſemper in corde, ſicut Deus ſcit; hæc ſtylo meo admodum familiaria, ſicut apparet: hæc mea interim ſublimior philoſophia, ſcire IESUM & hunc crucifixum.* Ecce hominem ſanctiſſimum, non in ſuæ tantùm converſionis initijs, ſed jam virum perfectum & non ſemel expertum arcanas divinæ contemplationis delicias, Chriſti paſsionem aſsiduè in corde retinentem, & hanc ſuam eſſe ſublimiorem Philoſophiam ingenuè confitentem.

*Serm.* 43. *in Cant.*

*Serm.* 23. & 74. *in Cant.*

Quid de Seraphico S. Franciſco dicam? cujus omnem vitam exploratum eſt, in IESU Chriſti crucifixi meditatione atque imitatione poſitam fuiſſe. Quâ etiam exercitatione ita tenebatur, ut diceret; tametſi ad extremum uſque judicij diem in vivis futurus eſſet, non aliam ſibi à Chriſti Domini cruciatibus, lectionem, ſtudium, commentationem futuram eſſe neceſſariam. Solebâtque proinde eos graviter reprehendere, qui aliorſum abduci ſe ſinerent; non enim aliter perveniri ad Deum; & nimiùm eſſe ſibi præfidentes, qui per alias chimæras imaginationésve, ſe Deo dicerent intimè velle conjungi, nec tamen unquam à ſemetipſis recederent. Illud adjungens, quod inſtar effati eſſe debet in hac materia: *Quantò magis anima transformatur in Chriſtum crucifixum, tantò magis transformatur in Deum excelſum & glorioſum.*

*Chron. p.* 1. *l.* 1. *c.* 86.

*Collat.* 24. *apud Ubadeng.*

Quod equidem ipſe experiendo didicerat; ex aſſidua utique Chriſti crucifixi contemplatione atque amore, ipſâ carne in IESU crucifixi expreſſam ſimilitudinem, & mente per ardores Seraphicos (quoad homini in vita mortali conceſſum

ceſſum eſt) in Deum excelſum & glorioſum transformatus. Iungamus parenti filium, Seraphico Seraphicum Bonaventuram: cujus de re propoſita ſententiam qui cognoſcere voluerit, ſimúlque ad idem cum illo ſtudium vehementiùs accendi; is inter alios ejus tractatus, legat opuſculum de hoc ipſo argumento magna ex parte conſcriptum, quod merito ſuo inſcripſit, *Stimulum divini amoris:* ubi ſtylo ſimplici, ſed divinis imbuto ſenſibus, ita circa Chriſtum crucifixum occupatur, inhæret, afficitur, dolet, exultat, deliciatur; ſatis ut appareat, ex ejusdem ſancti Doctoris ſenſu (quod etiam non ſemel diſertis verbis exprimit) hoc etiam hominis perfecti aſsiduum ſtudium atque occupationem eſſe debere, neque aliunde quàm ex hoc fonte, ſublimes ſenſus, amoris incendia, aliorúmque ſanctorum affectuum mirabiles exceſſus, petendos eſſe. Verum ex hoc ſancti Doctoris opuſculo, uti ad rem meam, & guſtum præſertim faciente, complura nos in hunc noſtrum tractatum, atque (ut arbitror) non ſinè operæ pretio derivabimus, variàsque ejus ſententias, tanquam ignitos carbunculos, dictis noſtris deinceps, nec verò parcè, inſeremus.

Addatur & alter ſanctus Franciſcus, Indiarum ſcilicet Apoſtolus, quem eâ ſcimus uſum fuiſſe conſvetudine ac familiaritate cum Deo, adeóque intimâ atque jucundâ; ut etiam inter immenſas curas multiplicéſque labores diſſeminandi Evangelij, ſummâ oppleretur ſuperfuſæ animo cœleſtis dulcedinis copiâ; & huic capiendæ cùm par non eſſet mortale pectus, quaſi cum Deo blandè expoſtulans, ſat eſſe, ſat eſſe, diceret, eóque ſiſti depoſceret torrentem exundantis voluptatis.

At hic tantus Vir (ut autoris vitæ verba jam reddam) *maximæ in Chriſti vita mortique meditatione acquieſcebat; ſatis gnarus ibi eximia omnis exempli documenta, in illuſtri poſita monumento, intueri atque imitari licere. Hoc meditatio-* L. 4. c. 7.

*nis*

*nis genus maximè ſalubre ac frugiferum, præcipuum utique exemplar Chriſtianæ vitæ, & ingens invitamentum divinæ charitatis, impensè & complectebatur ipſe, & alijs commendabat.*

Omitto alios toto opere referendos. Nam hi quos protuli tanti videntur eſſe ponderis, ut eorum valeat autoritas omnem de re præſenti dubitationem facilè tollere.

Ut ſanè qui tantos támque præclaros ſanctæ contemplationis & divini amoris magiſtros, proprio ſenſu ductus, demiſsè ſequi detrectaverit; verendum illi ſit, ne in diſciplina ſpiritus, totâ viâ (quod ajunt) aberret, & labore deluſus ſupervacuo, eò quò contendit non perveniat, ſed potiùs damna non levia, atque his majora etiam pericula incurrat.

## §. 2.

### *Ex altero ſexu petita eorundem confirmatio.*

JAm finis non ſit, ſi de altero ſexu exempla proferre inſtituam ſanctarum animarum, quæ utique omnes Chriſtum crucifixum, veluti Sponſum amantiſsimum arctè complexæ, vitam eo in ſtudio ac meditatione poſuêre, atque per eam exercitationem, ad ſummam virtutis perfectionem, cámque cum Chriſto familiaritatem pervenerunt, ut propè fidem exuperent, quæ vel ipſæ de ſe, vel de ipſis alij ſcripſêre. Legat eam in rem, cui collibitum fuerit, vitas aut ſcripta Sanctarum Catharinæ Senenſis ac Genuenſis, SS. Gertrudis atque Mechtildis, SS. Brigittæ, Claræ, Lutgardis, Tereſiæ, Angelæ, Magdalenæ de Pazzis, aliarúmque complurium, è quibus nos, prout uſus erit, varia deinde delibabimus.

Notetur interim tanquam ſpeciminis aut primoris guſtus gratiâ; palmare equidem B. Angelæ de Fulginio pronuntiatum: *Verè non eſt alia via Dei filijs reſervata, quâ Deum invenire valeant, & inventum retinere, niſi via, & vita* *Vit. c. 57.*

*& mors*

*& mors iſtius Dei hominis paſſionati, quam conſvevi dicere & aſſerere librum vitæ eſſe.*

Cæterùm, alijs prætermiſsis, ad eam rem penitus profligandam juvat hic proferre, quod de ſeipſa ſcribit illa Theodidacta S. Tereſia de Iesu, *in vita ſua cap. 22.* ubi hoc argumentum tractans, multis & gravibus ſanè deplorat, quòd lectione quorundam Doctorum de divina contemplatione ſcribentium, in eum errorem aliquando inducta ſit, ut crederet: ei qui ad divinæ contemplationis puritatem aſpiret, excludendas eſſe ab animo omnes corporearum rerum imagines, etiam ſanctiſsimæ Humanitatis Chriſti; quòd hæc quoque imago animam occupet & diſtrahat, impediátque ſublimiorem contemplationem. Quam viam ſi perſecuta eſſet, ſibi perſvaſiſsimum eſſe ait, nunquam ſe ad eum ſtatum, in quo tunc eſſet, fuiſſe perventuram.

Sub hæc autem exclamat: O Domine animæ meæ! ô " bonum meum, Iesu crucifixe: fierine potuiſſe, ut vel ad ho- " ram inducerem animum; poſſe te mihi, ne ad majus ali- " quod bonum pervenirem, impedimento eſſe? Et unde " hæc omnia mihi bona venerunt niſi de te? Subdit, magnũ " hunc eſſe errorem in via ſpirituali: eáque de cauſa fieri, ut multæ animæ non proficiant, neque pertingant ad majorem ſpiritûs libertatem. In eo conatu ſubeſſe quandam elationem animi; dum nempe ſeipſam attollere contendit anima, quò à Domino non ſublevatur.

Et verò poſt quantamvis exercitationem, & quamlibet vitæ ſeveritatem, habendum eſſe loco ſufficientis præmij, ſi vel Chriſtus nos ad pedem ſuæ crucis cum S. Ioanne reſidere conſenſerit. Hanc legem à Deo conſtitutam eſſe, ut ejus dona per manus ſacræ iſtius Humanitatis accipiamus, in qua ſibi bene complacuit. Per hanc portam nobis intrandum eſſe, ſi ad ipſius Divinitatis arcanos ſenſus admitti percupiamus. Neque verò aliâ viâ ingreſſos Sanctos

F Fran-

Digitized by Google

Franciſcum, Bernardum, Antonium Patavinum, Senenſem Catharinam. Tandem homines nos eſſe, non Angelos: fulciendas eſſe cogitationes noſtras per ſe fluxas & inſtabiles, & in tali aliqua tanquam baſi ſtabiliendas: maximè inter tot curas, labores, dolores, & tædia humanæ vitæ. Neque laborandum nobis de divinis ſolatijs: concedat illa, negétve Deus, ut ut voluerit: nobis ſat magnum ſit, crucem amplecti. Equidem Dominum ac Redemptorem noſtrum, omni ſolatio deſtitutum fuiſſe, & velut ſolum relictum in ſuis doloribus: verumtamen à nobis non eſſe abſque ærumnarum conſortio & communione relinquendum. Manum porriget, & altiùs nos ſuſtollet ille, ſi volet: interim delectabit illum humilis hic noſter de nobis ſenſus, quo cum S. Petro nos cognoſcamus, divinâ ejus conſvetudine, ac uſu, longè indigniſsimos eſſe. Hæreat anima cum Magdalena ad pedes Chriſti, nec inde ſe moveat; quia cùm fortis erit, Deus ducet illam in deſertum.

Ait inſuper: ad veram ſpiritûs paupertatem nunquam eſſe perventuram animam, quamdiu conſolationem alibi quærit, quàm in laboribus & afflictionibus propter eum, qui ſemper vixit crucifixus. Alioqui enim univerſa brevi cadere, velut fundamento deſtituta.

Quòd ſi Deus animam quandoque aſſumat ad myſticæ unionis ſilentium, & ejus interiores facultates ſuſpendat: tunc ſponte ſuâ omnes intercident aliarum rerum imagines; & felix equidem erit jactura. Ut verò quis tanquam ex deſtinato, omnem etiam ſacræ Chriſti Humanitatis formam, ex animo ſuo nitatur excludere, id ſanè non eſſe permittendum. Eſt enim id (quod ajunt) iter in aëre: periculumque eſt, ne anima talem viam iniens, poſt guſtatam aliquam interiorem dulcedinem, & ſibimet reddita, exucca maneat atque arida, ſicut lignum.



Digitized by Google

Hæc & multò plura Seraphica Tereſia eo loco. Quæ rurſum in tractatu alio, quem inſcripſit *Caſtellum animæ*, diſertè confirmat grandem errorem eſſe, ſi quis negligat exercere ſe in conſervanda præſentia ſacræ Humanitatis Chriſti, & in recolendis myſterijs vitæ ac paſſionis ejus, tametſi multùm in ſpiritu profecerit. Sed jam tempus eſt, ut argumenti propoſiti, & ſuſceptæ à nobis diſputationis finem ſpectemus. *Manſ. 6. cap. 7.*

# CAPUT VI.

## *Nonnulla ex dictis deducta, ad majorem rei à nobis propoſitæ explanationem.*

EX his porrò quæ pro inſtituti noſtri ratione paulò pluribus, pro rei autem dignitate nimis paucis, hucuſque diſputavimus, quædam deſumi poſſunt, ſive aſcetica principia, ſive antedictorum conſectaria, ad rei totius explanationem, & nonnullam quaſi controverſiæ compoſitionem pertinentia. Quædam enim poſſumus aliter opinantibus concedere, dum & nobis id quod contendimus, quódque ſatis apertè ( ut exiſtimo ) evicimus, ipſi concedere ne graventur.

### §. I.

### *Duo quædam ultrò conceſſa, neque aſſertioni à nobis poſitæ repugnantia.*

PRimum : Id quod tradunt Theologiæ myſticæ Doctores; animæ ſcilicet ad intimam Divinitatis contemplationem & myſticam unionem admiſſæ, relinquendas eſſe omnes ſanctas cogitationes & imagines, etiam ſacræ Humanitatis Chriſti ; ex eorum ſenſu duntaxat intelligi, atque à nobis quoque concedi, de actu ipſo ſeu tempore talis contem-



Digitized by Google

plationis, ſeu cùm mens proximè ad eum actum diſponitur. Hoc enim apertè ſonant atque exigunt quas initio produximus, B. Alberti, B Angelæ, & Abbatis Bloſij ſententiæ; & quæ ipſos ijsdem aliiſve locis præcipere vidimus, de aſſiduè alioqui recolenda animóque verſanda Chriſti paſsione. Nominatim autem obſervanda ſunt verba Bloſij in illa ſua Inſtitutione ſpirituali: ubi cùm illud inculcâſſet, neceſſarium eſſe aſcetæ, ut *præclaram crucifixæ Humanitatis Chriſti imaginem in animæ ſuæ vires penitiſſimè imprimat, & ſe totum in illam immergat*: ſic enim fore, ut ad altiſsimam ejus Divinitatem ſuſtollatur; ad quod aliàs fruſtra aſpiret: tum illa ſubjungit huc pertinentia: *Sanè etiamſi lumine gratiæ copiosè perfuſus, nonnunquam extra ſuum naturale lumen rapitur, atque in divitias Dei abſorptus, ſeſe in ipſo lumine gratiæ feliciter perdat; dum tamen ſibi reſtituitur, convenientiſſimè cordis intuitum ad IESUM crucifixum revocabit, huic amabili fundamento ſemper inhærens.* Itémque in Speculo ſpirituali: *Qui autem illuc admittuntur,* (ſcilicet ad unionem myſticam) *debent præclarâ illâ Dei operatione in ipſis ceſſante, mox reſumere propriam actionem & ſanctas imagines, bonáque opera atque exercitia, &c.* Eadémque mente Ioannes Rusbrochius apud eundem, ait: eos qui vitijs mortui, Deóque ac virtutibus viventes, in Deum excedunt ac rapiuntur; Chriſto Deo homine in illis excellentiſſimè vivente, & imaginibus præditos, & imaginum expertos eſſe. *Præditi ſiquidem ſive depicti ſunt* (inquit) *imaginibus vitæ ac paſſionis Domini IESU*; in quantum ſcilicet in ejus meditatione atque imitatione ſeſe exercent: *in ſpiritu autem ſuo* (ſecundùm quem Deo adhæreſcunt in myſtica unione) *à rerum omnium ſimulacris prorſus liberi & nudi ſunt, atque ob hoc ipſum in divinam ſunt transformati claritatem.* Et ſimile quiddam tradit S. Tereſia, uti vidimus. His addo non omnem, etiam ſublimem atque divinam contemplationem, raptum, exceſ-ſum

*Cap. 6.*

*Cap. 11.*

*Fatrag. util prat. §. 7.*

Digitized by Google

ſum mentis, abſque ſacræ Chriſti Humanitatis imaginibus, aut rerum aliarum ſimulacris contingere. Ut apparet, tum ex S. Bernardi ſermonibus in Cantica, ejusmodi contemplationem, in eam quæ fit abſque imaginibus, & eam cui adhuc rerum inferiorum phantaſmata inſunt, diſtinguente; tum ex SS. Franciſci atque Bonavenruræ, Sanctarum Catharinæ Senenſis, Lutgardis, Gertrudis, aliarúmque divinis raptibus; in quibus tamen eorum animus, circa Chriſtum, aut in ſtabulo natum, aut crucem bajulantem, aut cruci ſuffixum, eum amplexando, plagas oſculando, ſugendo vulnus cordis, aut mirabili ratione in illud ſubintrando, aliíſque modis occupabatur. *Serm. 23. 41. 45.*

*Alterum:* Id quoque à nobis concedi, quod ex S. Bernardo dicitur: eum videlicet erga crucifixam Chriſti Humanitatem affectum, quo quis ad memoriam dolorum ejus piâ dulcique compaſſione compungitur, neque ad divinarum ejus virtutum imitationem aſſurgit, quodammodo carnalem eſſe, nec multùm ad veram ſpiritûs perfectionem conducere. Sive quia, ut ait Bloſius: *Qui ipſam Domini paſſionem etiam cum larga lacrymarum effuſione recolit, & tamen veram humilitatem, patientiam, reſignationem atque charitatem negligit, certè parvum aut nullum fructum ex ſua meditatione reportat*: ſive quia licet ex ejusmodi compunctione, prava fugiat, & rectis inſiſtat; quamdiu tamen illa non affectatur ſublimiſſimarum virtutum exempla, quæ nobis Chriſtus in paſſione ſua exhibuit, nondum cenſendus eſt reipsâ eſſe ſpiritualis. *Spec. ſpir. cap. 10.*

Neque porrò negamus, quod S. Thomas capite primo laudatus aiebat: devotionem principaliter circa ea, quæ ſunt Divinitatis conſiſtere: ſed ipſa Dei attributa dicimus, in Chriſti paſſione potiſſimùm elucere, ex ea cognoſci, in eâ (quando in hac vita, divina & intelligibilia in ſenſibilibus conſpicimus) tanquam in illuſtri & præ cæteris claro ſpeculo, ſpectari debere. Quam-

Digitized by Google

Quamobrem verum eſt quod iſtic etiam dicebatur; alias eſſe perfectorum proprias, alias incipientium, aut proficientium, exercitationes. Sed verum eſt quoque, quod prædiximus, etiam ijs qui perfecti ſint, non deeſſe in Chriſto crucifixo congruæ exercitationis materiam: quòd is, teſte Bloſio ſuprà, ſit Liber perfectis imperfectisque communis; & *in quo* (ut alibi ait) *quidquid ad perfectionem & contemplationis celſitudinem pertinet, mirabiliter ſupernaturalitérque relucet & legitur.* Atque ante illum B. Laurentius Iuſtinianus, de eo ipſo Libro loquens: *Habet* (inquit) *foris ſimplex indoctus quod legat, habet ſpiritualis & perfectus intus quod intelligat: quia ſcilicet* (ut ibidem tradit) *charitatis compendium, perfectionis celſitudinem, virtutum normam, Chriſtus in hoc corporis ſui volumine concluſit.*

*Præf. Marg. ſpir.*

*De triũph. Chr. agon. cap. 20.*

Quò etiam tendit Guilielmi Abbatis S. Theodorici præclara ſententia; qui in meditatione quadam, de ſua agens circa Chriſtum crucifixum occupatione, & ad quædam alludens Iſaiæ verba cap. 6. *Non* (inquit) *deſpiciant me, Domine, ſuper hoc, qui merentur te videre ſedentem ſuper ſolium excelſum & elevatum Divinitatis tuæ, & majeſtate tuâ replentem omnem terram: quia & ea quæ ſub te ſunt humanæ diſpenſationis myſteria, omnis contemplationis replent templum, cujuſcunque ſit magnitudinis.* Sic ille.

## §. 2.

*Qui intelligendum ſit, quod hic à varijs dicitur: unicuique ad divinam contemplationem & myſticam unionem eſſe aſpirandum.*

*V. Bloſ. in Inſt. ſpirit. c. 10. Spec. Spir. cap. 10. Thom. à Ieſu de orat. div. cap. 23.*

POſtremum: quoniam Doctores myſtici quandoque affirmant, meritò debere omnem hominem, non tantùm ad vitæ perfectionem, ſed per hanc, etiam ad illam intimam cum Deo adhæſionem aſpirare, tanquam ad ſummum bonum

num quod poſſit homini obvenire in vita mortali: quandóque è contrà aſpirandum non eſſe ſignificent, quòd nullo conatu ad eam perveniri valeat, ſed ſingularis ſit Dei gratia, ſua dona quibus vult atque prout vult dividentis: videtur ex dictis res ferè poſſe in hunc modum definiri

*Primò* enim eo aſpirare licet (ei maximè qui perfectus ſit) ſancto quodam, animæ amantis, & ad ſummam cum Deo conjunctionem anhelantis, deſiderio. Verumtamen deſiderio *humili:* ne fortè ſe dignum tanto Dei dono exiſtimet, aut ad id etiam poſſe labore ſuo pertingere.

*Quieto:* rem omnem permittens ex parte ſua ſuaviſſimæ Dei providentiæ, in qua perinde acquieſcat, ſive ad altiora provehatur, ſive relinquatur in inferioribus; ei fortaſſis, demiſsione ſuâ, & amanti ſub ejus nutus ſubjectione, gratior acceptiórque futurus.

*Puro:* ſic ut eam ſui ad Deum adhæſionem caſtè deſideret; non ullius ſui commodi ſolatiive ſpiritualis gratiâ, (quod ſuprà diximus ad amorem proprium, & quandam quaſi fornicationem ſpiritualem pertinere) ſed ſolo ſtudio divinæ gloriæ, & gratiâ guſtûs ac beneplaciti divini.

Addit S. Bernardus id deſiderium etiam ardens eſſe debere. *Oportet namque* (inquit) *ut ſancti deſiderij ardor præcedat faciem ejus* (Dei ſcilicet) *ad omnem animam ad quam ipſe venturus eſt, qui omnem conſumat rubiginem vitiorum, & ſic præparet locum Domino.* At id jam ex parte videtur ad ſequentia ſpectare. *Serm. 31. in Cant.*

*Secundò* igitur aſpirari poteſt, removendo à ſe omne impedimentum excellentiſsimæ illius divinæ operationis. Quò pertinet non tantùm puritas cordis, ſeu cujuſvis noxæ, etiam levioris (quæ ſaltem cum plena deliberatione ſuſcipitur) aut cujuſvis etiam intentionis ſiniſterioris, evitatio; verùm etiam perfectæ mortificationis ſtudium, atque compreſſio omnium pravarum cupiditatum: itémque excluſio

cura-

Digitized by Google

cūrarum ſuperfluarum, & ſancta quædam ſolitudo cordis, expunctis etiam (quoad fieri poterit) ex hominis mente univerſis rerum ſæcularium formis ac ſimulacris. Ita enim divinus ſpiritus, qui in pace, ſilentio, tranquillitate libenter habitat, eâ humilis mentis compoſitione delectatus, fortaſſis ad eam veniet, eique ſe modo ſingulari conjunget.

Non tamen excludet aſceta meus (quamdiu ſpecialiter non prævenitur à Domino) ex animo ſuo omnes etiam rerum ſanctarum, etiam ſacræ Humanitatis Chriſti, imagines: quod ſuprà eſſe demonſtravimus, multis & fallacijs & diſcriminbus obnoxium. Ineſtque inſuper hoc periculi; ne conatu ſtulto atque ſupervacuo (imò & noxio) vel caput lædat, & mentem obturbet; vel dum ipſam Chriſti Humanitatis præſentiam, & omnem ſanctam imaginem declinare nititur, omnem potius ex animo ſuo veram devotionem expungat, & ſe ſpiritu exuccum atque omnis ſaporis ſpiritualis expertem inveniat. Expectabit igitur verecundè, ſi fortè aliquando vocetur ad beatum illud ſilentium atque otium ſanctæ contemplationis. Interim ſtabit in loco ſuo: neque regiæ menſæ non invitatus ſe ingeret, neque in ſecretum Regis cubiculum improbè irruet non vocatus. *Accedendum enim ad eum, non irruendum* (inquit S. Bernardus) *ne irreverens ſcrutator majeſtatis opprimatur à gloria.*

*Serm. 31. in Cant.*

Neque tamen diſplicet hoc loco Abbatis Bloſij monitum illud, quod aſcetæ ſuo his verbis tradit in quadam epiſtola: *Interdum etiam ipſis imaginibus humanitatis piè relictis, attende placidè, ſimpliciter & amorosè jucundam atque amabilem præſentiam Divinitatis, ſi potes. Ita enim, alia quæque parùm aut nihil conſiderans, nonnullam mentis nuditatem, cogitationiſque ſimplicitatem in te ſenties.*

*Farrag. util. inſtit.*

*Tertiò:* denique eodem aſpirari poteſt; ſed juxta conſvetas divinæ providentiæ vias; quæ à nobis poſtulat ſcilicet, ut ad hoc ipſum comparemus nos, diuturnâ atque aſſiduâ

Digitized by Google

duâ virtutum fortium ac ſolidarum ( quarum ſummum ac certiſſimum exemplar eſt vita & mors ac paſſio Salvatoris ) exercitatione; útque nobiſmetipſis penitiſsimè nos exuentes, & veteris Adæ deponentes imaginem, crucifixæ Chriſti Humanitati configuremur, in ejus poſtea glorioſam Divinitatem, fortaſſis etiam in hac vita, ſingulari modo transformandi.

Quippe, ut antea non ſemel cum Patribus diximus, crucifixa Chriſti Humanitas, via eſt pertingendi ad Divinitatem; tantùm abeſt, ut ei impedimento ſit: ipſo etiam Chriſto Domino, diſertè affirmante S. Gertrudi: affectum erga Crucifixi imaginem, non impedire fruitionem interiorum bonorum Dei. *Divin. inſin. lib. 3. cap. 43.*

Quæ omnia tandem id efficiunt, quod hac proluſione efficere ac demonſtrare inſtituimus; ſeriam atque conſtantem circa Chriſtum crucifixum occupationem, tum imperfectis tum perfectis eſſe neceſſariam; neque ijs etiam, qui ad ſublimiora vocati ſint, & quamlibet intimam cum Deo adhæſionem experti, aſpernandam eſſe aut negligendam.

# CAPUT VII.

## *Frequentem paſſionis Chriſti memoriam æterno Patri acceptiſſimam eſſe.*

PRoferamus nunc in medium incitamenta quædam ſpecialia, quibus ad id Exercitij, quod præſenti tractatione commendandum ſuſcepimus, in uſus noſtros deducendum, magis ac magis exſtimulemur.. Quorum primum illud ſit: Paſſionis ac mortis Chriſti devotam memoriam, æterno Patri non poſſe non eſſe acceptiſſimam.

## §. I.

*Perennem gratámque paſſionis Chriſti recordationem, ad immortalem Patris gloriam pertinere.*

HInc quippe prima ac primaria petitur propoſiti à nobis incitamenti ratio. Nam ſi ita comparatum eſt, ut glorioſorum facinorum, & quæ quis præclarè pro multorum ſalute geſſerit, ipſorum autori ac patratori jucundiſsima accidat commemoratio: quodnam, amabo, divinis auribus jucundius continget acroama, quæ divino cordi prædicatio acceptior; quàm ſi jugi recogitatione ac devotione cordis, commemoremus opus illud præ cæteris admirabile, & divinorum operum diviniſsimum, opus inquam redemptionis humanæ: illámque celebremus infinitam Charitatem, quâ ſic *Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret*, cúmque veluti ſuis detractum viſceribus, pro ſalute noſtra contraderet, ærumníſque ac ſupplicijs omnibus, tum etiam in primis acerbæ ac ignominioſæ morti, morti ſcilicet crucis, obijceret? Joann. 3.

Nullum quippe eſt divinorum operum, in quo illa, quæ dici ſolent, divinæ naturæ attributa, expreſsè magis eluceant. Sive Dei ſpectemus potentiam, quæ in id operis vim omnem ſuam exeruiſſe viſa eſt: ſive ſapientiam, quæ tam admirabilem redimendi hominis modum adinvenerit, quo & juſtitiæ ſuæ unà & miſericordiæ ſatisfaceret, résque adeò in ſpeciem adverſas ad pacis oſculum mutuúmque complexum vocaret: ſive denique, & præſertim, attendamus infinitam ejus bonitatem, qui ex quadam amoris exuperantia, ad rem tàm inſolentem, & (humano ſenſu) dignitati ſuæ parùm decoram, noſtrâ cauſâ deſcenderit: ſéque adeò jàm non Deum ultionum, ſed Patrem miſericordiarum & Deum totius conſolationis exhibuerit. Pſalm. 84.

Ut enim prædicat inculcátque Ioannes Apoſtolus: In

*In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Vnigenitum ſuum miſit Deus in mundum, ut vivamus per eum.* Et ſubdit: *In hoc eſt charitas.* Vt quamvis in cæteris omnibus Dei operibus emicent nonnullæ divini amoris & charitatis tanquam ſtricturæ; quippe qui omnia ex amore condiderit, (*nec enim odio habens aliquid conſtituiſſet*, ut dicitur in libro Sapientiæ) attamen in hoc opere redemptionis humanæ, ita præ cæteris ſuis operibus, charitatem ſuam luculenter atque apertè prodidit, ut in eo ſolo (ex dilecti diſcipuli ſententia) divinæ charitatis vis apparuiſſe, aut ejus certè ſumma ſita eſſe videatur. *In hoc enim eſt charitas.* 1. *Ioan.* 4. *Sap.* 11.

Abſque hoc eſſet, laterent nos profectò *viſcera miſericordiæ Dei noſtri*; ignota eſſet illa ejus *humanitas*, ſive *philanthropia* & adverſum nos amor; quænam eſſet dulcedo divini cordis, & ſuavitas ſpiritûs, ne ſuſpicione quidem attingeremus; verbo, vim ipſam & energiam; & velut ingenium aut indolem divinæ bonitatis, ignoraremus. *Luc.* 1. *Tit.* 4.

Hujus igitur diviniſsimi operis, in quo divinæ naturæ decora, hoc eſt ipſa forma & tanquam lineamenta divinitatis, ſeſe (ſi uſpiam) excellenter produnt & explicant, cum grati animi ſignificatione celebratio, uti divinæ majeſtati ſummè glorioſa, ita non poteſt non eſſe jucundiſsima.

Ac ſi nemini dubium eſſe poteſt, olim gratum accidiſſe infeliciſsimo illi parenti ſtudium filiarum Iſraël, quæ vertente anno in unum convenientes ſolenni carmine plangebant filiam Iephte Galaaditæ, quam is è prælio victor revertens, per inconſultam devotionem aris admotam ipſe ſuâ manu hoſtiam triſtem mactaverat; tametſi ea comploratio, non tam ſolatium eſſe videretur infelicis orbitatis, quàm inconſolabilis reſuſcitatio doloris: quantò ampliùs jucundum erit Patri cœleſti ſtudium iſtud piarum mentium; ſi nempe ipſius Unigeniti mortem, quem deſtinato ſummæ ſapientiæ conſilio, compellente miſericordiâ, juſtitiæ ſuæ *Iudi.* 11.



Digitized by Google

decoram victimam, pro mundi redemptione immolaverit, non anniverſario duntaxat officio, ſed recordatione perenni, perpetuóque luctu celebrantes, faciamus quod ſcriptum
Zach. 11. eſt: *Et plangent eum planctu quaſi ſuper unigenitum, & dolebunt ſuper eum ut doleri ſolet in morte primogeniti.*

Perennet igitur vivátque in animis noſtris ad immortalem Dei ac Domini noſtri gloriam, tam præclari facti nunquam interitura memoria: eámque victoriam, quâ de ipſo Deo ita volente triumphavit divinus amor, aſſiduè recolentes, hoc illi veluti trophæum in cordibus noſtris ſtatuere curemus; dicamúſque ipſi divino amori, quod de Iacobo
Gen. 32. Patriarcha ſcriptum eſt: *Si contra Deum fortis fuiſti, quantò magis contra homines prævalebis?*

## §. 2.

*Eandem ipſi Dei Filio, noſtrâ causâ à Patre depreſſo atque exinanito, perquam eſſe glorioſam.*

HInc autem exiſtit altera ejuſdem incitamenti ratio. Adijcimus quippe nunc, eam ipſam paſſionum Chriſti perennem gratámque recordationem: cùm ipſi etiam Dei Filio Redemptori noſtro glorioſiſsima ſit, hoc quoque nomine æterno Patri acceptiſsimam eſſe debere: qui utique dilectiſsimum Filium ad has miſerias vilitatémque nunquam abjeciſſet, niſi hunc ex ipſis opprobrijs glorioſiorem illuſtriorémque emerſurum eſſe cognoſceret. Proinde & illud ſtudere videtur magnopere, ut illam ipſius ſummam & incredibilem abjectionem, immortali nominis memoriâ, & pari gloriæ excelſitate compenſet.

Ergo quem, ſalutis noſtræ reſpectu, omnibus non modò cruciamentis, ſed & opprobrijs contumeliiſque objectum, infra omnia (ut ita dicam) abjecerit: ejus viciſſim nomen ac gloriam per nos attolli celebrarique, ſummo quodam

Digitized by Google

dam æquitatis jure deſiderat. Cui juſtiſsimo amantiſsimi Patris deſiderio, ſi pro modulo noſtro obſecundare ſtuduerimus, redemptionis noſtræ beneficium gratâ memoriâ cultúque perenni proſequentes, rem profectò & illi gratiſsimam, & Chriſto perjucundam, & nobis utiliſsimam faciemus.

Atque ad hoc ipſum Patris æterni deſiderium pertinet: quòd veluti priora ſæcula, quæ à primo gentis humanæ lapſu ad paſsionem ipſam & mortem filij Dei intercurrêre, eidem adumbrandæ ac præſignificandæ attribuit: huc enim ſpectabant tot dicta factáque prophetica, tot victimæ & cruenta ſacrificia, tot legum ac religionum allegoriæ; quando (ut eleganter ait S. Cyprianus) & Patriarchæ, & Prophetæ, & juſti plerique ejus temporis *figuram Chriſti imagine præeunte portabant*; ut proinde lex vetus & Synagoga, nihil niſi umbra quædam prævia Chriſti venturi ac mortem pro nobis oppetituri, eſſe videretur. Ita paſsione ac morte Chriſti jam exhibitâ, reliquum omnem temporis curſum uſq; ad finem ſæculi, eidem recolendæ celebrandæque conſtituit; ita ut præſens Eccleſia, per fidem ſuam, per ritus ſuos & ſacramenta, & ante omnia per Sacrificium Euchariſticum, (quod cùm eâ cauſâ ſpecialiter inſtitutum ſit, à S. Auguſtino *Sacramentum memoriæ* non uno loco invenimus appellatum) tandémque per Martyrum ſanguinem, per ſanctos labores Confeſſorum, mortificationem Iesu in corpore ſuo circumferentium, expreſſa quædam ſit ac viva imago ac repræſentatio paſsionis Chriſti: ſecundùm quod Hugo Victorinus quendam Joëlis locum exponens: *Luna*, inquit, *verſa in ſanguinem, Eccleſia eſt Chriſti imitans paſſionem.*

*De Bono pat.*

*L. 20. contra Fauſt. cap. 21. ep. 23. ad Bonif.*

Audiatur denique S. Bonaventura in Stimulo divini amoris ea quæ dicimus, quadam quaſi ſermonis exaggeratione confirmans: *Vbique ſe offert homini Deus; & aliud pretium, niſi memoriam mortis Filij ſui non requirit.* Quâ loquen-

*p. 1. Stim. cap. 1.*

Digitized by Google

quendi formâ Exercitium hoc ita commendat, perinde atque ſi eam mortis Filij ſui memoriam Deus ſummè unicéque deſideret; eóque facili atque omnibus obvio pretio, non modò pro ijs, quæ tot nominibus Deo debemus, ſatisfacere, ſed & Deum ipſum ( id enim S. Doctoris verba ſonant ) ubique ſe ultro offerentem, nobis redimere ac comparare valeamus. Adeò non grata duntaxat atque jucunda, ſed etiam pretioſa eſt Deo pia paſsionis ac mortis Filij ſui recordatio.

# CAPUT VIII.

## *Chriſtum ipſum perennem paſsionis ſuæ memoriam meritiſsimò à nobis exigere.*

### §. I.

### *Quâ ratione Chriſtus à ſibi ſingulariter dilectis eam recordationem poſtulaverit.*

QUantopere cordi ſit optimo ac benigniſsimo Redemptori, ut ſui fideles, in amariſsima ipſius paſsione ac morte recogitanda aſsiduè ſeſe atque devotè exerceant ( extra ea quæ dixi in ſuperiori incitamento, quæque facilè queant in rem præſentem accommodari ) illud propriè argumento eſſe poteſt; quòd non temerè quemquam Sanctorum aut Sanctarum invenias, eorum ſcilicet quos ipſe ſibi paulò familiariùs adhibuerit, aut cum quibus dulciùs ac teneriùs verſari viſus ſit, cui paſsionis ac mortis ſuæ perennem memoriam, vel amantiſsimis verbis non commendârit, vel aliâ atque aliâ ratione, ejus animo non modò imprimere, ſed velut inſculpere non ſtuduerit. Cujus rei juvabit pauca quædam exempla ponere.

*Vit. c. 3.* S. Edmundo Cantuarienſi adhuc puero, ſeorſum ab æqualibus in prato quodam deambulanti, ſpectandum ſe præ-

præbuit Jesus Chriſtus, divinâ quadam pulcherrimi pueri ſpecie; hortatúſque eſt ut nomen ſuum (quod cœleſtibus characteribus inſcriptum fronti præferebat) & ipſe fronti ac cordi frequenter imprimeret, & in paſsione ac morte ſua commeditanda libenter verſaretur. Quod ille deinceps ita præſtitit, ut in Salvatoris doloribus quotidianâ meditatione uſurpandis, intimis ſenſibus afficeretur.

S. Birgittæ etiamnum puellulæ, cùm die quadam de paſsione Domini ſermonem audiſſet, nocte inſequenti oblata eſt Chriſti crucifixi ſpecies, tanquam recenti ſanguine perfuſi, dicentíſque ſe his plagis affectum ab his qui contemnerent charitatem ipſius: quo illa viſo ſic commota eſt, ut exinde paſsionis Chriſti, ſinè lacrymis meminiſſe non poſſet. *Vit. c. 4.*

De S. Franciſco refert B. Bonaventura: cùm ſub ipſa vitæ ſanctioris initia, frequenter loca ſolitaria, velut amica mæroribus & piæ contemplationi magis idonea quæreret; quadam die ſic ſeorſum oranti, & mente in Deum tanquam abſorpto, apparuiſſe Chriſtum Jesum velut cruci ſuffixum: *ad cujus conſpectum*, inquit, *liquefacta eſt anima ejus, & memoria paßionis Chriſti viſceribus cordis ipſius adeò impreſſa medullitùs, ut ab illa hora, cùm Chriſti crucifixio veniret in mentem, vix poſſet à lacrymis & gemitibus exteriùs contineri.* *Vit. c. 1.*

Similiter autem B. Angelæ de Fulginio, in ipſis itidem vitæ melioris initijs, non ſemel, ſed ſæpiùs, Chriſtus crucifixus ſeſe videndum exhibuit, amanter adhortans, ſuas ut ad plagas aſpiceret, atque expoſitis ſigillatim doloribus ſuis, blandè ex ea ſciſcitans: quando ipſe talia ejus amore ſuſtinuiſſet, quid ipſa viciſsim Sponſi ſui cauſâ facere poſſet ac vellet. Atque ipſa exinde ad paſsionis Chriſti memoriam ita cœpit affici, ut ſolo imaginis illam referentis aſpectu, deficeret ac linqueretur animo, & febrili tanquam ardore æſtuaret: proindéque curæ erat ſodalibus, ſubducere (quà poſſent) *Vit. c. 10.* *Vit. c. 18.*

poſſent) omnes iſtius argumenti imagines, nequa fortè in ipſius oculos, cum eo quod dixi valetudinis incommodo, incurreret. Denique (ut paſſim ex Ludolpho Carthuſiano referunt) cùm quidam Dei ſervus, vitam degens ſolitariam, vehementer optaret agnoſcere, quonam tandem opere aut exercitio Deo maximè placere poſſet, idque ut ſibi manifeſtare vellet, inſtantiùs Dominum precaretur; apparuit demum quadam die oranti Chriſtus Dominus, toto corpore confecto vulneribus nudus ac tremens, & prægrandi cruce humeros gravatus; docuítque, eâ re, inter cæteras, ſibi maximè placituros ſervos ſuos, ſi ſe in cruce ſua bajulanda adjuvarent, affectando ſe in doloribus ſuis, eorúmque ſingulos frequenti ac piâ meditatione uſurpando.

## §. 2.

### *Quàm multa & mira ad eam in nobis conſervandam operari dignatus ſit.*

NEque verbis duntaxat ad id hortari dulcis Redemptor, ſed multa & mira identidem operari dignatus eſt; quæ objecta fidelium ſenſibus, eos immemores dolorum ejus vivere non paterentur.

Hinc enim relicta, ſive in B. Veronicæ velo ſanguinolenta divini vultûs effigies; ſive in utraque ſepulchrali ſindone (quarum altera Taurini, altera Veſuntione, viſitur) ipſius corporis Dominici, & plagarum ejus expreſſio. Hinc (ut nihil dicam de veri ſanguinis Dominici non uno loco adhuc aſſervatis reliquijs) ex imaginis Salvatoris, Berijti à Judæis crucifixæ, aperto latere, tantâ copiâ emiſſus prodigioſus cruor, ut, quod teſtatur Romanum Martyrologium, orientales & occidentales Eccleſiæ ex eo ubertim acceperint.

*Martyr. 9. Nov.*

At idem facit illa (de qua pòſt dicam) vivifici ligni ſan-

ſanctæ crucis, in innumera prope fruſta diſſecti, & in omnes ferè orbis terrarum partes diſperſi, miraculi plena multiplicatio.

Ad idem, toties cœleſti prodigio efformata, atque oſtenſa mortalibus, ejusdem ſanctæ Crucis effigies, modò in nubibus cœli conſpicua, modò de cœlo ad mortales delata, modò in hominum membris, veſtimentis, rebus alijs impreſſa; modò (quod in Japonia inſtante perſecutione,& alibi uſuvênit) in diſſectis arborum membris ac velut corde inventa. Cui affine, quod non ita pridem noſtrorum ex Ibernia literis accepimus iſtic anno 1651. contigiſſe, ut diſſectâ ab hæreticis arbore, fonti Jesu in oppido Bellimorum impoſitâ, in ſingulis truncis, eorúmque præciſis partibus, Jesu nomen impreſſum apparuerit, quod nec ferro nec igni potuerit aboleri.

Quid, quod integram etiam Chriſti crucifixi effigiem non ſemel è terra prodigioſè enatam conſtat; ad commonendas commovendáſve rei miraculo mortalium mentes, & ad eam, qua de agimus, paſſionis Chriſti memoriam in ijs reſuſcitandam?

Primùm enim Valliſoleti in Hiſpania, in regali (ut vocant) S. Benedicti Monaſterio viſitur antiqua Chriſti crucifixi imago, vulgò dicta Crucifixus de la Cepa, quam nullo humanæ manûs artificio exſculptam, ſed è vitis cujusdam radice aut caudice divinitùs exortam, non modò certa traditio, ſed ipſe etiam aſpectus oſtendit. *Boſius l. 2. de cruce cap. 6.* Ad hæc Gandavi in Belgio, in Cœnobio Monialium Ordinis S. Auguſtini, religioſè aſſervatur radix lilij, Jesu crucifixi expreſſam effigiem referens, à Religioſis Patribus Ordinis S. Franciſci olim in agro ſuburbano Urbis Jeroſolymæ, cum ipſo ſuo flore, inventa. *Quareſm. Terra S. l. 4. c. 10. & 12.* Colitur & Trajecti ad Moſam in Cœnobio itidem Monialium S. Magdalenæ aliud Chriſti crucifixi ſimulacrum, nullâ pariter humanâ arte effictum, ſed (ut habet re-

cepta traditio) ex nuce delatâ Ieroſolymis, & in Belgico ſolo plantatâ, mirabiliter enatum. Wratislaviæ in Sileſia ad annum Domini 1284. cùm Eccleſiæ S. Crucis fundamentis jaciendis terra erueretur, reperta eſt è radice arboris enata imago Crucifixi, tantâ membrorum proportione, tam exacto unguium, capillorum, aliorúmque ejusmodi diſcrimine, quaſi ſi eximiâ ſculptoris arte eſſet elaborata. Quam ſe in eadem Eccleſiâ ſæpe vidiſſe atque tractâſſe, teſtatur qui hæc refert Abrahamus Bzovius in Annalibus.

*Alphon. O-vall: Relat. de Regno Chile l. 1. cap: 23.* Denique recentiore prodigio in Regno Chilenſi, Americæ regione, inventa arbor eſt ſponte ſuâ, hoc eſt nullâ humanâ manu, ſed non abſque Dei ſingulari providentia, in crucis ac Crucifixi effigiem conformata: cujus ectypon communicârunt ac pervulgârunt Societatis noſtræ Patres, qui ex eo regno in Europam revenêre. Arboris corpus, quâ parte ei Crucifixus adnaſcitur, complanatum nonnihil, & tanquam dolatum apparet, ad exactiorem Dominicæ crucis repræſentationem. Exiſtit inde Crucifixus, conſuetâ formâ ſpectabilis, niſi quòd pars ima corporis velo ſeu amiculo quodam à lumbis ad pedes defluente obtegatur. Aſſervatur ea effigies in ejus Regni valle, dicta Limache, & magno concurſu indigenarum celebratur. Alia quædam his affinia aliâ ex occaſione referentur parte ſequenti.

At verò quàm ſuave pariter ac admirabile, quòd idem Salvator, non jam res ſenſûs expertes, ſed ipſa quorundam ſibi ſingulariter gratioſorum membra paſſionis ſuæ diverſis ſymbolis ac notis inſcribi atque exornari voluerit; eósque in mortalium oculis, tanquam viventes ſui imagines, & paſſionis ſuæ expreſſos teſtes apparere! Quo in genere principem profectò locum tenet Seraphicus ille S. Franciſcus, qui inaudito ad eam diem prodigio, ſacris vulnerum Chriſti ſtigmatibus in carne ſua inſignitus, novus homo ſtupenti mundo apparuit, & velut vivam Chriſti crucifixi *Vit: c. 13.*

effigiem

effigiem mortalium oculis objecit. Quod quidem ſacrorum ſtigmatũ inſigne alijs deinde compluribus, quanquam ratione diſſimili, divinitùs poſtea conceſſum eſt: poteſtque fortaſſis non immeritò ſibi gratulari minimum noſtrum Belgium, complura ſibi iſtiusmodi prodigioſi favoris exempla obtigiſſe. Sic enim de Beatis Lydvina & Gertrude ab Oſten Hollandis Virginibus, tradunt apud Laurentium Surium, qui earum res geſtas olim conſcripsère. Idem tradit Ludovicus Bloſius de alia quadam ſancta Virgine, religiosâ Herkenrodæ juxta Haſſeletum, de qua ita loquitur Monilis ſpiritualis cap: 2. *Itidem ſanctiſſima Virgo Eliſabeth de Spalbeeck, ingenti devotione quotidie paſſionem Dominicam recolere conſueverat. Unde & Chriſtus ſtigmata quinque vulnerum ſuorum manibus ac pedibus & lateri ejus veriſſimè impreſſit: adeò ut ex ipſis tanquam è recentibus plagis copioſus ſanguis plerumque efflueret, idque potiſſimùm ferijs ſextis.* Plures alias addit Arnoldus Raiſius in ſuo Hierogazophylacio Belgico, & in his Beatas Brigidam Hollandam, Idam Lovanienſem, &c. próque ſingulis ſuos autores laudat.

Verùm illud in primis amabile, quod Italæ Virgini eo in genere contigit; Beatæ inquam Claræ de monte Falco, ſive Claræ de Cruce: hoc enim nomine denique appellata eſt, ob ſingularem & prorſus inſolitum erga Domini paſſionem affectum. Huic enim, cùm cordi ſuo imprimi vivam imaginem ac memoriam paſſionum Chriſti dudum ardenter expeteret, atque veluti pro guſtu quodam earumdem paſſionum annos duodecim omni ſpirituali conſolatione deſtituta vixiſſet; apparuit denique cum cruce ſua Salvator, in qua ipſe diceret ſitam eſſe ſummam ac compendium omnis lætitiæ; eámque cordi ejus arcanis notis ita inſcripſit, ut nihil jam niſi de cruce aut cogitare aut loqui poſſet. Defunctæ cor (quod ipſa ſub mortem faciendum monuerat) diſſectum atque apertum eſt; atque in altera ejus parte

conſpecta Chriſti crucifixi effigies, ex ipſa carne exſculpta ac protuberans, unà cum Dominicæ lanceæ ac ſpongiæ ſimiliter effictis iconibus; in altera verò, flagellum, funes, columna; ſuo quæque colore atque aptâ ſoliditate conſtantia. Atque cor iſtud admirabile, paſſionis Chriſti notis ac inſtrumentis inſigne, etiamnum in præfati oppidi cœnobio aſſervatur, & pietatis causâ ſpectare volentibus, exhibetur.

*Luc: Wad: ann. 1308. num. 73.*

## §. 3.

### *Quàm juſtum ſit, noſtrum quemlibet, ei Domini noſtri deſiderio ſtudioſiùs reſpondere.*

EN quo ſtudio, quibúsve modis, imò quot quantiſque prodigijs, à nobis ſtuduit obtinere dulcis Salvator, ut ſemper in pectoribus noſtris ſuperſtes vivat ipſius dolorum grata ac conſtans recordatio. Quid ſi ad hæc adjunxerimus illud prodigioſum prodigium, & memoriam ſeu epitomen mirabilium Dei, Euchariſtici inquam Sacrificij ac Sacramenti inſtitutionem? quod vel idcirco potiſsimùm Eccleſiæ ſuæ à Redemptore noſtro relictum eſt, ut per myſticam illam ipſius Chriſti immolationem, cruentum crucis Sacrificium repræſentaret, & (nequa nos ejus caperet oblivio) perpetuo & ad mundi finem duraturo myſterio, ipſam Domini mortem, ut Apoſtolus ait, annunciaret: de quo quoniam inferiùs rurſus erit dicendi locus, hoc loco ſatis fuerit indicâſſe. Juvabit interim rem concludere verbis S. Joannis Chryſoſtomi, qui ad hanc ipſam divini Sacramenti inſtitutionem aſpiciens: *Vides*, inquit, *quantum ei ſtudium fuerit, ut ſemper memoriâ teneamus, ipſum pro nobis mortuum fuiſſe.*

*Hom: 83. in Matt:*

Quàm autem meritò id à nobis poſtulet amabilis Redemptor: ut illud ſuum immortale in nos meritum, gratâ recordatione; paſsionem ſuam amariſſimam, aliquâ ſaltem noſtrâ compaſſione; mortem denique noſtrâ causâ obi-

obitam, omnibúsque venis fuſum ſanguinem, vel unâ ſubinde lacrymulâ proſequamur: & res ipſa per loquitur, & proprio poſtea capite uberiùs dicturus ſum; ut nihil opus ſit hoc loco pluribus diſputari.

Tantùm hîc tecum reputes velim: quando magna pars mortalium Chriſtum JESVM Dei filium unigenitum, per ſummos dolores & amariſsima opprobria, in patibulo crucis pro ipſorum ſalute mortuum, aut per cæcitatem & infidelitatem ignorant, aut per vecordem oblivionem non recogitant; profectò par eſſe, eos qui immenſi ejus beneficij, non fidem modò, ſed ſenſum etiam aliquem habeant, & ejus autori Domino noſtro JESV Chriſto impenſiùs gratificari ament, contentiori ſtudio pium hoc exercitium arripere, & (quoad ejus fieri potuerit) aliorum defectum ac ſtuporem conduplicatâ devotione ſupplere.

Quamobrem ut caput hoc aliquando finiam, vulgatum illud è Threnis carmen, tanquam ab ipſo Chriſtò tibi propriè occini, & ad aurem cordis identidem inſuſurrari non immeritò exiſtimes: *Recordare paupertatis & transgreſſionis meæ, abſinthij & fellis.* Perinde ac ſi diceret: Dilecta anima, recordare obſecro eorum quæ pro te paſſus ſum, in cruce pendens & moriens amore tui. Et ſi nondum potes dare ſanguinem pro ſanguine, & vitam vitâ, mortem morte penſare: vivat in te ſaltem jugis ac grata meritorum meorum memoria, & vel hoc infimo non ingratæ mentis officio, amorem ac dolorem meum compenſare ſatage. *Thren: 3.*

Hîc verò quid agat dicátve fidelis anima, niſi pudore ſimul ac dolore victa exclamet, illúdque pro ſe reponat, quod laudatis Threnorum verbis proximè ſubjunctum eſt: *Memoriâ memor ero, & tabeſcet in me anima mea.* Erit planè, quemadmodum optas, mi bone JESV, quando tuum tam ardens id votum eſt. Verſabitur mihi aſſiduè ob oculos extre-

extrema paupertas ac nuditas, in qua mortuus es, omni tum exteriori tum interiori ſolatio deſtitutus. Recordabor myrrhæ ac fellis, quo ſub ipſa morte potatus es. Neque obliviſcar abſinthij, ſeu amaritudinis amariſſimæ, qua in illa hora perfuſa fuit anima tua, & temerata ſuavitas cordis tui. Memor ero denique transgreſſionis tuæ, hoc eſt exceſſus illius, quo & amor & dolor tuus omnem ſive amoris, ſive doloris modum transgreſſus eſt. Neque languida duntaxat memoriâ, ſterilive recogitatione complectar paſſionem tuam, ſed illius vivam imaginem cordi meo altè infixam aſſiduè circumferens, ejúsque momenta, nusquam intermiſsâ contemplatione verſans, amore liqueſcam, contabeſcam dolore; perennique luctu, & ſi quas de ſilice cordis mei extundere poſſim piæ commiſerationis lacrymas, his tanquam lilijs violiſve tibi jucundiſsimis, tuum optimi ac dulciſsimi parentis funus reſpergam.

# CAPUT IX.

## *Idem Exercitium B. Virgini Dei Matri ſummopere placere.*

NEmo eſt fidelium qui neſciat, quàm referat ad æternam ſalutem, illam ſibi conciliare ac demereri, quæ cœli janua, & electorum Mater ſpeciali quadam ratione à filio ſuo conſtituta eſt. Atqui quàm ei acerbum fuit, filium ſuum dilectiſsimum in patibulo crucis pendentem, & per ſummos dolores expirantem aſpicere: tam nunc ei dulce eſt ejus cruciatus aſsiduè recolere, & perquam jucundum ac volupe, ſi ſui clientes frequenter eandem exercitationem uſurpent. Quod etſi, ex eo quo in filium eſt animo, pronum erat cuique conijcere; nec cui tamen id obſcurum eſſet, dignata eſt non ſemel dilectis filij ſui Sponſis, Birgittæ, Mechtildi, aliisque Sanctis ore ſuo teſtatum facere.

Nimi-

Nimirum veluti ſequeſtra fuit & conciliatrix nuptiarum humanæ naturæ cum Verbo Dei in uteri ſui virginalis thalamo ſanciendarum: ita geſtit eſſe pronuba connubij animæ ſanctæ cum filio ſuo in crucis lectulo conſummandi. Neque immeritò hoc quaſi lacte, piâ inquam paſſionis Chriſti memoriâ, ali & educari deſiderat; quos meminerit ſe, Rachelis inſtar, ſub ipſa cruce difficillimo partu enixam, ut totidem doloris ſui filios: quippe omnium noſtrûm effecta mater, cùm Joannem, omnes Virginis clientes repræſentantem, Chriſti voce accepit in filium; ut Rupertus Abbas aliique obſervavêre. *l. 13. in Ioan.*

Nec ſatis habuit ſtudium hoc ſuum ac deſiderium ſæpe teſtari: niſi etiam ejus Exercitij formam aliquam ac rationem ſubinde per ſeipſam traderet. Quemadmodum in Annalibus Societatis noſtræ de ruſtico Peruano legimus, quem ſibi ſupplicem, tibiarum tumore liberatura, priùs admonuit cruciatuum filij ſui, & canticum quoddam ejus argumenti edocuit; quò hominis animo (rudis alioqui & ruſticani) paſſionis Chriſti memoriam altiùs imprimeret, & facilem ac promptam redderet. Canticum illud verſiculis quibusdam Indicis comprehenſum, Franciſcus Bentius noſter Latinè vertit, & propter metri affinitatem hiſce anapæſticis illigavit: *Lit. Peru. 1587. & 1589.*

*Pater en noſter, genitor noſter*
*Rigidis clavis in cruce fixus.*
*Cor transfixum cuſpide amoris.*
*Cruor è toto corpore manans,*
*Omnes circùm proluit artus.*
*Cernisne caput, declive caput,*
*Caput hoc flavæ ſimile ariſtæ?*
*Viden' ut cingunt ſpinea ſerta,*
*Vſque ad tenerum fixa cerebrum?*
*Patris heu! noſtri cerne capillum,*

*Spar-*

*Sparſum, incomptum, ſanguine fœdum.*
*Oculi triſtes, lumina mæſta,*
*Roſeas lacrymas largè effundunt:*
*Fluxiſſe putes molle corallum.*
*Heu confudit jam decus oris,*
*Pallorque genis ſedet exanguis, &c.*

Nam reliqua omitto ne longior ſim.

Atque ex jam dictis facilè eſt illud conſicere, quod pronunciat S. Bonaventura: eos qui aſſiduâ meditatione paſſionem Chriſti recolunt, continuò habitare in corde B. Virginis, hoc eſt (ut interpretor) eì charos in primis atque acceptos eſſe. Ita enim ait, ipſam Dei Matrem alloquens: *Certè hi bene intrant cor tuum, & ſunt continuè in corde tuo, qui filij tui ruminant continuè paſſionem. Impoſſibile enim eſt, Mater pijſſima, filij tui intrare vulnera, & non intrare cor tuum, quia illa vulnera ſunt in corde tuo perpetuò collocata.* Sic ille.

*P. 3. ſtim. cap. 16.*

Si igitur, quo par eſt amore, Chriſti Jesv noſtrûmque omnium amantiſſimam Matrem proſequimur, ſi favorem ejus ac gratiam emereri ſtudemus, hoc eſt ſi ipſam ſalutem noſtram amamus: juſto tam bonæ Matris deſiderio obſecundantes, in filij ipſius amariſſima paſſione recogitanda ac recolenda, libenter atq; aſſiduè (ſi fieri poteſt) exerceamus.

Imò (quando ei id tantopere complacitum eſt) eam deligamus hujus Exercitij tanquam patronam ac præſidem, confugiamúsque ad eam cum fiducia, ut mentibus noſtris paſſionis dilecti filij ſui, non modò perennem ſemperque vivam ſpeciem imprimat, ſed in ea etiam commeditandi ſenſum ac guſtum tenerioris pietatis inſtillet, dolorumque Matris ac filij conſenſum quendam & communionem impertiat. Quamobrem utiles eſſe poſſunt pij quidam rhythmi ex Planctu B. Mariæ, cujus initium eſt: *Stabat Mater doloroſa.* deſumpti. Cujus threnodiæ S. Gregorium autorem faciunt Philippus Bergomas aliique.

*Supplem. ad ann. 1393.*

Ca

# Caput X.

## *Chriſtum Dominum in omni vita, futuram paſſionem ſuam præ oculis habuiſſe.*

NEc magiſtros tantùm hortatoréſve in hujus Exercitij ſtudio habemus Chriſtum ejúſque Matrem, ſed antiſtites etiam ac duces; ut qui vitam omnem in ea ferè cogitatione & exercitatione poſuerint.

Ac primùm quod ad Chriſtum attinet; cum haud injuriâ dixerim, à primo ſuæ conceptionis momento, ad extremum uſque ſpiritum, in perpetua paſſionis ſuæ meditatione fuiſſe: ut quamvis ſubinde ſpecialiùs ei animum adverteret (velut cùm in horto Gethſemani, ipſa paſſione jam appetente, adeò vivam ejus ſpeciem effinxit animo, ut ipſe cogitationis horror ſanguineum illi ſudorem expreſſerit) non tamen videatur unquam futurorum dolorum imaginē ex animo depoſuiſſe; ut poſſet dicere cum Propheta: *Dolor meus in conſpectu meo ſemper.* *Pſal. 37.*

Id adeò B. Mechtildi (ut ejuſce rei certiores eſſemus) aliquando revelare dignatus eſt. Nam cùm illi prædulcis Iesvs inſtar pueruli quinquennis apparuiſſet, identidem reſpectantis manus ſuas; ipſáque hæreret, quid eo oſtento ſignificaretur; in hunc modum ei à Salvatore reſponſum eſt: Quemadmodum homines manus ſuas frequenter aſpiciunt, quas utique ſemper habeant in conſpectu: ita ſe ab infantia ad ſuum uſque è vita exceſſum, agitaſſe animo amaram paſſionem ſuam, & ſingula eorum quæ ſibi toleranda eſſent, nuſquam intermiſſâ cogitatione verſaſſe. *L. 2. c. 6.*

Equidem ipſo ſuo in mundum ingreſſu (quod teſtatur ad Hebræos ſcribens Apoſtolus) corpus ſibi aptatum aſpiciens, in quo pati & mori poſſet, libens ſe in tormenta & crucem, quibus à Patre deſtinabatur, obtulit; & impoſitam ſibi *Heb. 10.* *Pſal. 39.*

moriendi legem, ne unquam excideret animo, defixit in medio cordis ſui. Quo proinde factum (quod pluribus infrà demonſtrabimus) ut animo quidem aſſiduè in cruce eſſet, in cruce habitaret, ejúſque vita non eſſet aliud quàm juge ſacrificium,& perpetua ſuiipſius in ara crucis immolatio.

Hinc illa tam crebrò & in omni propè ſermone injecta paſſionis mentio. Hinc illæ voces deſideriorum cordis indices: *Baptiſmo habeo baptizari, &c.* Hinc illa toties ingeſta atque repetita: *Tradetur, illudetur, conſpuetur, flagellabitur, crucifigetur. Oportet eum multa pati. Cùm exaltatus fuero à terra. Si exaltaveritis filium hominis*; & ſimilia. Quæ uſq; adeò infixa gerebat animo, ut etiam inter plauſus ac triumphos, eorum ſenſum non amitteret; ſed oblata quoque lætitiæ argumenta,futurorum dolorum cogitatione reſpergeret. In ſua certè glorioſa Transfiguratione, apparentibus cum eo in majeſtate Moyſe & Elia, hoc ille ſermonis argumentum unicè habuit. Siquidem (ut teſtatur S. Lucas)
*Luc. 9.* *dicebant exceſſum ejus, quem completurus erat in Ieruſalem*: hoc eſt, loquebantur de exceſſu ejus è vita, & de morte crucis, quam erat Ieroſolymis obiturus. Et mox die altera cùm energumenum à malo dæmone liberaſſet, ſtupentibus omnibus, & *mirantibus quæ faciebat, dixit ad diſcipulos ſuos: Ponite vos in cordibus veſtris ſermones iſtos: Filius enim hominis futurum eſt, ut tradatur in manus hominum.*

Denique & extremum triumphum, quo inter populorum acclamantium, viáſque fronde ac veſte multâ conſternentium feſtivos plauſus, invectus eſt Ieroſolymam, nullo ſuo gaudio executus eſt, ſed mærore ac lacrymis aſperſit: quòd nempe ſe ut agnum paſchalem aſpiceret; qui de more gentis eâdem die, decimâ inquã menſis primi, de Bethphage inducebatur in urbem coronatus frondibus;ut docti obſervant Interpretes: proindéque ſeſe,qui nunc cum lætitia induceretur, paucis pòſt diebus, commutatâ vice, ejuſdem popu-

populi ſibi dilecti execrando ſcelere immolandum; quod eidem præſciret inexpiabilibus luendum eſſe ſupplicijs.

Nimirum aliæ à noſtris multúmque abſimiles erant Dei incarnati cogitationes, ſenſus & vota longè diverſa: ut qui non ijſdem gauderet rebus, quibus gaudemus nos; neq; mundi gloriam aut diem hominis deſideraret; ſed totus ferretur & anhelaret ad diem ſuum, hoc eſt (ſi Chryſoſtomo aliiſque credimus) diem paſſionis ac mortis ſuæ; quem utique pro ſuo in nos amore, non jam ſpectaret, ut diem amarum ac funeſtum, ſed ut genialem atque feſtivum; diem ſcilicet deſponſationis ſuæ (ut in Cantico Canticorum dicitur) & lætitiæ cordis ſui. Vt enim præclarè S. Bernardus: *Dies deſponſationis illius, dies iſta eſt; dies indignationis & blaſphemiæ, dies tribulationis & miſeriæ, dies percuſſionis & doloris, dies vinculorum & mortis, dies deſponſationis illius eſt*: Sic S. Bernardus. *Iſa. 8.* *Cant. 3.* *De Paſſ. Dñi c. 4.*

Eja, igitur, fidelis anima, imitare ſponſum ac Regem tuum; & (quod eſt Abbatis Lætienſis monitum) *Venerandã ejus paſſionem, tanquam pretioſam margaritam in ſcrinio pectoris tui reconditam habe, & eam grato animo revolve. Depinge mentem tuam ſuaviſſimis imaginibus paſſionis ejus; & floridam Dominicæ crucis arborem planta in medio cordis tui.* Vt nunquam ex animo tuo diſcedat ejus memoria, ſed vivam ſemper atque recentem in omni vita circumferas. *Spec. Spir. c. 10.*

# CAPUT XI.

## *Eandem ſeu cogitationem, ſeu memoriam B. Virgini familiariſſimam, ac ferè perpetuam fuiſſe.*

OStendamus nunc, quod ſuperiori incitamento attigimus, ipſam etiam Sanctiſſimam Dei Matrem, Filij ſui cru-

cruciatus, vel adhuc futuros identidem præmeditatam eſſe, vel jam præteritos, aſſiduâ memoria ac perenni luctu proſecutam.

## §. I.

### *Virginem Sanctiſsimam, futuram filij ſui paßionem continuè præmeditatam eſſe.*

ATque ut ab eo, quod primum propoſui, ordiar: B. Virginem vel ab ipſa filij ſui infantia, futuram ejus paſſionem ac mortem præſenſiſſe animo, & (quod inde videtur conſequens) de ea identidem, nec ſine dolore, recogitaſſe; etſi nullâ nobis autoritate conſtaret, eſſet tamen per ſe omnino veriſimile. Siquidem, ut erat divinarum litterarum ſcientiſſima, & interno quoque magiſterio, *à principio & plenè* (ut loquitur S. Bernardus) *de omnibus inſtructa myſterijs*, aperta Sanctorum Prophetarum & præſertim Iſaiæ, de Chriſti nece atque tormentis oracula ignorare ſcilicet non poterat. His adde recentes B. Simeonis voces, denuntiantis & iſtum puerum poſitum eſſe in ſignum cui contradiceretur (eâ nimirum contradictione de qua ad Hebræos dicit Apoſtolus: *Recogitate enim eum qui talem ſuſtinuit à peccatoribus adverſus ſemetipſum contradictionem*) & Matris animam, ipsâ conſenſione ac compaſſione dolorum Filij, velut ſpiritali quodam gladio tranſverberandam.

*Hom. 4. ſup Miſſ.*

*Heb. 12.*

Ergo inhærente jam tum lateri, fatali leto, cruciatuum filij ſui (ut ipſa non ſemel revelavit S. Birgittæ) perpetuâ expectatione cruciata eſt. Teſtatúrque S. Tereſia, idipſum his verbis ſibi à Chriſto manifeſtatum fuiſſe: *Noli putare, cùm matrem meam me in ſuis ulnis continentem vides, illam ſine magna amaritudine & tormento, illo fruitam gaudio fuiſſe. Iam inde enim ab eo tempore, quo Simeon illam doloris gladio transfigendam dixit, clarum ei Pater meus lumen infudit, quo illuſtrata videret, quid mihi patiendum eſſet.*

*L. 6. c. 51. &c.*

*Addit. ad Vitam ſuã.*

Acue-

Acuebat igitur doloris ſenſum aſſidua filij præſentia, & conſpectus amabilis faciei ſpecioſi formâ præ filijs hominum; reliquorúmque membrorum, quæ cui tormento ſubjicienda forent ſingula, præſaga & mæſta deſignatio. Itaque ſubinde diviniſſimi ejus infantis innocentes artus contuens; aut etiam pro materno jure verecundâ manu attrectans ac velut pertentans: Hæcine ajebat, teneræ ac delicatæ manus, hi ſpecioſi atque immaculati pedes, aliquando clavis trabalibus in crucis ſtipite ſuffigentur? Hoccine latus, divinitatis ſacrarium, cor iſtud ſancti amoris ſedes, & diviniorum affectionum officina, hoc inquam pectus compungetur crudeli lancea, & vaſto hiatu ac fœdo vulnere temerabitur? Quæ aut his affinia ſecum reputans, crebrò ſolvebatur in lacrymas; ut ſibi revelatum ab ipſa Virgine B. Birgitta teſtatur. Et videri poteſt ejusdem Sanctæ ſermo Angelicus *cap* 7. ubi ſigillatim minutatímque deſcribit, uti diſcurſu facto per membra ſingula, futuros filij ſui dolores æſtimaret ac meditaretur. *L. 1. c. 10.* *L. 2. c. 24.*

Sed & illi ſuccurrebat, opinor, cùm pro materno officio virgineum lac infantis labris immulgeret, eo ſe pacto materiam ſubminiſtrare, unde conficeretur & concreſceret pretioſus ſanguis, qui aliquando tormentorum vi expreſſus, humano generi redimendo inſtrumentum eſſet & pretium. Vt vel eo ſenſu meritò dicantur ejus ubera aſſimilata botris: quòd eà mente ac cogitatione Chriſtum lactans, neque tam ut filium, quàm ut agnum victimæ deſtinatum, eum educans; non tam ei lac dare, quàm ſanguinem affundere videretur. *Cant. 7.*

Neque obſcurum eſſe poteſt; quin annis porrò ſuccedentibus, quò propiùs in dies innocentem victimam cultro & aris admoveri ſentiret, hòc magis etiam ingraveſceret materna cura: cùm interim ipſa (ne, intempeſtiva forſitan futurorum commemoratione, Vnigeniti commoveren-

rentur viſcera )dolorem ſuum corde premeret ; niſi quà fortaſſis , aut mæſto quandóque oculorum in filium conjectu eum proderet, aut erumpente furtim gemitu loqueretur ; paritérque filius maternum vulnus intelligens, non niſi dejecto aut etiam ſubducto triſti lumine,vel obortâ lacrymulâ reſponderet : & ita, reciprocâ conſenſione, filius ac mater amantiſſimi, mutuis ſe ſauciarent doloribus, mutuis amoribus ſolarentur.

Quin etiam illud eſt veroſimile (quod piè commentatur S. Bernardinus Senenſis) *Serm.6.de B.V.a.1.c.1* in ipſo Divinæ Incarnationis articulo , Sanctiſſimam Virginem ſimul in Filij conceptionem, ſimul in mortem conſenſiſſe ; cúmque jam tum obtuliſſe Patri, velut pro mundi peccato hoſtiam, prout ipſe ſeſe eo ipſo momento offerebat Filius , ſéque unà cum illo quodammodo crucifixiſſe ; in eúmq; ſenſum (ex ejuſdem S. Bernardini phraſi)crucifixam crucifixum concepiſſe. Sic enim loquitur in eo de B. Virgine tractatu : *In ſignum igitur quòd* *Serm. cit.a. 2. c. 1.* *crucifixa crucifixum concepit, ordinavit ſumma Sapientia Dei, quòd eodem die Chriſtum concepit, quo etiam fuit paſſus.* Eadémque mente Richardus à S. Laurentio : *L.4.tit.Maria dilect.* *Ex quo filium concepit* (inquit) *ipſum pro mundi ſalute pati deſideravit ; ſicut videtur velle Ambroſius.*

## §. 2.

### *EandemVirginem filij ſui mortem acerbam,quam coràm ipſa ſpectaverat, aſſiduè recogitaſſe.*

IAm ut alterum illud, quod propoſitum erat, exequar : ſi, velut modò demonſtravimus, VirgoBeata præviſam duntaxat filij paſſionem, aſſiduo luctu atque dolore antegreſſa eſt : multò magis eamdem dicemus, crudeliſſimæ mortis ab eodem reipſa & in oculis ſuis , obitæ perennem altéque infixam dolenti animo recordationem aluiſſe. Quod equi-

dem

dem nemo dubitabit; niſi qui neſciat, Virginis animum præ amoris vi, perpetuò habitaſſe in filio; vel non intelligat, quàm efficax fuerit & penetrabilis ille doloris gladius, quo, ad filij morientis aſpectum, ipſius anima non præſtricta leviter, ſed ad ipſas uſque cordis medullas tranſfixa ac cruentata eſt. Nam ſi, ut multis Sanctorum uſuveniſſe jam vidimus, objecta duntaxat per viſum Chriſti crucifixi ſpecies, & obſcurum aliquod paſſionis ejus ſimulacrum, ſic illos affecit, itáque altè inſedit animo, ut in omnem deinceps ætatem imago illis patientis Chriſti ſemper ante oculos obverſari videretur: quid, amabo, dicendũ de Virgine; quæ, ut oculos materno amore eruditos habebat, longè aliter ac illi aſpiciebat Vnigenitum ſuum; longéque penitiùs introſpiciebat penetrabátque dolorum vim, quorum ipſa non modò teſtis oculatiſſima, ſed etiam ſocia atque particeps extiterat.

Itaque ex quo infami trabe pendentem ſuum Bennoni, filium inquam doloris ſui, & per extremos cruciatus animam exhalantem contemplata eſt; ita animo deinceps circumtulit nati ſui ſanguinolentam ſpeciem, ut paſſionem ejus ac mortem, non tam præteritam meminiſſe, quàm velut recentem atque præſentem intueri videretur: de quo ſic ipſa ad B. Birgittam: *Paſſio filij mei, ſive comedebam, ſive laborabam, quaſi recens erat in memoria mea.* Proinde (quod in Deuteronomio, ſed diverſo ſenſu, dictum eſt) aſſiduè erat vita ejus quaſi pendens ante oculos ejus: ſempérque auribus inſonare videbantur triſtes illæ moribundi voces, quibus maternum pectus acerrimè percuſſum & convulneratum eſt: *Mulier, ecce filius tuus*; aut illæ ſupremi laboris & extremæ deſertionis indices: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?*

*L. 1. Rev. c. 77.*

*S. Birg. l. 4 c. 70.*

Ita quidquid agitaret cogitarétve, aſperſum erat cruciatuum Chriſti memoriâ, & reliquam ætatem, iſtâ (ut ita dicam) dulci-amara meditatione condiebat.

Neque prætermittendum hoc loco, quod etſi minimè per ſe dubium eſſe poterat, tamen à Sophronio Jeroſolymorum Patriarcha aliiſque Patribus memoriæ proditum accepimus: ipſam Dei Matrem, poſt filij ſui in cœlum aſcenſum, loca quæ is ſuis doloribus atque ſanguine conſignaſſet ac conſecraſſet frequenter conviſere atque obire ſolitam. Qua

*Serm. de Aſſumpt. B. M.* de re S. Hildephonſus: *Si ſcire velimus* (inquit) *quid Dei Genitrix poſt Reſurrectionem Domini, ante quam ipſe cælos aſcenderet, agebat: ſine dubio loca Dominicæ Nativitatis, Paſſionis, ſepulturæ & Reſurrectionis frequenter circumiens inviſere cupiebat. In ijsdem etiam locis lacrymas fundebat, & ſanctiſſimi oris ſui oſcula imprimebat. Deinde ad notum ſibi refugium, Apoſtolicum contubernium, cum gaudio remeabat.* Et Joannes Gerſon tractatu 2. ſuper Magnificat, loquens in perſona diſcipuli; *Puto* ( inquit ) *quòd poſt paſſionem filij ſui B. Mater ejus crucem crebrò fuerit amplexata, omniaq; loca ubi ſteterunt ſacri pedes ejus, ſedula deoſculatione coluerit.* At generaliùs

*L. 6. c. 61.* ipſamet Virgo apud S. Birgittam: *Omni tempore* (inquit) *quo poſt Aſcenſionem filij mei vixi, viſitavi loca in quibus ipſe paſſus eſt, & mirabilia ſua oſtendit.*

## §. 3.

### *Ejusdem, in viſendis locis paſſione filij conſecratis, animi, ſtudium ac devotio.*

ERgo dolori amorive ſuo ſive levamen ſive pabulum quæſitura, aut S. Ioanne (ut in Flavio Dextro legitur) aut

*Ad ann. Dñ. 37.* cognatis matronis puellisve familiaribus comitata, exibat nunc orientem verſus, & torrentem Cedron prætergreſſa, divertebat primùm in villam Gethſemani, & hortum illum, primam dolorum filij ſui palæſtram ingrediens, & ad comites benignè converſa: Hic ille eſt, ajebat, fatalis hortus, ſcena horroris atque angoris; ubi JESVS meus triſtitiâ, tædio,

dio, mærore, pavore oppreſſus, non levi tormento ſupremis doloribus proluſerit. Iſtic (extra hortum) reliqui conſtitêre diſcipuli. Hîc tres illi Chriſto magis intimi, mæſtitiâ graves & ſomno oppreſſi jacuere. Ipſe ad hanc ſpecum (& ſimul illorſum deducebat comites ſuos) ipſe ad hanc ſpecum, poſitis genibus, & mox in faciem ſuam procidens, inter animi ſui triſtes angores, prolixiùs oravit Patrem, & hoc ecce ſolum, hos ceſpites cruento ſudore ſuffudit. Quibus in vocibus, cùm, ipsâ rei atrocitate, nonnihil commoveretur animo, vocemq; fortaſſis dolor ac ſingultus intercluderet; hortatu comitum, tantiſper corpus deponebat in gramine, tum dolori ſuo ac ſuſpirijs moram aliquam, tum laſſis artubus quietis nonnihil indultura.

Exinde digreſſa, cùm ſub horti exitum, filij ſui ad hoſtes occurſum indignaq; vincula, & proditoris diſcipuli fatum infelix, nec ſine gemitu, commeminiſſet; conſcenſo clivo Olivarum, evadebat in montis verticem; locum illum Chriſti in cælum aſcenſu nobilem, ex intervallo reviſura. Quò poſtquam denique perventum erat: Hic verò, ajebat, ille locus eſt, ex quo dilectus meus, poſt ſuprema monita fauſtasq; precationes, inter omnium qui aderamus mixta lacrymis gaudia, in cælum iter intendit; aſpectantiumque, ac quoad longè licuit proſequentium, oculis ereptus, iſtæc quæ videtis impreſſa rupi, pedum ſuorum veſtigia, ad rei memoriam & ſolatium noſtrum reliquit. Igitur unà cum comitibus humi provoluta, diſſvaviabatur inſculptas [illegible]o veſtigiorum notas, ijsdemque pio ploratu reſperſis, velut amabili maternæ pietatis officio perfuncta, ad ædes ſuas & gratam ſibi ſolitudinem revertebat.

Aliàs autem, idq; frequentiùs, Occidentem verſus intendens, conſcendebat montem Calvariæ, luſtratura locos tantarum myſteriorum teſtes; & filij ſui ſupremo labore, morte, ſepulcro inſignitos: pioq; ſtudio dilecti ſui veſtigia

relegens, quid quoque loco geſtum fuiſſet, aut tacitâ ſecum cogitatione retractabat, aut ſuis à latere Virginibus commemorabat. Itaque ab ipſo principio viam, qua de Præſidis prætorio in Calvariam itur, inſiſtens: Eheu! hàc (ajebat) bajulans ſibi crucem, cum hominum turba infinita, egreſſus eſt afflictiſſimus JESVS meus. Hoc ille calle anhelus ac gemens, & (ut eſt via hæc ſaxis aſpera, eratque crucis immane pondus, & ipſe exhauſtus ac defectus viribus) vix pedibus inſiſtens, & greſſu non ſemel lapſante, contendit. Atque in eo quem mox monſtrabo loco, oneri denique planè ſuccumbens, toto in terram concidit corpore; ipſaque prolapſione & crucis alliſu, apertis renovatisq; plagis, locum erumpente de ſacris venis cruore ſignavit.

Inde porrò nonnihil progreſſa, & pòſt paulò ſubſiſtens: Hic verò locus eſt (inquiebat cum gemitu) quo ego illum, cùm euntem perſequerer, demum aſſecuta, & (prout efficax eſt maternus amor) per obſtantem lictorum turbam ad eum penetrans; heu! illum denique ſub cruce incurvum, dejecto vultu, liventibus genis, oculis ſangvine oppletis, facie omni defecta ac deformata, vix ut agnoſci poſſet (ſed quo meo, putatis, quo ipſius dolore!) conſpexi: cùm ille viciſſim adverſis ad me luminibus, mæſtam mæſtus aſpiceret, & ore nihil, multa oculis, plura corde loqueremur. O occurſum triſtem! ô diem illam utrique noſtrum luctuoſam atque acerbam! Ad extremum obiter monſtrato loco, ubi vel mulieres ſuper ſe plorantes affatus eſſet, vel à Berenice accepto velo ſui vultus effigiem prodigioſè impreſſiſſet, ſumma denique Calvarij juga non ſine labore ſuperabat. Atque hîc pluſculum & moræ ponebat & operæ; cùm vel ad locum crucis & mortis nati ſui conſiſtens, quid ille quolibet temporis puncto, aut paſſus aut effatus eſſet, memoriâ repeteret; vel loca ſignaret, quibus ipſa locis, ſive filio morienti aſtitiſſet, ſive exanimem & cruce depoſitum, triſte

ſimul

ſimul ac dulce pondus, mæſto gremio complexa eſſet; vel denique vicinâ in rupe, ſepulcrum ejus glorioſum, religioſè conviſeret. Jamq; dolorem ac luctum renovante locorum conſpectu, ſingula loca perfundebat lacrymis, & modò illis advoluta, pijs oſculis donabat; modò ad illa conſidens, eorum quæ iſtic geſta eſſent contemplationi inſiſtebat; vix ut denique poſſet avelli.

Nam in Chriſti Matrem certiùs ſanè conveniant, quæ in re ſimili ſcribit de S. Paulâ S. Hieronymus: *Proſtrata ante crucem, quaſi pendentem Dominum cerneret, adorabat. Ingreſſa ſepulcrum reſurrectionis, oſculabatur lapidem, quem ab oſtio monumenti amoverat Angelus: & ipſum corporis locum, in quo Dominus jacuerat, quaſi ſitiens deſideratas aquas, fideli ore lambebat. Quid ibi lacrymarum, quantum gemituum, quid doloris effuderit, teſtis eſt cuncta Ieroſolyma, teſtis eſt ipſe Dominus quem rogabat.* Quos itidem pios animi ſenſus & illa indicat epiſtola, quam Paula ipſa & Euſtochium, Hieronymo dictante ſcripſere ad Marcellam, eam invitantes ut in Bethlehem veniat; ubi hæc inter cætera: *Ergóne erit illa dies, quando nobis liceat ſpeluncam Salvatoris intrare, in ſepulcro Domini flere cum ſorore, flere cum matre; crucis deinde lambere lignum, & in Oliveti monte cum aſcendente Domino, voto & animo ſublevari, &c.* Ep. 27. c. 3. Ep: 17.

Harum igitur exercitationum piâ viciſſitudine DEI Mater ſolabatur orbitatem ſuam, vitæ moras, exilij tædia; &, uti Sponſa ex Canticis, cor amore languens, dilectiq; ſui deſiderio & expectatione deficientem animam, rerum quas in vita ille feciſſet protuliſſetve, memoriâ, velut aurâ florum, odoratorumq; malorum ſpiritu fulciebat ac ſuſtentabat.

Sed diu me tenet iſtius argumenti ſvavitas. Finiam igitur, ſi verbo addidero: Paſſionis filij ſui memoriam, non tantùm Virgini in terris degenti fuiſſe familiariſſimam; ſed etiam eidem in cælo ævum agenti cum filio, perpetuò in

P. 3. ſtim. c. 16. pectore hæſuram: quoniam (ut ait S. Bonaventura) *ſicut illa ſtigmata ſemper erunt in Filij corpore; ſic ſemper in Matris mente.* Quod quidem ampliùs intelligetur ex jam dicendis.

# CAPUT XII.

## *Hanc fore perennem jucundamq́; Sanctorum in cælo occupationem.*

### §. I.

### *Circa Chriſtum ejusq́; vulnera, Sanctorum in cælo ſenſus prædulces.*

NEque ad id, de quo nunc agimus, minimo nobis ſtimulo & incitamento eſſe debet: quòd (ut piè & cum ratione meditari poſſumus) hoc quoque futurum ſit perenne & aſſiduum exercitium Beatorum; poſt ſuperata Salvatoris ope ac paſſionis ejus meritis, mortalis vitæ pericula, miſericordias Domini æterno cantico celebrantium. *Pſ.* 88.

Nam ſi pars magna illius felicitatis erit, agnoſcere ac demirari vias, quibus quemque DEUS, occultâ ſed forti certaq; providentiâ, ad portum denique æternæ ſalutis deduxerit: non minùs dulce erit ſcrutari ac recognoſcere, quo tanquam ex fonte provenerint illis bona omnia; Chriſti nimirum Salvatoris merita, modosq́; admirabiles, quibus illam noſtræ ſalutis œconomiam diſpensârit atque impleverit. *Apoc.* 4. & 5. Enimverò (ut non obſcurè in Joannis Apocalypſi adumbratum legimus) DEI ſolium & Agnum circumſtantes, ſubmittent identidem coronas ſuas, teſtati ſe eas tenere Agni beneficio, qui etiam tum tanquam occiſus eorum oculis obverſabitur; & citharis ſuis, hoc eſt cordibus amoris & gratiarum pleniſſimis, decantabunt illud ſolenne carmen, quo aſſiduè reſonabit aula cæleſtis: *Dignus eſt*

*eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & divinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.* Aut alijs ſanè non abſimilibus, immenſas Domini ac Redemptoris miſericordias in æternum cantabunt. *Quo* quidem *cantico* (ut ait S. Auguſtinus) *in gloriam gratiæ Chriſti, cujus ſanguine liberati ſumus, nihil erit profectò illi jucundius civitati.* *L. 22. de civit. c. 30.*

Atque vel idcircò etiam Dominus noſter, poſt communem reſurrectionem & completum electorum numerum, quando nulla jam cauſa erit, quamobrem pro illis appellet Patrem, & merita ſua demonſtratis vulnerum cicatricibus alleget; adhuc tamen in carne ſua plagarum veſtigia retenturus eſt; ut vel ſic offerat Beatorum oculis perennia ſuæ charitatis pignora, alatque in eorum animis amabilem ſuæ paſſionis recordationem; neque jam ſoli Thomæ, ſed communiter omnibus liceat (ita permittente benigniſſimo Salvatore) digitum inferre in locum clavorum, & manum mittere in latus ejus; & jam quodammodo palpare, quanta ſit dulcedo divini cordis, & quæ flammæ, æſtus, incendia, immenſi & inexhauſti & indeficientis amoris.

Nec abſurdè fecero fortaſſis, ſi illa Chriſti ad Magdalenam verba, ſenſu obvio atque facili, eam in partem interpreter; *Noli me tangere; nondum enim aſcendi ad Patrem meum.* *Ioan. 20.* Planè ac ſi diceret: Intempeſtivum nunc quidem eſt hoc genus officij, quando immortalis inter mortales adhuc verſor. At poſtquam aſcendero ad Patrem, & vos in cæli regno mecum eritis; tunc utique licebit me tangere, & juvabit delectabitq; electos meos, oſcula pedibus meis figere, palpare vulnera, intrare in latus apertum, & ita haurire cum gaudio de fontibus Salvatoris. Jam verò noli me familiariùs tangere: nondum enim ejus rei tempus eſt, neque id mortali adverſus immortalem eſt conceſſum.

Inter hæc, quænam, putatis, erunt exultationes & gaudia,

qui ſenſus motusúe animorum, amore ſimul & voluptate intimâ colliqueſcentium? Quo ſtupore defixæ hærebunt illæ millies beatæ mentes? quæ ultro citroq; colloquia, non tam oris & linguæ officio (quanquam & illo fortaſſis) quàm organo cordis & affectuum dulci murmure expreſſa! Cùm ille cæleſtis Sionis felix populus, velut examen apicularum Paradiſi, convolabit ad melliflua Chriſti vulnera, & tanquam rei ſemper novæ admiratione; modo de ipſo Salvatore quæret, quod olim edixit Zacharias: *Quid ſunt plagæ*
Zach. 13. *iſtæ in medio manuum tuarum?* Quid illæ ſibi volunt ſacris impreſſæ pedibus cicatrices? Quid roſeum iſtud vulnus lateris, & divini cordis amabilis apertura? modò Iſaiæ acroa-
Iſa. 63. mate: *Quis eſt iſte* (inquient) *qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra? Iſte formoſus in ſtola ſua, gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ?* Aut: *Quare rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimenta tua, ſicut calcantium in torculari?* Et ille ſingulis reſpondebit ad aurem cordis: Se præ nimio amoris exceſſu accepiſſe has plagas, ſalutis ipſorum gratiâ; & calcaſſe paſſionis torcular ipſorum peccatis debitum: unde
Apoc. 19. veſtem habeat aſperſam ſanguine, & corpus his notis cicatricibusq; compunctum. Neque verò ſeſe tantorum laborum aut cruciatuum pænitere: quando eum ſuæ paſſionis fructum aſpiciat, videatq; ſanguinem ſuum pro ijs, quos perpetuâ charitate dilexerit, non inutiliter eſſe profuſum.

Hîc verò in beata multitudine, quàm dulces rurſum amoris æſtus, quàm ſubſultantium gaudiorum reciprocationem exiſtere neceſſe eſt? quàm lætas voces gratulationesúe, illum Servatorem ac Redemptorem amantiſſimum, illum ſuæ ſalutis ac felicitatis autorem unicum, illum patrem, amatorem, ſponſum, omnia, appellantium: neque ſibi modò felicitatem ſuam, ſed ipſi quoque Imperatori ſuo partam gloriam gratulantium, quòd incredibili animi fortitudine, & vincendi genere inaudito, hoſtes infenſiſſimos, mundum, diabolum,

Digitized by Google

diabolum, peccatum, moriendo debellaverit; quòd populum ſuum de tyrannica poteſtate ereptum, in optatam libertatem aſſeruerit, quòd chirographum decreti nobis contrarium ſanguine ſuo deleverit; quòd mortis autore ad crucis trophæum alligato, mortem in ſempiternum præcipitaverit; quòd morte ſua cælum electis aperuerit; quòd opimis ſpolijs de hoſte captis, ſuprema cælorum ttiumphans invectus ſit; quòd ſedens ad dexteram Patris, pro laboribus ſuſceptis quietem interminatam, pro perpeſſis doloribus immenſam animi lætitiam, pro opprobrijs & ignominia ſupremam gloriam & divinos honores conſecutus ſit; quòd denique in medio electorum & dilectorum ſuorum, auguſtus, felix, glorioſus in perpetuum regnaturus ſit.

*Col. 2.* *Iſa. 25.*

Verùm hæc, & his ſimilia, quæ ab humano ſenſu longiſſimè poſita, obſcurâ duntaxat ſuſpicione attingimus, devotæ potiùs ſanctarum mentium cogitationi ac meditationi relinquamus.

## §. 2.

### *Domini crucem in cælorum faſtigio, poſt judicium, collocandam videri.*

VEruntamen ad id quod propoſui, non parum, opinor, conferet, ſi illud etiam adjunxerimus; quod etſi video incertum eſſe, tamen & piè credi, & ratione probabili defendi poteſt: ipſam nimirum Domini crucem (ipſum inquam lignum in quo pependit Aſſertor noſter) poſt diem extremi judicij, æternum præclaræ victoriæ ſignum ac monumentum, cæli penetralibus inferendam, ibiq; excelſo atque illuſtri loco poſitam, omnium Sanctorum in ſe oculos admirabili decore, & fulgoris immenſi majeſtate, converſuram.

Ad quam ſeu piam credulitatem ſeu probabilem conjecturam,

Digitized by Google

*Thom. VValdenſ. Conzen, Cornelius, Gretſer. &c. Matth. 24.*

jecturam, non difficulter induci poterit, qui illam probârit, non paucorum equidẽ nec ignobilium autorũ ſententiam; qui ex ipſius Domini prædictione, ſub extremum ejus adventum, non aliquam ſolùm crucis figuram ex aëre nubibusve formatam in cælo apparituram cenſent, ſed ipſiſſimam Domini crucem, recollectis in unum omnibus ipſius etiam aſſulis ac pulviſculis prodigiosè inſtauratam ac redintegratam; eamq; Chriſto ad judicium deſcendenti, tanquam ſignum filij hominis, id eſt inſigne vexillumúe Judicis, Angelico miniſterio præferendam. Cui opinioni favet Joannes Chryſoſtomus homilia de cruce & latrone. Et S. Ephrem citatus à noſtro Gretſero l. 1. de cruce c. 92. Atque ad eandem confirmandam faciunt, tum Sibyllæ verſus ita canentis libro ſexto:

*O lignum felix, in quo DEVS ipſe pependit!*
*Nec te terra capit, ſed cæli tecta videbis,*
*Cùm rediviva DEI facies ignita micabit.*

*Rev. extra. c. 106.*

Tum illa Chriſti ad B. Birgittam allocutio: *Veniet tempus, quo lignum, quod nunc contemnitur, terribile apparebit.* Hæc enim non poſſunt de ſola figura crucis accipi, ſed de ipſa vera cruce Domini; quæ utique ſola nomine ligni in quo DEVS pependit ſolet ac debet intelligi.

In illa igitur generali rerum innovatione, reſuſcitabit Chriſtus quodammodo, ac velut redivivam repræſentabit crucem ſuam, & magno ſplendore atque gloriâ coruſcantem objiciet judicandorum oculis; ad impiorum opprobrium atque terrorem, juſtorum autem non mediocrem conſolationem.

Neque mirum admodum aut inſolens cuiquam videri debet: ſi in illa luce ſupremi honoris ac gloriæ, ad crucem ſuam, inſtrumentum utique extremæ ſuæ ignominiæ, in orbis totius oculis honeſtandam atque illuſtrandam, eum fateamur quidpiam extra naturæ ordinem & miraculi plenum

Digitized by Google

num facere: qui ad ejusdem crucis gloriam ſpargendam ac propagandam, conſpicuo atque teſtato per plura ſæcula miraculo, illam ipsâ ſui diviſione ſic multiplicavit, ut vivifici iſtius ligni partibus atque fragmentis univerſus orbis (uti loquitur S. Cyrillus) ferè repletus ſit. Nam nequis fortaſſis eam ligni crucis prodigioſam atque divinam multiplicationem, novitiæ Theologiæ aut nimis credulæ pietatis commentum putet: Videat eam tum à modò laudato Cyrillo (qui & Jeroſolymorum Epiſcopus erat, & rem ſui temporis ſcribebat) non obſcurè aſſertam; tum evidentiùs à S. Paulino traditam, qui epiſtolâ quâdam de ſua etiam ætate ſic loquitur: *Quæ quidem crux in materia inſenſata vim vivam tenens, ita ex illo tempore* (quo ſcilicet ab S. Helena inventa eſt) *innumeris pene quotidie hominum votis lignum ſuum commodat, ut detrimenta non ſentiat, & quaſi intacta permaneat, quotidie dividuam ſumentibus, & ſemper totam venerantibus.* Adjungit deinde & in rem noſtram: *Sed iſtam imputribilem virtutem & indelebilem ſoliditatem de illius profectò carnis ſanguine bibit, quæ paſſa mortem, non vidit corruptionem.* Hæc S. Paulinus.

*Catech. 4. & 10.*

*Ep. 11. ad Sever.*

Sed neque rurſum iſti de vera cruce in nubibus olim apparitura ſententiæ obſtare poteſt; quòd ea minor videatur, quàm ut toti mundo poſſit eſſe conſpicua. Advertendum quippe eſt, eandem hîc & de Chriſti corpore moveri poſſe quæſtionem: quem nimirum conſtat, & ſecundùm humanam figuram crucis ſuæ mole non magis eſſe ſpectabilem, & tamen in ea omnibus fore conſpicuum; juxta illud Apoc. 1. *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.*

Non deerit igitur Deo ratio; qua, ſicut ſacram ſuam humanitatem, ita & crucem ſuam, è nube prælúſtri reddat orbi toti, id eſt hominibus in valle Joſaphat ad judicium congregatis, perſpicuam atque ſpectabilem; adhibitâ etiam



Digitized by Google

( ſi ea opus erit ) aliquâ ſeu organi ſeu medij immutatione; quo modo B. Stephanus vel in ipſo cælo vidit JESVM ſtantem à dextris DEI. Cùm & alioqui circa crucem addenſari poſſit nubes aliqua translucens ac pervia, quæ tum inſtar cryſtalli pellucidæ eam decorè cingat ac veſtiat; tum ipsâ, quam vocant, viſibilium ſpecierum refractione, ejus quodammodo magnitudinem augeat, ut magis è longinquo poſſit conſpici.

Nihil igitur eſt quod huic ſententiæ, de veræ crucis, tanquam novi cæleſtis phænomeni, in judicio apparitione, ſuam probabilitatem adimat. Porrò hac opinione poſitâ, pronum eſt ad illud, quod principio dicebamus, gradum facere: ut ſcilicet non abſurdè dicamus, eandem ipſam Chriſti crucem poſt diem judicij cæleſtibus adytis inferendam, ibiq; incorruptam ac glorioſam, veluti perenne Salvatoris noſtri de ſubactis ac triumphatis hoſtibus trophæum, totâ æternitate conſervandam.

Quis enim in animum inducat ſuum; lignum illud felix ac vivificum, tanto miraculo, ſive communi orbis incendio ſuperſtes, ſive coaleſcentibus in unum ipſius particulis redintegratum & quaſi reſuſcitatum, tantâque gloriâ atque ſplendore honeſtatum; aut deinceps fore corruptioni obnoxium, immò reipſa confeſtim corrumpendum; aut glorioſum jam & incorruptum, terræ potiùs relinquendum, quàm cælo aſſerendum? Ut in hunc quoque ſenſum accipere liceat verba Sibyllæ; dum lignum iſtud dicit, terrâ non capiendum, ſed cæleſtem domum, hoc eſt ipſa adyta ac penetralia cæli viſurum. Quapropter & Thomas Waldenſis, *Tom. 3. c. 158.* cùm pro veræ crucis in judicio inſtauratione atque exhibitione Chryſoſtomi verba retuliſſet, conſequenter adjungit: *Ergo ipſum lignum crucis portabitur humeris* ( Angelorum ſcilicet ex mente S. Chryſoſtomi ) *quod ſecum in cælum levabit Chriſtus, nec relinquet ſolam in terris.* In quem etiam ſenſum fortaſſe

Digitized by Google

fortaſſe cenſebit nonnemo, Chriſti crucem à S. Ambroſio *æternalem* appellatam; velut ſempiterno in cælis ævo duraturam. Idem multos velle teſtatur noſter Cornelius. Et videri poteſt Cyprianus Uberti l. 4. de Cruce c. 8. ubi expreſsè docet; crucem cælo æternùm recipiendam, neque convenire, ut Beati æternùm ejus aſpectu priventur: quanquam is in principio ſignificet, non ipſum lignum crucis Dominicæ, ſed ex aëre condenſatam crucis figuram in judicio comparituram.

*De inſtit. Virg. c. 17.*
*Eph. 3. v. 18*

## §. 3.

### *Sanctorum ad Domini crucem ſolennis ac feſta occupatio.*

SEd quoniam ſemel in eam cogitationem venimus, & illud conſequenter piè licebit cõmentari: ut, quemadmodum nunc ex recepto Eccleſiæ more, Clero populoq; ſupplicationis ergò procedenti, ſignũ crucis præfertur, ut Chriſti vexillum & nota propria militantis Eccleſiæ: ita in illâ poſt homines natos ſolenniſſima lætiſſimaq; agminum beatorum è loco judicij ad cæli templa proceſſione, ipſum crucis lignum præferendum ſit, ut regale vexillum Domini noſtri, & perpetuum Eccleſiæ cum eo triumphantis inſigne. O diem illam (ſic enim meritò illam appellem) Exaltationis ſanctæ crucis verè feſtivam: quando non jam in Golgothæ faſtigio, ſed in ſumma cæleſtis Sionis arce, inter lætiſſimas totius cæleſtis curiæ acclamationes locabitur, ſplendore fulgens inextinguibili, ac lauro palmiſue perennibus, atque immortalibus amaranthis coronata! Atque exinde licebit delectabitq; cæli cives, iſti ligno vitæ in medio Paradiſi poſito certatim circumfundi, & nunc illud complexu ſtringere, nunc jucundè diſſuaviari, nunc altitudinem ejus longitudinemue metiri, nunc cognoſcere loca clavorum, nunc, ſiqua fortaſſis in eo ſuperſint divini cruoris veſtigia, ore rimari; ad extremum altiſſima eorum myſteriorum, quæ in



Digitized by Google

eo facta ſunt contemplatione & admiratione defixos, ſub ejus umbra requieſcere.

Pòſt verò ad plauſus gratulationesq; converſi: Hoc illud eſt, inquient, inclytum lignum, ſceptrum Regis, vexillum Ducis, currus Triumphatoris noſtri. Hoc gladio cæſus eſt hoſtis, debellatæ inferorum poteſtates, triumphata mors & exarmata. Salve lectule Salomonis noſtri, altare holocauſti diviniſsimi, arca naufragantium, dux errantium, reorum aſylum, baculus peregrinantium, lignum vitæ, pignus gloriæ, clavis cæli, portus ſalutis, trophæum immortalitatis. Ita pro ſe quisque (quantum conjecturâ licet aſſequi) in pulchras ſeu crucis ſeu Crucifixi laudes effuſi, unà in varios ſeſe affectus explicabunt, ipſis prædulces, nobis autem inexplicabiles.

Sed earum rerum guſtum aliquem dare ſtudui; ut familiariorem jucundamq; nobis reddamus crucis ac Crucifixi memoriam, & hoc habeamus, vel pium animi avocamentum inter curas mortalis vitæ, vel dulce laborum miſeriarumq; levamentum; atque exules ac peregrinos delectare incipiat in via, quod cives Sanctorum & domeſticos Dei factos, æternùm tenebit oblectabitq; in patria.

Verùm cùm poſt hæc ſcripta in B. Petri Damiani locum inciderim, in quo ea quæ modò dixi, apertè ac planè traduntur, placet ejus verba ad rei totius confirmationem adducere.

Is enim ſermone 49. cùm illa dixiſſet: Beatam crucem extremi judicij tempore, Angelorum ulnis advehendam & ponendam ob omnium oculos, non auro jam gemmisúe conſpicuam, ſed ſupra ſtellarum ſolisq; ſplendorem, radiantem: tum ita expreſsè in rem noſtram. *Expleto itaque judicio, cum ipſa cruce omnes juſti ſimul p ovehuntur ad regnum; cujus olim ſive in pace, ſive in perſecutione pertulere ſupplicium. In illa igitur immortalitatis gloria, crucem ſplendidiſſimam*

*ſemper*

*ſemper aſpiciunt, ſignumq́ victoriæ quo redempti ſunt, mundumq́ vicerunt, habere ſe præ oculis ineffabiliter gratulantur. Propterea & Salvatoris ſui jugiter laudes alternant, eiq́ ſemper gratias referentes, in illa perpetuæ jucunditatis amænitate tripudiant.* Hæc omnia B. Petrus Damiani.

# CAPUT XIII.

## *Iugem ac devotam patientis Chriſti memoriam, eſſe magnum ſignum Divinæ prædeſtinationis.*

### §. I.

*Ejus aſſertionis ratio ac ſenſus exponitur.*

PErmagna vis in hoc argumento ac momenti plurimum poſitum eſt. Nam veluti ijs qui erga Chriſti paſſionem piè ſe affectos ſentiant, non medioeri ſolatio; ita cuivis animæ de ſua ſalute ſolicitæ, ad idem ſtudium ſuſcipiendũ acri incitamento fuerit; ſi illud perſvaſerimus: Chriſti paſſioni addictum devotumq; animum, notam eſſe electorum propriam, & non obſcurum indicium divinæ ad ſalutem prædeſtinationis.

Cujus quidem rei nobis umbra quædam atque figura proponitur Ezechielis nono capite; ubi DEVS offenſus populi ſui ſceleribus, diſperdere volens ac delere Jeruſalem, præcepit Angelo, ut tranſiret per mediam civitatem, præcedens ultrices aliorum Angelorum dexteras; & *ſignaret Thau ſuper frontes gementium, & dolentium ſuper cunctis abominationibus quæ fiunt in medio ejus:* nimirum ut eo inſigni ac notâ diſcreti à cæteris, immunes eſſent communis vindictæ, nec cædis diſcrimine implicarentur.

Ut autem obſervat in eum locum S. Hieronymus: *Antiquis*



Digitized by Google

*tiquis Hebræorum litteris*, *quibus uſque hodie* ( inquit ) *Samaritæ utuntur*, *extrema Tau crucis habet ſimilitudinem:* quòd videlicet hæc Hebræorum littera, eâ olim figurâ efformaretur, quâ etiamnum majuſcula T apud Græcos & Latinos, aut (ut ex nummis veteribus aliquot colligunt alij) ad modum crucis decuſſatæ. Unde etiam Syri codices apud Ezechielem pro *Thau* legunt, *Signa crucem in frontibus gementium*; ut Interpretes paſſim advertunt. Nec deſunt, qui ad hoc Ezechielis viſum, unaq; Joannis Apocalypſim cap. 7. reſpicientes, opinentur in die judicij, ſignum crucis non tantùm appariturum in cælo, ſed etiam in frontibus eorum, quos DEVS ad ſalutem elegerit: quorum piam ( ut ipſe appellat ) meditationem, refert nec improbat noſter Salmeron; & ſequitur abſolutè Cornelius Matth. 24. Deníque S. Franciſcum, ſigno *Tau* ( velut amatorum crucis & electorum proprio ) litteras ſuas conſignare ſolitum, teſtatur S. Bonaventura, vitâ ejus extremâ. Itemq; expreſſiùs cap. 4. cùm præmiſiſſet F. Pacificum, cùm primùm ad S. Patrem acceſſit, vidiſſe magnum Thau in ejus fronte, quod colorum varietate diſtinctum, faciem ipſius miro venuſtabat ornatu: *Hoc quippe ſignum* ( inquit ) *Vir Sanctus magno venerabatur affectu, frequenti commendabat eloquio, & in eis quas dirigebat litterulis manu ipſius ſubſcribebat: tanquam ſi omne ipſius ſtudium foret, ſignare Thau, juxta dictum Propheticum, ſuper frontes virorum gementium & dolentium, ad Chriſtum veraciter converſorum*. Ita ibi.

Tom. p. 3. tr. 40.

Ad extremum illud in rem noſtram ſingulare eſt & mirabile, quod de S. Humberto Epiſcopo tradit autor vitæ S. Amandi apud Surium his verbis: *Angelo revelante, tam ſibi quàm B. Amando, coronam in cælis præparatam cognovit; atque ad indicium rei certæ, eodem Angelo imprimente, ſignum crucis in vertice, oſſe, crucis in modum implicato, viſibiliter uſque ad mortem deportavit*. Ubi apertè vides, crucis figuram

cap. 25.

divini-

divinitus exſculptam efformatamq; in Sancti vertice, velut notam ac ſignum divinæ prædeſtinationis.

Cui affine eſt, quod in pago Aquila, ditionis Luxemburgenſis haud procul Treviris, aſſervatur (ut ajunt) vertex cranij S. Dionyſij Areopagitæ; in cujus parte exteriori crux cernitur alba, cùm reliquum cranium ſubnigrum ſit, ipsâ etiam materiæ conditione & tanquam texturâ differens; quam credunt impreſſam à S. Paulo illum baptizante aut conſecrante: de quo P. Petrus Halloix noſter in Notis ad vitam S. Dionyſij cap. 4.

Quæ tametſi eò præſertim pertinent; ut intelligatur crucis ac mortis Chriſti efficacitas, cujus utique meritis diſcernantur electi à reprobis, & ſalventur quicunque ſalvantur: tamen ad hoc etiam valere poſſunt, ut dicamus, neque immeritò: Crucis ſignum inſcriptum frontibus gementium, ſive paſſionis ac mortis Chriſti memoriam menti ac cordi piorum altè impreſſam, eſſe characterem electorum proprium, ſeu ſpecialem notam divinæ prædeſtinationis. Quod quidem exiſtimo communiter receptum apud eos, qui de ſignis divinæ prædeſtinationis tractârunt; & video pluribus diſputatum, atque ex Scriptura & Patribus confirmatum à Julio Recupito, opuſculo de eâ materiâ cap. 16.

Veruntamen ut ei aſſertioni lucis aliquid addam; obſervo eam duplici ratione intelligi & explicari poſſe. Primùm, ut hoc ſenſu dicatur paſſionis Chriſti memoria non vanum eſſe indicium æternæ ſalutis, quod attentè ac piè recogitata Chriſti paſſio, ita hominis mentem per ſe ipſa refrænet ac cohibeat, ut non facilè admittat quidquam gravius, quo Dei ac Salvatoris ſui, tam multa & tam indigna pro ſe paſſi, offenſam incurrat: quemadmodum de jugi noviſſimorum memoria Eccleſiaſtici cap. 7. dicitur: eum in æternum non peccaturum, qui in omnibus operibus ſuis noviſſimorum ſuorum meminerit.

Atque

**Atque in hunc ſenſum vim habet quod paſſim ex S. Au-**
*Man. c. 22.* guſtino adfertur: *In omnibus non inveni tam efficax remedium quàm vulnera Christi.* id eſt, quàm recurſum ad Chriſti vulnera, per attentam & piam paſſionum ejus meditationem. Et quod etiam magis affirmatè Origenes: *Certum*, inquit, *eſt, quod ubi mors Chriſti animo circumfertur, non poteſt regnare peccatum. Eſt enim tanta vis crucis Chriſti, ut ſi*
*L. 6. in ep. Rom.* *ante oculos ponatur, & in mente fideliter retineatur, ita ut in ipſam mortem Chriſti intentis oculis inſpiciatur, nulla concupiſcentia, nulla libido, nullus furor, nulla ſuperare poſſit invidia: ſed continuò ad ejus præſentiam, totus ille quem ſuprà enumeravimus peccati & carnis fugatur exercitus.* Nimirum attentè in Chriſtum ſuâ causâ paſſum ac crucifixum aſpicienti, continuò ſuccurrit & oboritur, illa apud S. Bernardum, animi ſeipſum indignantis & increpitantis incuſatio: *Adhúcne ludam, & deludam lacrymas ejus?* Adhuc profundam & conculcabo divinum ſanguinem? Adhuc addam ſuper dolorem vulnerum ipſius?

Nec verò temere Hebræos hortatur Apoſtolus, ut
*Heb. 12.* Chriſti crucem ac paſſionem recogitent, ſive ( ut eſt in Græco ) attentè & ſeriò cogitent, ut ne deficiant animis ſuis adverſus peccatum repugnantes.

Alio modo paſſionis Chriſti grata memoria dici poteſt argumentum eſſe divinæ prædeſtinationis; quòd non videatur paſſurus eſſe amantiſsimus Salvator, ut is malè pereat, maneatq; paſsionis ſuæ æternùm exors, qui in ea piè recolenda ac meditanda conſtanter ſeſe ac jugiter exercuerit. Itaque vel eum ſingulariter proteget, ne quam graviorem noxam incidat; vel ſi inciderit, permiſſurus non eſt ut moriatur abſque pænitentia: quo modo in re ſimili, etiam à nonnullis Patrum dicitur, malè mori non poſſe, qui Sanctiſsimam Chriſti Matrem tenerè ac conſtanter amaverit, ejusq; gratiam, perpetuo aliquo ac ſtato cultu, ſedulò demereri ſtuduerit.

Quo

Digitized by Google

Quo etiam modo, opinor, explicandum erit, quod in vita Venerabilis Matris Annæ à S. Bartholomæo, dicitur ei inſinuatum eſſe divinitus: quotidianam vel minimam de Chriſti paſsione cogitationem ſufficere ad ſalutem. Quòd nimirum piè credi poſſit ſpeciali cura ac protectione adfuturus Salvator ei, qui ex devoto atque conſtanti in paſsionem ejus affectu aliquantum temporis quotidie in ea attentè recogitanda poſuerit.

Et ſimili aliquâ interpretatione molliendum erit, quod exaggeratè dicit Innocentius III. in quadam ad Chriſtum precatione: *Scimus quod quâcunque die vel horâ paſſionis tuæ memoriam habuerimus, ſalvi erimus.* *Prec. 2. de paſſ. Chr.*

## §. 2.

### *Quanto ea res ſit ſolatio Crucifixum amanti.*

EX his autem apparet, quantum hinc ſolatium capere, aut quantam ſalutis ſuæ ſpem ac fiduciam concipere poſsint, pij amatores JESU crucifixi. Quibus utique non non temere offeratur Angelica illa vox ac conſolatio: *Nolite timere vos: ſcio enim quod IESVM qui crucifixus eſt, quæritis*: quaſi nempe abjecto ſolicito & anxio timore, de ſua ſalute potiùs confidere oporteat, eos qui JESUM Crucifixum piè quærant, qui dolorum ejus aſſiduè meminerint, qui in ejus vulneribus libenter habitent, qui denique in apertâ divini lateris cavernâ tutum perfugium atque aſylum inveniant, ipſo etiam Chriſto aliquando dicente S. Mechtildi: *Quare timeres tu, quæ cor meum in pignus æterni fœderis, & in domum refugij ſempiternamq; habitationem accepiſti?* De quibus fortaſſis rurſum aliquid, cùm exercitia fiduciæ atque amoris proponemus. *Matt. 28.* *L. 1. c. 25.*

Audi interim in hoc argumento piè exultantem S. Bonaventuram: *Non erit*, inquit, *qui contra me militari audeat,* *P. 1. ſtim. c. 7.*



Digitized by Google

*ſi Chriſti ſtigmatibus fuero conſignatus. Vbique & ſemper habitabo in illis, ut ſim quaſi in caſtro ſecurus ab omni impetu maligno. Et impoſſibile erit, quòd ſi fuero bene in Chriſtum crucifixum transformatus, quin ſim illi conformis & cohæres in regno; ubi illi ſunt dilectiſſimi DEI, qui ſunt crucifixi cum Chriſto. Non enim poteſt ſe DEVS negare, ſanguine Chriſti perfuſo.* Hæc & plura S. Bonaventura.

Sed facere non poſſum, quin hîc ad extremum eruditi & pij è Societate noſtra Scriptoris, P. Didaci de Avendano
*P. 1. Tituli n. 186.* ea ſuper re ſententiam adſcribam. Qui nempè in Epithalamio ſacro, cùm ad verba Pauli reſpiciens, docuiſſet, Chriſtum pro nobis paſſum & tentatum per omnia, ejuſq; crucem, eſſe thronum gratiæ, ita exinde ratiocinatur: *Vt mihi*
*Heb. 4.* *ſit certum,* inquit, *neminem erga Chriſti paſſionem fiduciali ferventem affectu, inter reprobos numerandum.* Tum verò in hunc modum exclamat: *Gaudete felices, iterum dico, gaudete, quorum cordibus ſalutaris hæc affectio altè & potenter incedit: quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis. Utinam ego qui hæc ſcribo, inter vos, ultimo licet loco, merear computari! Hoc per paſſiones tuas peto, tentate per omnia Pontifex; ad thronum gratiæ fidenter accedo; extende virgam auream pietatis, virgam regni tui; & dirige me in veritate tua, & doce me; quia tu*
*Pſ. 24.* *es DEVS Salvator meus. & te ſuſtinui totâ die.* Sic ille.

# CAPVT XIV.

## *Ex paſsionis Chriſti pia grataq; memoria fructus innumerabiles percipi.*

QUemadmodum ipſa paſſio Salvatoris omnium nobis fons bonorum eſt; ſive quæ ad vitam præſentem bene beateq; degendam, ſive quæ ad futuræ æternam felicitatem pertinent; cum ea certum ſit omnia nobis ex Domini JESV meritis

meritis paſſione ac morte conſummatis ſine ulla exceptione provenire: ita ex ejusdem paſsionis Chriſti gratâ aſsiduaq; meditatione, fructus uberrimos ac propè innumeros percipi, ratione, uſu, experientiâ compertum eſt. Eſtq; rebus ipſis maximè profectò conſentaneum, ut de omnium gratiarum fonte, is largiùs dicatur ac copioſiùs aſpergi, qui pio conatu totaque animi affectione ad eum propiùs ſe adjunxerit.

Neque id dubium eſſe poteſt, majoribus donis percipiendis perquàm congruenter aptari eum, qui grande illud beneficium, cæterorum caput & originem, & conſtanti memoriâ teneat, & præ cæteris intelligat, & gratus agnoſcat, & cultu celebret, & imitatione proſequatur; &, ( licet ad omnes pertineat ) tanquam uni ſibi privatim ac propriè impenſum, ita id complectatur animo, & toto exoſculetur affectu.

## §. I.

### *Duo quædam bonorum ſpiritualium genera, ex ea exercitatione universè provenientia.*

Porrò cùm duo ſint, quod ad præſens ſpectat ſpiritualium bonorum donorumque cæleſtium genera: alterum eorum, quæ cum Dei gratia in nobis quoque poſita ſunt, aut à noſtra etiam facultate arbitrioque pendent, ut virtutum omnium earumúe actuum comparatio & exercitatio: alterum eorum, quæ extra ordinem, & libero magis ſingulariq; beneficio, divina bonitas quibusdam concedere conſuevit, ut ſunt; divinorum quidam ſenſus eximij, divina ſolatia, dulces lacrymæ, ſublimes raptus, arcana cum Chriſto crucifixo familiaritas: conſtat utrorumque, hanc quam commendamus, in Chriſti paſsione recogitanda ſtudioſam exercitationem, principium ac fontem certiſſimum atque perennem eſſe.

Et ſanè ad prius quod attinet: ubinam, amabo, illuſtriora cerni poſſunt, aut expreſsiora, quàm in paſsione Dominica, virtutum omnium, præſertim excelſarum atque heroicarum exempla? Quod potentius efficaciuſúe, ad purum & fortem DEI amorem, horrorem peccati, humilitatis ſtudium, malorum patientiam, contemptum mortis, incitamentum? Quæ uſpiam vis major, ad animos noſtros, ſive ſancto timore percellendos, ſive ad id omne quod DEO placitum & ipſi Chriſto acceptum ſit, perpellendos? Aut in qua tandem Academia alia, certiùs, clariùs, compendioſiùs traditur, mortificationis, abnegationis ſui, & reliqua omnis ſtudij cæleſtis, ac vitæ perfectæ diſciplina?

Verùm de hoc ipſo, quod hujus noſtri opuſculi ſummum ac princeps argumentum eſt, & nonnihil principio diximus, & in ipſo decurſu plura ex profeſſo dicturi ſumus.

Id duntaxat nunc addo; eam ipſam ob cauſam Chriſtum Dominum, Principes quoſdam, vitæ Chriſtianè ac piè inſtituendæ cupidos, per Beatam Birgittam admonuiſſe: quotidie certis temporibus recordarentur vulnerum & paſſionis ſuæ; quòd (uti dicebat) inde charitas DEI in corde innovetur.

Quoad poſterius: nemo tam, opinor, in Sanctorum geſtis hoſpes ac peregrinus eſt, qui id quod hic tradimus ignoret. Legantur eorum Sanctorum vitæ (potiſsimùm autem dilectarum quarundam Chriſti Sponſarum) quæ ſe Crucifixo colendo, amando, imitando, peculiari ſtudio ac mentis devotione addixêre: & paſsim occurrent legenti, tam rara, tam divina, tam prodigioſa, divini in illas favoris & amoris indicia; ut non modò ſenſu & intelligentiâ noſtrâ majora ſint, ſed etiam fidem propè exuperare videantur. Huc enim pertinent viſa cæleſtia, arcanorum revelationes, ardores extatici, ſponſalia myſtica, cordium copulationes, commutationes, impreſſa cordi aut membris exterioribus

paſsionis

paſsionis Chriſti ſtigmata, & alia id genus, intimæ cum Chriſto conſuetudinis ac familiaritatis argumenta. Inſuper (quæ etiam in ſingularibus Dei donis numerari debent, tametſi id minùs mortales intelligant) inteſtinæ cruces, deſertiones amaræ, tenebroſi languores, & ipſorum ſpecialium Chriſti cruciatuum experientia & communicatio.

Quæ quidem hîc à me commemorantur, non quòd exquiſita & extraordinaria Dei dona, Crucifixi diſcipulo immodicè æſtimanda, aut cupidiùs expetenda exiſtimem: quippe cui multum & abunde eſſe debeat, ſi ſolidarum virtutum exercitio, & forti in primis adverſorum tolerantiâ ad Domini ſui ſimilitudinem conformetur. Sed eò potiſsimùm hæc valent, ut intelligatur; quantopere ipſi Chriſto placeat impenſum in ſuis doloribus recogitandis complectendisq; ſtudium, quando id tam miris inſolitisq; rationibus, munerari & ornare conſueverit: tum etiam eundem Salvatorem; quem adeò delectet, crucis ſuæ ſtudioſos cultores prævenire in benedictionibus dulcedinis, & eâ etiam donorum inſolentiâ cumulare; multò minùs in his quæ magis ad animæ bonum æternamq; ſalutem conferant, ijsdem uſquam defuturum eſſe.

## §. 2.

### *Speciales quædam prærogativæ amatori Crucifixi propoſitæ.*

SCribit Thaulerus in præparatione ad felicem mortem, idq; ex eo refert Bloſius, inter *Dicta Patrum verè aurea* cap. 21. ipſum dulcem Jesum dixiſſe in ſpiritu cuidam amico ſuo: Quisquis bonâ voluntate præditus, paſsionis meæ aut meditationi humiliter & ſtudioſè, ut oportet, inſiſtit, novem inde utilitates conſequitur.

*Prima* eſt, quòd à peccatis omnibus emundatur, & quidquid neglexit, id illi ex meritis meis reſtituitur.



Digitized by Google

*Secunda:* quòd ad reſiſtendum hoſtibus ſuis ita confortatur, ut nullum ex eo triumphum referre queant: nam tametſi ipſe ex infirmitate nonnunquam labitur, dexteram tamen meam ſuppono ne collidatur & pereat.

*Tertia:* quòd ad bona quæque opera diverſasq; virtutes peragendas, vires accipit.

*Quarta:* quamlibet brevi cogitatione eandem paſsionem meam revolvat, ſemper anima ejus in gratia mea renovatur.

*Quinta:* quòd devotè illam commemoranti, libenter ipſe commoror.

*Sexta:* quòd arcana mihi à DEO Patre manifeſtata, illi ſimiliter aliquando pandam.

*Septima:* quòd eum ante mortem mihi placentem reddam, & defunctum cũ charis amicis meis remunerabor.

*Octava:* quòd nihil eorum, quæ ſeriò & rationabiliter convenienterq; petit, illi negabo.

*Nona:* quòd in morte illi adverſus hoſtes ejus aſsiſtam, & de vita æterna ipſum faciam certum atq; ſecurum. Sic illi.

Quorum equidem fidem aut veritatem etſi non præſtem, ſed uti traduntur ſimpliciter & ex fide referam; non tamen fortaſsis à vero abhorrere cenſebit, qui hæc capita ſecum accuratiùs expenderit.

Primùm: veluti jam in ſuperioribus docuimus; inter omnia pietatis exercitia, nullum gratius eſſe Salvatori noſtro, quàm ut amariſsimam ipſius paſsionem crebrò amanterq; recogitemus, eiq; noſtrâ causâ dolenti ſincero corde condoleamus. Deinde: eundem benigniſsimum Salvatorem, ad ſervulis ſuis benefaciendum, ſuæq; fructum paſsionis cum illis communicandum, ſupra quàm dici aut credi poteſt, inclinatum atque propenſum eſſe. Rurſum: eâ ſummi, divinæ mortis ac paſsionis, beneficij perenni grataq; recognitione, dilatari meditantis cor, mentisque ſinum ad ulteriora

ulteriora Dei munera capienda, veluti capaciorem effici.

Poſtremò: non ita accipienda quæ dicuntur, quaſi ad iſta ſufficiat, circa Domini noſtri cruciatus aliquanto tempore, intercisè, obiter aut languidè exerceri: ſed eam non niſi diuturnæ, conſtantis, pertinacis, atque adeò fervidæ commentationis eſſe mercedem.

Quo modo nos quoque, hujus tractatus extrema parte, his non abſimiles prærogativas, velut aſsiduæ exercitationis fructus proprios, amatori Crucifixi expectandos eſſe confirmabimus: quorum ſaltem indicem ac titulos lectorem juverit in præſentiarum, cumulandorum incitamentorum gratiâ, vel curſim delibaſſe. Ut enim, juxta Philoſophum, ſemen & fructus re idem ſunt, ſolumq; differunt (uti loquitur) prioris poſteriorisúe ratione; quod nimirum nux, exempli causâ, aut tritici granum, aliudúe ejusmodi, ſi ad eam plantam referatur, ex qua provenit, fructus ſit; ſemen autem, ſi ad eam compares quæ ipſo ex fructu poſsit provenire: ita nobis quoque philoſophandum in præſenti; ea videlicet quæ parte extrema opuſculi, quaſi hujus noſtræ circa Crucifixum exercitationis fructus ponimus, totidem incitamenta eſſe ſeu ſemina, ex quibus in legentium animis ejusdem ſtudium exercitationis ingignatur. *1. de gener. anim. c.18.*

# Caput XV.

## *Animi eſſe ingratiſsimi; paſsionis Chriſti nunquam aut rarò meminiſſe.*

### §. I.

*Superni ejus beneficij gratiam meritiſsimò à nobis repoſci.*

Uti ſeria ſanè & gravis, ita æquiſsima & juſtiſsima eſt, illa Eccleſiaſtici commonitio: *Gratiam fidejuſſoris ne obliviſcaris: dedit enim pro te animam ſuam.* *cap 29.*

Quis

Quis autem, amabò, ſingularis ille fidejuſſor, qui jam non pecuniam duntaxat, ſed vitam quoque re ipsâ pro clientibus dederit; niſi dulciſsimus Redemptor noſter, qui peccatis noſtris atque debitis in ſe ſuſceptis, ſanguinis ſui mortisq́; pretio, antiquum Adæ nomen expunxit; & chirographum obligationum noſtrarum, quod ipſi peccando ſcripſeramus, velut cancellatum & abolitum crucis ſuæ ſtipiti ſuffixit?

Hujus igitur tam fidi, tam amantis, tam liberalis fidejuſſoris in nos promerita, labores, dolores, crucem ac mortem noſtrâ causâ obitam, meritò monemur non obliviſci: quoniam, uti primus infimusq́; grati animi ſenſus eſt, memorem beneficij vivere; ita ſupremum eſt ingrati animi dedecus, omnem ex animo benefacti memoriam deponere, & ne id quidem, quod & ipſo genere minimum, & factu facillimum videtur, benemerenti rependere.

Quod ſi id certè in univerſum, hoc eſt, & in omni etiam mediocri promerito, & inter quascunque perſonas locum habet: multò magis in hoc omnium ſupremo beneficio valere debet, quo & ab æterna morte redempti, & ſempiternæ vitæ redditi ſumus, idq́; morte acerba filij DEI unigeniti, qui etiam cùm adhuc inimici eſſemus, in tantum dilexit nos, ut ſemetipſum pro nobis tradiderit, & ſalutem noſtram ſuo ſanguine æſtimârit.

Quid enim æquius eſſe poteſt; quàm ut anima noſtra illi vivat, cujus morte ac beneficio vivimus? Et, ſi vitam ipſam, ſi nosmetipſos illi debemus, eoq́; nomine ita à nobis diligendus eſt, ut & vitam vitæ, & ſanguinem ſanguini reddere, immò (quod audacter generoſèque pronuntiat Ludovicus Bloſius) *pro illo non ſolùm temporales hujus vitæ afflictiones, ſed æterna inferni tormenta tolerare, parati ſimus:* quantulum id erit, ſi vel omnem vitam in ſummi illius divini amoris & gratiæ recordatione ponamus; aut omne etiam vitæ

*Inſtit. Spiru. c. 6.*

vitæ momentum (cùm nullum adeò momentum ſit, quo non fructum aliquem paſsionis Chriſti capimus) ei recolendæ atque colendæ dedicemus?

Quapropter & S. Iſaias, cùm victoriarum Salvatoris, ipſius nimirum ſanguine ac morte partarum, meminiſſet; eumq; jam ſibi propoſuiſſet velut triumphantem, formoſum in ſtolâ carnis ſuæ, & tinctis veſtibus de malorum noſtrorum torculari; continuò in grati animi dulces ſenſus erumpens: *Miſerationum Domini*, inquit, *recordabor, laudem Domini ſuper omnibus quæ reddidit nobis Dominus.* Ad quæ quodammodo alludens S. Bernardus, de ipſa agens amariſsima Domini ſui paſsione: *Memoriam* (ait) *abundantiæ ſuavitatis horum, eructabo quamdiu vixero. In æternum non obliviſcar miſerationes iſtas, quia in ipſis vivificatus ſum, &c.* *Iſa. 63.* *Serm. 43. in Cant.*

Accedit, quod ipſe dulciſsimus Redemptor noſter (quod alio in loco paulò ampliùs confirmabitur) noſtri memoriam, ſtudium, curam, nullo unquam momento depoſuit; ſed tum in omni vita, tum in ipſa etiam preſſurâ tormentorum ſuorum, & (ut ita dicam) ſub ipſo ictu mortis poſitus, noſtri amantiſsimè meminit, deq; noſtra ſalute ſolicitus, pretium divini ſui ſanguinis mortemq; ſuam æterno Patri pro unoquoque noſtrum, etiam nominatim, obtulit. Unde eſt illa ſuavis & fortis ad paſsionis Chriſti gratam memoriam Abbatis Bloſij adhortatio: *Memor ſis, oro, eorum quæ dulcis IESVS (qui eſt DEVS & Dominus & pater & frater tuus) pro te fecit, eiq; devoto corde gratias age. Ipſe factus eſt homo pro te. Ipſe ſemper & ubique tui recordabatur, teq; ante mentis ſuæ oculos habebat, faciens & tolerans libentiſſimè omnia pro tua ſalute.* *Spec. Spirit. c. 10.*

Sic ille.

§. 2.

*Quorundam Chriſtianorum eâ in parte ſocordiam ipſi Salvatori magnopere diſplicere.*

VEruntamen, ut eſt complurium in his quæ ad ſpiritum ſpectant deploranda cæcitas; non deſunt etiam inter Chriſtianos, qui vel hujus ſuæ nomenclationis uſque eò vivant immemores, ut nulla unquam illos ſolicitet Chriſti patientis recordatio; & (prout de illis conqueritur ipſe Salvator cum ſponſa ſua Birgitta) *nunquam de intimo corde eorum proceſſerit verbum hoc: Domine, redemiſti nos; laus tibi ſit pro amara tua paſſione.*

L. 1. Rev. c. 6.

Ut proinde etiam hanc tanquam ejusdem vocem agnoſcas, in perſona dolentis Prophetæ: *Terra, ne operias ſanguinem meum; neque inveniat in te locum latendi clamor meus.* Tunc ſiquidem terra quodammodo operit obtegitq́; Chriſti ſanguinem, quando paſsionis ac mortis ejus immortale beneficium, quaſi perpetuâ oblivione obruimus: Latet autem in terra clamor ejus; cùm eorum quæ propter nos paſſus eſt, nullo ſenſu tangimur, & ad grandem illam divini ſanguinis vocem etiam obſurdeſcimus. *Ipſe enim ſanguis redemptionis quem ſumimus, clamor Redemptoris eſt;* ut ibi S. Gregorius.

Iob 16.

At, ô bone JESU, ubi eſt promiſsio illa Patris tui? *Effundam* (inquit per Zachariam Prophetam) *ſuper domum David, & habitatores Ieruſalem* (ſuper populum nimirum Chriſtianum) *ſpiritum gratiæ & precum* (vel ut apud Septuaginta legitur, *miſerationis*) *& plangent eum planctu quaſi ſuper unigenitum, & dolebunt ſuper eum, &c.* Quota enim pars eſt Chriſtianorum, quæ mortem tuam amarè plangat? quæ ex animo doleat? quæ illius ſeriò memor vivat? Ut eâ causâ dolens compellaris dicere, quod habet alius Propheta: *Oblivioni datus ſum, tanquam mortuus à corde;* ſive, ut alij, *à cogita-*

Zach. 12.

Pſ. 30.

*à cogitatione.* Quin etiam (quod monſtri inſtar eſſe deberet, niſi per humanam vecordiam frequens jam & plusquam quotidianum eſſet) nimio plures ſunt, ita adverſum te optimum ſuum fidejuſſorem ingrati, ut tibi etiam mala pro bonis retribuant, & peccata peccatis cumulando, dolores tuos quodammodo exacerbent, tuæq; acerbiſsimæ paſsioni novam in dies materiam ac cauſam præbeant.

Meritò igitur Guilielmus Abbas S. Theodorici, ante DEI conſpectum ſe conſtituens: *Confundor*, ajebat, *& totus contabeſco ex dolore cordis, quo conſidero opus tuum, in medio annorum vivificatum, in omnes annos, & ante & poſt effectum redemptionis, clarificatum, cui nullus compenſari poteſt, cui nulla mors, nulla vita reſpondere ſufficit, quod tamen mundus per ipſum redemptus deſpicit. Vſu enim ipſo jam pro nihilo habemus crucifixum te videre.* & quæ ſequuntur. *In medit.*

Meritò quoque S. Franciſcus nemora replebat gemitibus, divinam pro peccatoribus interpellans clementiam, & quaſi coram ſe poſitam deplorans Dominicam paſsionem. Meritò B. Jacoponus perennibus ſe conficiebat lacrymis; quòd *Amor* (ut ajebat) *non ametur.* *Vita c. 10.* *Rader. in Vita.*

Atque ut eâdem in causâ Ludovicus Bloſius: *Meritò ſingulares DEI amici ſanguineis lacrymis deflere deberent, quòd hodie in toto terrarum orbe eadem præcellentiſſima Chriſti vulnera in oblivionem abierint.* Ut ſanè Jeremiam imitati hoc loco dicere poſſimus: ſqualere ſitu & tanquam lugere vias Calvarij; eò quòd pauci ſint qui transeant per eas, ut aſcendant ad hunc montem Domini, & ibi conſiderent dolores ejus, & grati recognoſcant amorem ejus. *Inſtit. Spir. c. 6.* *Thren. 1.*

Meritò denique in ipſo Salvatore (ſi Seraphico Doctori credimus, in tertium ſententiarum ſcribenti) major fuit dolor compaſſionis de peccatis noſtris, quàm paſſionis ex læſione proprij corporis. Ad quod confirmandum, pios quosdam verſiculos adducit Philippi Cancellarij (quan- *D. 16. q. 3.*

quam recentiores paſſim eos S. Bernardo attribuunt) quibus ille Chriſtum ita loquentem facit, & cum ingrato peccatore expoſtulantem.

*Homo, vide quæ pro te patior.*
*Ad te clamo, qui pro te morior.*
*Vide pœnas quibus afficior.*
*Vide clavos quibus confodior.*
*Cùm tantus ſit dolor exterior;*
*Interior planctus eſt gravior,*
*Tam ingratum dum te experior.*

# CAPVT XVI.

## *Profundam paſsionis Chriſti oblivionem, in ſalutis negotio rem periculi plenam eſſe.*

EXtremum hoc eſto, ad jugem in animis noſtris exſuſcitandam paſſionis Chriſti memoriam, atque ad piam circa Crucifixum exercitationem, incitamentum: quod licet ex hactenus dictis videatur fortaſſe non difficulter intelligi; tamen credidi non fore inutile, ſi illud ſeorſum exponerem, & triplici iſta ratione, tametſi paucis, affirmarem.

*Prima*: quòd veluti proximè jam à nobis dictum eſt, tanti, tam ſingularis, tamq; neceſſarij beneficij, quod Chriſti morte ac paſſione accepimus, oblivisci; animi ſit ſanè adverſus ipſum amantiſſimum, ac profuſiſſimum Redemptorem ingratiſſimi; eiq; proinde non poſſit ſpeciali quâdam ratione non diſplicere. Ut autem ait S. Bernardus: *Peremptoria res eſt ingratitudo, hoſtis gratiæ, inimica ſalutis.* Et rurſum: *eſt ventus urens, ſiccans ſibi fontem pietatis, rorem miſericordiæ, fluenta gratiæ, &c.*

*Serm. de 7. miſeric. Serm. 51. in Cant.*

Quod ſi univerſim, ſeu reſpectu cujusvis Divini beneficij, verum eſt: quanto magis ſibi fontem obſtruet cæleſtis gratiæ,

gratiæ, quæ adeò nobis ad ſalutem neceſſaria eſt, qui adverſus fontem ipſum gratiæ, & caput omnium divinorum beneficiorum, hoc eſt adverſus ipſam Chriſti paſſionem ac mortem, adeò extiterit ingratus? Hinc enim idem Doctor mellifluus non dubitat aſſerere: *Nihil ita diſplicet DEO, præſertim in filijs gratiæ, quàm ingratitudo.* Et expreſſiùs in eam rem Doctor Seraphicus: *Quid pejus*, inquit, *aut magis mortiferum aut peſtiferum, quàm paſſionibus Chriſti non compati, aut tanti beneficij ingratum exiſtere?* *Serm. de 7. miſeric. P. 2. ſtim. c. 6.*

*Altera:* quòd qui hâc ratione per cæcam quandam ſocordiam, vivit immemor dolorum ac vulnerum Salvatoris, inconſultè ſe privet ſingulari, & (ſecundùm S. Auguſtinum) præ cæteris efficaci remedio, adverſus diaboli tentamenta, & cupiditates illecebroſas; quæ niſi ſedulò omniq; ope provideamus, facilè nos in peccatum pertrahunt, diſcrimenq; ſalutis. Idq; non Patres modò, ſed Scriptura etiam non obſcurè ſignificat; dum ſolicitiùs nos admonet, ſive (uti vidimus) ut Chriſtum paſſum recogitemus, ne fortè deficiamus animis noſtris adverſus peccatum repugnantes; ſive, ut hâc ipsâ cogitatione tanquam ſcuto armemur, in quo videlicet poſſimus omnia inimici tela ignea excipere & extinguere. Sic enim in ſua priori epiſtola S. Petrus: *Chriſto igitur in carne paſſo* (inquit) *& vos eadem cogitatione armamini; quia qui paſſus eſt in carne deſijt à peccatis: ut jam non deſiderijs hominum; ſed voluntati DEI, quod reliquum eſt in carne vivat temporis.* Quibus apertè ſignificat: Hominem paſſionis Chriſti memoriâ ac cogitatione armatum, ad ipſius Chriſti imitationem, ita mori peccatis, ut jam non obſequatur carnis ſuæ deſiderijs, ſed in tempus reliquum DEO vivat, ejusq; voluntati ſubſerviat. Adeòque, quod dicebamus, aſſiduam paſſionum Chriſti meditationem, eſſe veluti quoddam animæ ſcutum impenetrabile: quò etiam nonnulli trahunt illud Threnorum Jeremiæ: *Dabis eis* *1. Pet. 4.*

*Hect. Pint. Ieren. 3.* *ſcutum cordis laborem tuum:* hoc eſt, inquiunt, laborem paſſionis tuæ, quo tanquam ſcuto protegantur adverſus irruentes tentationes.

Verùm ad certam peccati fugam quantopere conducat jugis circa Chriſtum crucifixum exercitatio; alius occurrit magis opportunus dicendi locus.

*Poſtrema:* quòd eadem ingrata paſſionis Chriſti oblivio, animum arguat, ex indole ſuâ (ut ita loquar) & ſuo tanquam ingenio ad ſpirituales res atque divinas, parum propenſum ac comparatum. Nam profectò tam rara in multorum animis mortis filij Dei memoria, luce clarius ſignum eſt, vel admodum infirmæ ac langueſcentis fidei, vel exigui amoris erga tam amantem atque profuſum liberatorem, vel modicæ ſanè æſtimationis tanti tamq; immenſi beneficij, vel animi deniquè de æterna ſua ſalute parum ſoliciti. Quibus ex capitibus clarum eſt, æternam ipſam hominis ſalutem in non exiguum diſcrimen adduci. Ut non temerè autores ij qui de ſignis ac notis divinæ prædeſtinationis agunt; uti paſſionis Chriſti gratam memoriam inter notas divinæ electionis; ita è diverſo nullam aut exiguam ejus recordationem ac ſenſum, inter ſigna computent æternæ reprobationis. Videri poteſt inter alios Julius Recupitus opuſculo de ea materia; ubi capite 16. iſtud pluribus confirmat, ſcilicet oblivionem paſſionis Chriſti ſignum reprobationis eſſe.

Denique quodam loco S. Bernardus, cùm de opere noſtræ redemptionis ageret, illudq; (quaſi indignabundus) quæreret: *Quid ad hæc dormitat affectio?* Mox quaſi vocem corrigens ſubjungit: *Immò verò mortua eſt illa, non dormit, quæ huic beneficio non reſpondet, quæ ſe totam non effundit in gratiarum actionem, & vocem laudis.* Ita Bernardus.

*In Pſ.* Qui habit. *ſerm.* 14.

Veruntamen ſufficiet hactenus, tum de hoc capite, tum universè de incitamentis ad piam circa Chriſtum crucifixum occupationem, prout uſus erat, diſputaſſe.

CAPVT

# CAPVT XVII.

## *Aſpiratio & votum animæ IESV CHRISTO crucifixo devotæ.*

HIs igitur, quæ hactenus diximus, ſedulò attentèque perpenſis, proclive erit, opinor, accendi, aliquo Chriſtum crucifixum piè conſtanterq; complectendi deſiderio; & in has ijsve affines voces affectúsve erumpere.

*Memoriâ* utique *memor ero* dolorum & amaritudinum Domini mei, & præ ſtupore, amore, dolore, *tabeſcet in me anima mea. Miſerationum Domini recordabor. In æternum non obliviſcar miſerationes iſtas. Mihi, adhærere* DEO meo crucifixo, *bonum eſt.*

Atque hæc ſit pars mea, ô bone JESV; hæc occupatio, ſtudium, requies; hæc conſolatio, ſapor, dulcedo, delectatio mea.

Contemplentur aliæ ſublimes animæ, quibus ea beata ſors obtigit, ſedentem te ſupra ſolium excelſum & elevatum, ſpectent conſtitutum ad Patris dexteram, aut complectantur ſanè Unigenitum in ſinu Patris, & ad dulces amplexus tuæ Divinitatis admiſſæ, ſupra pectus tuum cum dilecto diſcipulo, leni ſopore intimæ contemplationis obdormiant, neque ſuſcitentur rerum tumultu terrenarum. Mihi infirmo atque infimo ſufficiat, ſi inveniam te foris fratrem meum, & inter crucis brachia pendentem, affectu complectar & deoſculer, tibi vulnerato, illuſo, deſpreto intimè adhæream, & ſub umbra iſta tuæ infirmitatis reſpirem, dum melior dies & ſplendor æternus aſpiret.

Nimirum ut ait quidam Propheta tuus: *Montes excelſi cervis; petra refugium herinaceis.* Qui jam perfecti ſunt, inſtar cervorum montes excelſos habitantium, depreſſiora *Pſ. 103.*

hæc

# PARS II.

## Exercitia artéſve nonnullæ, ad memoriam ac reverentiam paſſionis Chriſti ſpectantes, & in actibus exterioribus præſertim conſiſtentes.

## CAPUT I.

### *Aſſiduum uſum ſigni crucis ad paſſionis Chriſti memoriam ac reverentiam multùm conferre.*

### §. I.

*Signi crucis uſum primis Chriſtianis, multò quàm nobis familiariorem fuiſſe.*

Crebra ſigni crucis ex more Chriſtiano uſurpatio, non exiguum uſum habere poteſt, ad alendam in nobis renovandamq; paſſionis Dominicæ memoriam: præſertim autem, ſi non leviter aut defunctoriè, ſed cum aliqua attentione animi ac reverentia (prout par eſt) uſurpetur & conformetur.

Veteres certè Chriſtiani eum uſum, non dicam familiarem, ſed propè aſſiduum habuere. *Ad omnem progreſſum atque promotum* (inquit de ſuo ævo Tertullianus) *ad omnem aditum & exitum, ad veſtitum & calceatum, ad lavacra, ad menſam, ad lumina, ad cubilia, quacunq; nos converſatio exercet, frontem crucis ſignaculo terimus.* Eademq; omnia duobus verbis complexus Hieronymus, dilectam ſibi Euſtochium admonet: *Ad omnem actum, ad omnem inceſſum manus pingat crucem.* Et ante illum generaliſſimè S. Cyrillus Jeroſolymi-

*De coron. mil. c. 3.*

*Ep. 22.*

O ſolymi-

Catech. 4. ſolymitanus: *Fac hoc ſignum* (inquit) *& manducans & bibens, & ſedens, & ſtans, & loquens, & ambulans, in ſummâ, in omni tuo negotio.*

Nec committere debet Chriſti crucifixi amator (etſi mores noſtri nonnihil à priſca illa & exacta pietate deſciverint) ut non ſaltem ad actus vitæ primarios, ut ſi lectulo ſe committit, aut ab eo ſurgit; ſi menſæ accumbit, aut ab ea recedit, ſi novi operis aliquid ſuſcipit, ſi domo egreditur, ſi horæ ſignum audit, ſigno crucis ſeſe communiat; eoq; uſu familiari, tum paſſionis ac mortis Chriſti admoneatur, tum ea ipſa quæ ſuſcipit opera, in nomine JESU & ad DEI gloriam eſſe facienda.

Qua in re profectò non leviter culpanda videtur illa quorundam, & nonnullis locis, nobilium præſertim, rei maximè ſalutaris (ut molliſſimè loquar) incuria: qui, quaſi ſe Chriſtianos eſſe obliti ſint, aut id apertè profiteri erubeſcant, nullâ precatione, & ne crucis quidem ſigno præmiſſo, ad conveſcendum proſiliant: cùm olim etiam vigente ſæva Juliani Apoſtatæ perſecutione, ipſi quoque milites Chriſtiani ſignum crucis ad menſam palàm adhiberent; uti ſpecialiter à S. Gregorio Nazianzeno oratione primâ in Julianum, eſt annotatum.

Non omittat etiam Chriſtianus (quod hujus præceptionis pars quædam eſt) in ſuarum epiſtolarum capite, aut ad ſingularum pagellarum frontem, ſignum crucis vel ſacrum JESU nomen religiosè appingere. Quod Raymundus Lullus (ut de ipſo legere memini) cùm à varijs Chriſtianis prætermitti animadverteret, angebatur ſcilicet animo; dictitans nos, hac quidem in parte, eſſe Mahometi ſequacibus deteriores: quippe his ex ſuæ ſuperſtitionis inſtituto, ſcriptorum ſuorum principia, impuri ſui Prophetæ nomine ſtudiosè inſignientibus; turpe videri nos, adverſus DEI & Domini noſtri JESU Chriſti nomen, ejúsve crucem ſanctiſsimam minùs religioſos eſſe.

Neque

Digitized by Google

Neque verò recentis inventi eſt,ut Chriſti nomen præfigamus noſtris litteris; cùm ſuo jam ævo id uſu receptum inter fideles,luculentè teſtetur S. Joannes Chryſoſtomus,ad illa verba Apoſtoli: *Omne quodcunque facitis in verbo & in opere, omnia in nomine Domini IESV Chriſti. Et ideò nos quoque* (inquit S. Doctor) *in epiſtolis nomen Domini præponimus. Ubi fuerit nomen Domini, omnia ſunt fauſta & felicia. Nam ſi Conſulum nomina efficiunt,ut firmæ & validæ ſint litteræ; multò magis nomen Chriſti.* Hæc Chryſoſtomus. Quod autem huc propriè facit: in more habuit S. Catharina Senenſis Crucifixi nomen ſuis litteris præponere, eas omnes ſic inſcribendo: *In nomine IESV crucifixi,& dulcis MARIÆ:* uti obſervare eſt in volumine epiſtolarum ejus. Atque de B.Venturino Bergomenſi tradit Leander in Hiſtoria de Viris illuſtribus Ordinis S. Dominici; cum ad frontem ſuarum litterarum præfixiſſe: *IESVS amor meus*; vel quid ſimile: ad calcem autem paſſionis Chriſti inſignia, columnam, crucem,lanceam,clavos, manu ſuâ appinxiſſe.

*Col. 3.*

*Lib. 5.*

Ad extremum placet his aſſerere; quod 8.Nov. in Actis SS. Claudij,Nicoſtrati & ſociorum Martyrum legimus; eos videlicet, *cùm eſſent quadraturis marmorum intenti, artem ſuam ſigno crucis munire* ſolitos: quod non eo ſenſu duntaxat dictum accipiemus, quaſi nuda manu ſuper opus ſuum (aut artis inſtrumenta) crucem ducerent, laboremq; ſuum eâ conſignatione conſecrarent, ſed ita fortaſſis,ut in ijs ipſis quæ conquadrarent marmoribus, crucis ſignum ſcalpro inciderent: quo modo ſubinde videmus ejuſmodi artifices, opus ſuum notâ ſibi propriâ inſignire. Eum quippe ſenſum tum ipſa patitur oratio, in qua artis nomine venire poſſunt etiam ipſa opera artis, ſeu marmora ipſa ſecundùm artem elaborata: tum uſus ſvadet aliorum id temporis Chriſtianorum, cujus uſque hodie Romæ in Thermis Diocletianeis teſtes eſſe feruntur,ſcalæ cujusdam gradus varij,eâ inſculptâ

 ſalutis

ſalutis teſſerâ inſigniti. Teſtaturq; Octavius Pancirollus in ſuis Theſauris abſconditis, parte quâdam earum Thermarum ſuo tempore collapſa, in ipſis ruinis repertos lateres, itidem ſigno crucis impreſſos.

## §. 21.

### *Eodem ſigno ſenſus omnes noſtros, ipſumq́; cor crebrò muniendum eſſe.*

VEruntamen ut ad majorum noſtrorum in propoſito mores redeam; non ſolùm ſeipſos crucis ſignaculo, à fronte ad pectus, & ab humero ad humerum producto ſignabant, uti nunc uſu frequentiore receptum eſt: ſed ipſos ſenſus ac membra præcipua, frontem, oculos, aures, os, cor & ejusmodi (pollice fortaſsis ſigillatim crucem formantes; uti nunc ad Evangelium præſcripto ritu facimus, & quidam etiamnum populi varijs occaſionibus uſurpant) peculiariter inſignire conſveverunt. Sive ut cogitatus omnes & actus ſuos eâ adhibitâ ſalutis notâ conſecrarent; ſive eâ tanquam Chriſtianæ militiæ teſſerâ ſeſe adverſus omnes hoſtiles incurſus munirent: ſatis gnari, quod olim cæleſti ſcripturâ (ſtellis videlicet, Iridis inſtar, crucem in aëre apparentem cingentibus, & ad ipſos litterarum characteres formando coëuntibus) Magno Conſtantino monſtratum; ſibi in hoc ſigno vincendum eſſe: neque illud magis adverſus hoſtes corporeos, quàm contra incorporeos & inaſpectabiles vim obtinere.

*Philoſtorus l. 1. c. 6. Niceph. l. 8. c. 3.*

De fronte ſignanda, ſive (ut S. Auguſtinus loquitur) de cruce Chriſti in fronte portanda, frequentiſsima apud Sanctos Patres mentio eſt. S. Paula moriens, cùm jam precantem vox deficeret, digitum ad os tenens *crucis ſignum pingebat in labijs*, teſte S. Hieronymo in ipſius Epitaphio. Sanctam item Macrinam Virginem, ſibi ſub mortem, oculos,

*Tract. 11. in Ioan. &c.*

*Ep. 27.*

os,

os, & cor ſigno crucis appoſito muniviſſe, teſtatur loco infrà citando S. Gregorius Nyſſenus. Cùm, vocante ſomno, cubile petimus, admonet Poëta Prudentius, etiam locum cordis, crucis figurâ ſignandum. Tandemq; generatim hortatur B. Ephrem; ut pingamus in frontibus noſtris, & oculis, & in ore, ac pectore, atque in membris omnibus vivificum hoc ſignum. *Ep. ad Olymp.* *Cathem. Hymno 6.* *Serm. de cruce.*

Eſtq; in primis ſalutare, (id etiam teſtante S. Gregorio Nazianzeno) ſive noxijs repellendis, ſive ſanctis accerſendis cogitationibus, impreſsâ pectori crucis figurâ (quod facile factu eſt, etiam alijs minimè ſentientibus) cor ſibi identidem obſignare: ut iſta etiam ratione (quod ait Ugo Cardinalis) Christus ſit *ſignaculum cordis, ne affectio indigna ſurrepat.* Quod B. Petrus Damiani etiam expreſsiùs præcipit: *Cùm pravam* (inquiens) *tibimet cogitationem eſſe perſenſeris, extento pollice protinus cor tuum ſignare feſtines.* Quò pertinet illud, quod de Venerabili Patre Volando, Conventus Ordinis S. Dominici Argentinæ Priore accepimus. Is enim in humanis agens cùm aſsiduè ferè ſibi crucem ductu pollicis depingere conſveſſet in pectore; ejus deinde oſſa cùm effoderentur, inventa eſt in eo oſſe, quod medium pectoris obtinet & cui utrimque coſtæ cohærent, crux inſignis ex ſubſtantia oſſea, deq; eo quod dixi oſſe pectoris evidenter eminens; atque trium ejus ſuperiorum partium extremitatibus in modum repandi lilij pulchrè recurvatis, accuratè elaborata: quam is, qui rem narrat ex eodem Ordine Thomas Cantipratanus, teſtatur à ſe conſpectam eſſe. Quo quidem oſtento, nemo dubitavit, religioſam Viri pij pectus cruce ſignandi conſvetudinem, ad poſterorum informationem atq; incitationem, divinitus eſſe comprobatam. *Carm. adv. iram.* *Cant. 8.* *Inſtit. Monaſt. c. 23.* *L. 1. Apum c. 25.*

# CAPVT II.

## *In memoriam atq; honorem paſsionis* CHRISTI, *preces aliquas extenſis brachijs, ipſóq; corpore in crucis formam compoſito, pronunciare.*

### §. I.

*Eum inter precandum, corporis habitum, veteris Eccleſiæ moribus receptum fuiſſe.*

HUc etiam pertinet id genus pij exercitij: quod ipſemet Salvator ſuggeſsit ac mirificè commendavit B. Gertrudi ejusq; religioſis ſororibus; ut nempe orantes expanſis
L. 4. c. 16. manibus, formam paſſionis ſuæ DEO Patri prætenderent, pro emendatione totius Eccleſiæ, & in conjunctione illius amoris, quo ipſe in cruce pro nobis manus expandit. Quem uſum jam olim S. Pachomio familiarem fuiſſe, his verbis
Vit. c. 15. traditur in ejus vita: *Conſueverat autem ſtans in oratione manus expandere, quas per aliquot horarum ſpatia minimè colligebat; ſed extenſione diuturnâ veluti cruci confixum corpus retinebat immobile, & ſic animum ſuum ad vigilandum in precibus excitabat.* Beatum quoque Ambroſium inſtante morte, *ab hora circiter undecima diei, uſque ad illam horam qua emiſit ſpiritum, expanſis manibus in modum crucis oraſſe*; teſtis eſt Paulinus in ejus vita. Et ſanè primævos Chriſtianos, crucifixi in morem protenſis brachijs, & manibus modicè in cælum verſus ſublatis, preces fundere ſolitos; tum aliunde apparet, tum ex antiquis Romanarum cryptarum ſeu cæmeteriorum ſubterraneorum monumentis, manifeſtum eſt; ubi paſſim videre licet, hoc orantium habitu picturâ expreſſos ſexus utriuſque Chriſtianos.

Et

Digitized by Google

Et in hymno quodam de SS. Fructuoſo Epiſcopo, ejusq; ſocijs in medio flammarum conſtitutis, teſtatur Aurelius Prudentius, membris illæſis, ijs excidiſſe vincula, quò liberas palmas & brachia in morem crucis (ita enim loquitur) ad Deum precando levarent.

Quare quod, Timotheo ſcribens, præcipit Apoſtolus, de puris manibus levandis inter orandum; aut quod apud antiquos Eccleſiæ Scriptores legimus, Chriſtianos expanſis manibus Deum precari conſveſſe, prout nominatim de SS. Virginibus Cæciliâ, Agnete, Agathâ, in ipſarum martyrij Actis traditur; non ſic equidem accipiendum exiſtimem, quaſi ſolas manus, & non etiam brachia protenderent, itaq; ſeipſos ad Deum expanderent, prout loquitur Tertullianus non uno loco: quod minùs congruè dictum utique videretur, ſi paſsis duntaxat, & verbi gratiâ ad pectus oppoſitis manibus, non item diductis brachijs, & moderatè ſaltem protenſis, oraſſent. *1. Tim. 2.* *Infra, & l. 1. con. Marc. c. 23.*

Quemadmodum etiam, quod de Moyſe inter orandum manus levante Exodi 17. legimus, plerique Patres in eum ſenſum intelligunt, ut etiam brachia crucis habitu protenderit, & Salvatoris de hoſtibus ſuis per crucem victoriam, Prophetico geſtu atque imitatione prænuntiârit. Ut enim ait inter alios S. Auguſtinus: *Manus ad cælum extendit, jam tum figuram crucis* CHRISTI *oſtendens*; atque (ut loquitur S. Proſper) *crucifixi inſtar exprimens.* Quin & Jonam in ventre ceti, ſublatis in crucis formam manibus, ad Deum oraſſe, & inde virtutem attraxiſſe de cælo, tradit S. Andreas Cretenſis; cujus iſta ſunt verba: *Elevavit aliquando Ionas vocem, manibus in crucis formam ſublatis, & ſtatim virtutem ex alto attraxit, ſine noxâ ex bellua ejectus.* Denique fideles ſui temporis inter orandum ſic manus porrexiſſe, ut crucis figuram imitarentur, apertè tradit Minutius Felix ita dicens: *Crucis ſignum eſt, & cùm homo porrectis manibus DEUM purâ mente veneratur.* *De 5. hæreſ. c. 3.* *De promiſſ. p. 1. c. 40.* *Serm. 2. de cruce.* *In Octavio.*

Pre-

Precabantur igitur extenſis brachijs veteres Chriſtiani: ſive eo geſtu ſe deſiderijs in cælum tendere ( quò ſimul oculos intendebant ) ſignificarent; & quodammodo quaſi alis expanſis illuc volare geſtirent: quam etiam iſtius ritus cauſam adfert Clemens Alexandrinus, addens ea propter, non tantùm manus aut caput in cælum extendiſſe, verùm etiam in ultima orationis acclamatione, hoc eſt ( ut interpretari poſſumus ) cùm ad ſolemnis orationis clauſulam, *Amen* de more reſponderent, pedes excitaſſe, ſive ſuſtuliſſe à terra; quaſi profiterentnr ſe in cælum iter affectare, & ad illud promptos atque accinctos eſſe.

*L. 7. Strom. § 4.*

Sive ( quæ altera eſt antiqui ritus, quem hîc tradimus; ratio ) eo corporis habitu priſci Chriſtiani ſeſe Domino ſuo conformantes, paratos atque expanſos ſeſe oſtenderent ad ipſam crucem, & velut re ipsâ nudum pectus corpusq; expeditum perſecutorum telis atque tormentis obijcerent. Iſtam namque utramque cauſam proferre videtur de hoc ipſo argumento agens Tertullianus in Apologetico, dum ita loquitur: *Illuc* ( ſcilicet in cælum ) *ſuſpicientes Chriſtiani, manibus expanſis quia innocuis, capite nudo, quia non erubeſcimus, precantes ſemper ſumus.* Et infrà: *Sic itaque nos ad DEVM expanſos ungulæ fodiant, cruces ſuſpendant, ignes lambant, gladij guttura detruncent, beſtiæ inſiliant: paratus eſt ad omne ſupplicium ipſe habitus orantis Chriſtiani.* Expreſſiùs demum in rem præſentem libro de Oratione cap. II. *Nos verò* ( inquit ) *non attollimus tantùm* ( manus ſcilicet ) *ſed etiam expandimus, & Dominicâ paſſione modulantes & orantes confitemur Chriſto.* Hæc Tertullianus.

*cap. 30.*

Poſtremò etiam ad ipſam crucis imitationem & repræſentationem reſpexiſſe, diſertè teſtatur S. Maximus his verbis: *Ideò elevatis manibus orare præcipimur, ut ipſo quoq; membrorum geſtu, paſſionem Domini fateamur. Tunc enim citiùs noſtra exauditur oratio, cùm* CHRISTUM, *quem mens loquitur, etiam corpus imitatur.*

*Hom. II. de cruce.*

§. II.

Digitized by Google

## §. 2.

### *Eundem uſum in mores noſtros meritò revocari poſſe.*

POtes igitur, mi Lector, ad alendam in te Dominicæ paſſionis memoriam; ſive privatim, & præſertim ſub noctem priuſquam cubitum concedas; ſive etiam publicè, ubi id mos loci permiſerit, ut in Religioſis cœtibus, laudabilem illam primorum Chriſtianorum religionem æmulari: nec ſine ævi poſterioris exemplis.

S. Franciſcus (ut refert S. Bonaventura) aliquando inventus eſt, de nocte in ſilvis orans, extenſis in formam crucis manibus, ſublatus à terra, & nubeculâ fulgente circumfuſus. *Vit. c. 10.* S. Ludovicus Toloſanus Epiſcopus, etiam adoleſcens ſolebat Paſſionis Officium expanſis brachijs pronuntiare. *Vit. c. 5.* Venerabilis Maria Raggia ex tertio Ordine S. Dominici, priuſquam lectulo ſe traderet, brachijs itidem ad modum crucis protenſis, quinquies Orationem Dominicam & Salutationem Angelicam recitabat, pro ijs qui in extremo vitæ diſcrimine verſarentur. *L. 1. Vit. c. 11.*

Mirabile magis quod de S. Homobono Veronenſi cive proditur: qui appropinquante ſui tranſitus horâ, cùm in Eccleſia Miſſæ ſacrificio intereſſet, & ante crucem flexis genibus Deo ſupplicaret; ad hymnum, *Gloria in excelſis DEO,* derepente manibus in terra extenſis procubuit, & nemine ſentiente, feliciter ad Deum migravit. Ita Surius in vita. *Vit. c. 12.*

Denique hoc in genere fidem propè ſuperant, quæ S. Petrus Damiani de S. Dominico Loricato refert, extenſis manibus preces prolixiſſimas & pſalteria tota recitante; eodemque, miris & inſolitis alijs artibus, Christum Dominum imitandi ſtudio, corpuſculum ſuum divexante: ut ei meritò vitâ ejus extremâ id elogij idem S. Petrus adſcripſerit: *Tota hæc vita facta ſibi Paraſceve crucis: illìc autem æternam celebrat gloriam Reſurrectionis.* *Vit. c. 11. & 12.* *cap. 19.*

# CAPUT III.

## *Crucis aut Crucifixi ſignum, è metallo aliâve materia, ad cor appenſum geſtare.*

### §. I.

*Ejus rei antiquum exemplum, & nova ſpecies proponitur*

CUjus quidem rei antiquum habemus exemplum in S. Virgine Macrina, S. Baſilij magni ſorore: in cujus defunctæ corpore (ut teſtatur alter ejusdem frater germanus S. Gregorius Nyſſenus, qui præſens aderat) inventum eſt crucis ſignum è ferro, atque annulus etiam è ſimili materia, habens in pala Ligni ſanctæ crucis particulam: quæ quidem utraque monilis inſtar de Virginis collo ſuſpenſa, cordi ejus (inquit) ſemper adhærebant. Nimirum ut, juxta S. Martyrem Ignatium, Chriſti pretioſum monile ſunt Virgines: ita illis pretioſum monile eſt CHRISTUS.

*Ep. ad Olymp.*

*Ep. ad Heron.*

De annulo autem, conſidera, Virgo Crucifixo deſponſa, num forte in uſus tuos transferre poſſis, quod à S. Birgitta factitatum, etiam religioſarum ejus ſororum moribus inſtitutoq; receptum eſt: annulum ſcilicet digito geſtare, in cujus palâ, vice gemmæ, Crucifixi imago inſculpta ſit: ut ſic CHRISTI paſſio aſſiduè tibi obverſetur ob oculos; poſſiſq; viciſſim animæ tuæ Sponſo dicere, illud Iſaiæ 49. capite: *Ecce in manibus meis deſcripſi te.* Quibus verbis docti Interpretes alluſum exiſtimant ad morem id temporis receptum; dilectæ perſonæ effigiem in annulo expreſſam circumferendi; juxta ac ſi dicas: Ecce in gemma annuli mei, quem in digitis habeo, tui imaginem ad vivum expreſſam circumfero; ut aſſiduè in conſpectu meo ſis, nec tui oblviſci poſſim, niſi obliviſcar ipſius dexteræ meæ.

*Binet. in Vitâ S. Birg. c. 19.*

*Gaſp. Sanct. &c.*

Ac ſi, (ut Cicero Pliniuſq; teſtantur) Epicureæ diſciplinæ

plinæ ſequaces, ejus Philoſophi vultus aut imaginem, tum alijs plerisque in rebus, tum etiam in annulis habebant, ut nec ſi cuperent, ejus liceret oblivisci: res magna non erit, ſi ij qui ſeſe Christi crucifixi ſectatores amatoresq; profiteantur, ſimili aliquo officio, ejus memoriam ſecum circumferre, atque apud alios etiam celebrare, contendant. Denique & veteres Chriſtianos crucis ſigno pro annulo aut ſigillo uſos, tradit Euſebius lib. 6. demonſtrationis Evangelicæ cap. 25. *Cic. l. 5. de finib. Plin. l. 35 c. 2.*

Veruntamen quod ad crucis ſignum ſupra cor geſtandum attinet, priſcæ religioni illud adjunxit, poſterioris ævi ſolers & ingenioſa pietas; ut non jam nuda crux ad pectus appreſſa præportetur, ſed crucis aut Crucifixi ex ære ſigillum ſuper carne nuda atque ad ipſum cor geſtetur ejuſmodi, ut in averſa crucis parte, è quinque vulnerum locis, acutæ cuſpides nonnihil extent & emineant; quæ, ipſo punctionis ſenſu, inſtar occulti ſed efficacis monitoris, cruciatuum Christi tum aſſiduam memoriam ingerant, tum nonnullam etiam experientiam & tanquam conſenſum adferant. Quâ ratione olim P. Thomam Saillium è Societate noſtra, crucem ſesqui palmarem, cum quinque ſtimulis præacutis, ad pectus appreſſam continenter geſtaſſe: & ſimile quiddam factitaſſe Alexandrum Cardinalem Urſinum accepimus, Virum non magis ſplendore generis ac dignitatis, quàm virtutum gloriâ illuſtrem. Eſtq; id multorum nunc uſu atque imitatione vulgatum. *Bibl. Script. Soc.*

Verùm hoc in genere admirandum magis quàm imitandum B. Henrici Suſonis facinus: qui palmarem è ligno crucem, triginta inſtructam iſtiusmodi aculeis, ad omnium Salvatoris vulnerum memoriam ac venerationem, inter ſcapulas, ipſos octo annos, dies noctesq; continenter geſtavit; dum ſomnum caperet, ſuper illâ decumbens, illam crebrò, ſeu pugno impacto, ſeu ad murum alliſu, dolori augendo aut redintegrando ſolicitans; adjunctis etiam extremo *Vit. c. 16.*



Digitized by Google

tempore, ad eam aculeorum turbam, ſeptem alijs immitibus acubus, memoriæ dolorum B. Virginis conſecratis: quouſq; tandem, eo ſui cruciamento in poſterum ut abſtineret, divinitus admoneretur.

## §. 2.

*Crucifixum amantium auſus quidam inſoliti, neque imitationi noſtræ facile ſubijciendi.*

INcredibilius, (& ſi facti naturam ſpectemus) temeritati proximum videbitur, quod ſubjungo. Fuiſſe videlicet nonnullos, qui ad inſanum ſuum (ut ita loquar) in CHRISTUM amorem eo indicio demonſtrandum, atque ad ejus crucis ac paſsionis memoriam cordi ſuo altiùs imprimendam, non jam ſuprá cor aut pectus, crucem Domini è materia effictam geſtârint, ſed majori auſu, in ipſa carne ſui pectoris ad ipſum cordis locum, acuto ferro altè inciderint & inſculpſerint, ac velut ſignaculum cordi impreſſum omni deinceps vitâ retinuerint.

Quo in numero fuiſſe reperio; tum Simonem illum Rodericium, unum è primis decem Societatis JESU Patribus; qui crucis figuram palmari longitudine ſibi ad modum dictum in pectore exſculpſerat, cicatricibus inſigniter extantibus; tum jam memoratum Henricum Suſonem, ardentem illum atque induſtrium Æternæ Sapientiæ, (cujus ſe Miniſtrum appellat) & propter CHRISTUM, cruciatuum amatorem; qui etiam integrum JESU nomen, notis profundis atque indelebilibus fertur ſibi ipſe inſcripſiſſe ſupra cor, non ſine multo ſanguine ac cruciatu incredibili: id nimirum ſtudioſè agentes, ut vel iſtis notis agnoſcerentur veri ſervi Domini JESU CHRISTI, poſſentq; vel ſic cum Apoſtolo dicere: *Ego ſtigmata Domini IESV in corpore meo porto.*

*Ioa. Rhò. hiſt. exemp. l. 3. c. 2.*

*Vit. c. 5.*

*Gal. 6.*

Cujus item ſtigmata, ſed alio invento, S. Radegundem, quondam

quondam Franciæ Reginam, ſibi inuſſiſſe invenio, quæ in Monaſterio jam exiſtens, aliquando ſibi ex aurichalco, *in ſignum* CHRISTI (inquit Fortunatus) hoc eſt, ut interpretor, in formam crucis, curavit laminam: quam deinde probè accenſam atque ignitam locis duobus ſui corporis altè impreſſit, quò & ipſa eo inuſta ſtigmate, inſignem ſe CHRISTI crucifixi ſervam profiteretur. *L. 1. Vit. c. 14.*

Sed & Ioannem Baptiſtam Archintum adhuc adoleſcentem, & priusquam Ordini ſe noſtro adjungeret, ſimili ſtudio ductum, ſacra IESU & MARIÆ nomina candente ferro ſibi inuſiſſe in pectore; tradunt noſtræ Societatis Annales. Quemadmodum etiam P. Auguſtinum de Eſpineſa, item ex noſtro Ordine, ignitis è ferro ſigillis eorundem ſacrorum nominum figuram exprimentibus, ſibi brachia, pectus, crura, genua impreſsiſſe, in defuncti corpore eſt deprehenſum. *Hiſt. Soc. p. 4. l. 2. Ann. Prov. Bat.*

Supra modum autem mirabile eſt hoc in genere, quod de Petro quodam referunt, ex Ordine Ciſtercienſi, Monaſterij Villarij in Brabantia, religioſo (ut appellant) Converſo. Qui non contentus carnem ſuam, ad memoriam atque honorem paſsionis Dominicæ, flagris, urticis, vepribus, herinacei ſpinis, alijsq; ejusmodi ſupplicijs affligere; audaciori ſe ad Domini ſui ſimilitudinem configurandi ſtudio, manus ſibi pedesq; perfodit clavis, latus verò aperuit candente ferro, immiſſo in vulnus ex pilis equinis contexto funiculo, ne nimiùm citò obduceretur. Ita ex ejus Monaſterij monumentis Ioannes d' Aſsignies, Nizellenſis Abbas, & ex eo Bartholomæus Fizen in Floribus Eccleſiæ Leodienſis. Et ſimile quiddam profert noſter Theophilus Raynaudus in ſuo Sancto Brunone, de quadam Carthuſiana ſanctimoniali, Beatrice nomine; quæ ſcilicet pari in Crucifixum ſtudio, ſibi manus foraverat, eásq; plagas, ne ipſo tempore obducerentur, ſextâ quaque feriâ adacto clavo renovabat. Quanquam *punct. 10. §. 3.*

id auſum quempiam minùs mirabitur, qui apud eundem Theophilum in alio tractatu legerit, idem perfeciſſe impoſtores nonnullos, quò ſe, divinitus CHRISTI ſtigmatibus inſignitos, ementirentur.

*De Stigmat. fill. 1. c. 14.*

Verùm etſi inventa ejusmodi, quemadmodum ex magno adverſus CHRISTUM amore profecta, ita ipſi multùm complacita fuiſſe non dubitem: cùm & cæteroqui ſciamus, S. Rocho ex ipſo utero pectus cruce rubra divinitus inſignitū apparuiſſe, uti & brachia defuncti S. Ansberti Epiſc: Rothomagenſis: & dè quodam Paulo Secundo legamus, poſt mortem in ejus pectoris medio crucis effigiem inventam ex ſanguine, cum his litteris in orbem adſcriptis: *Paulus Secundus ſervus* IESU CHRISTI: ea tamen quoniam & modum conſvetum imbecillitatemq; noſtram ſuperant, nec periculi vacua videntur; magis, uti dicebam, ſuſpicienda quàm imitanda ſunt, neque temerè & indiſcretè ab alijs in uſum trahenda. Quæ tamen hoc loco idcircò recenſere voluimus; vel ut appareat ad quos auſus aſſurgat, & quas adinveniat artes, inflammatum humani pectoris erga IESVM crucifixum ſtudium, & ardor quidam amoris; vel ut tantis propoſitis exemplis, & præ magnis illis Crucifixi & crucis amatoribus, noſtram in eâ arte Chriſtum amandi inertiam ac frigus culpantes, ad innocentiores ſaltem aliquas viribúsq; noſtris propiores IESVM crucifixum colendi rationes extimulemur: quales ſatis multas proponit hic noſter tractatus, aliásq; plures ſolers cujusque ſtudium, & quidam quaſi pietatis ſapor, facilè excogitabit. Quale illud eſt, quod hîc præcipi poſſet, de ſecreto cingulo, nonnullis ſive aculeis armato, ſive nodis aſpero: quemadmodum inter alios Sanctos puer Elzearius, ab anno ætatis tertio-decimo, uſus fertur cingulo cum quinque nodis ad honorem quinque Chriſti vulnerum: & S. Clara cum nodis tredecim, adſtrictos habentibus lapillos quosdam, qui carni appreſſi dolorem facerent, ad perpetuam Chriſti cruciatuum commonitionem.

*In Vita.* *Anaſt. in velat. apud Rayn. Surius 9. Feb.* *Chron. S. Fr. l. 9. c. 18.* *Vit. c. 20.*

Hîc

Hic obſervo denique: quemadmodum ij quos paulò antè memoravimus, Chriſtum poſuerunt ut ſignaculum ſuper cor ſuum; ut omnia ſenſa ac vota ſua, Crucifixi memoriâ, tanquam ſigillo inſignirent: ita etiam plures fuiſſe, qui illum propriè ponerent ut ſignaculum ſuper brachium ſuum, inuſto ſcilicet arte quadam in brachijs aut carpis, crucis ſigno aut IESU nomine, quò crucis Dominicæ recordationem ita quaſi ad manum haberent, atque exinde omnia ipſorum opera ipſo Chriſti nomine quodammodo ſigillata & conſecrata apparerent. Quem quidem morem quondam apud multos invaluiſſe, ex ijs diſcimus, quæ ſcribit Laurentius Ramirez in Chronicon Luitprandi; & ex antiquis Procopius Gazæus in caput 44. Iſaiæ. Conſtatq; ex hiſtorijs recentioribus, quoſdam populos Orientales, etiamnum crucis cauterio inuſtum brachium habere.

# CAPUT IV.

## *Apud ſe in cubiculo,* CHRISTI *crucifixi effigiem aliquam habere.*

### §. I.

*Eam rem meritò Chriſtiano cuilibet commendatā eſſe debere.*

ÆQuum ſanè foret Chriſtianum quemlibet, eoſq; præſertim, quorum limina, ut nobilitate dignitatéve præſtantium, cum primis celebrantur, ædium ſuarum conclavia, tum alijs pietatis monumentis, tum (& præcipuè) vitæ ac paſſionis Chriſti imaginibus, conveſtita habere. Primùm, ut eâ religione ædes ſuas quodammodo conſecrent. Deinde, ut hac tanquam teſſerâ, profiteantur ſe eſſe quod ſunt; hoc eſt, Chriſtianos. Poſtremò, ut hac ratione ſummotis noxijs rerum turpium ſimulacris, ſuo aliorumq; pudori atq; ſaluti

ſaluti conſulant, & pro obſcœnis ſpeciebus, caſtas ac ſanctas cogitationes ingerant.

Quo in genere (ut obiter hoc dicam) probroſa videtur nimia quorundam licentia; quorum aulas ingreſſus, uſque adeò rerum, non profanarum modò, ſed etiam pudendarum formis, palàm & ob omnium oculos proſtitutis, deturpata veriùs quàm exornata ſpectes omnia; dubitare ut poſſis (ædium apparatum quod attinet) hominisné Chriſtiani domum, an à Chriſtiana religione alieni tectum ac larem intraveris.

At quantò nobis ſint, hac quidem in parte, Schiſmatici Moſchi religioſiores, vel hinc licebit cognoſcere. Habet eorum quisque in ſuis ædibus, Paſſionis Chriſti aut ſimilem aliquam religioſam imaginem: cúmq; alter alterum convenit officij negotijvé gratiâ, non continuò ad Dominum domus conſalutandum convertitur; ſed aperto capite ante omnia circumſpicit, ubinam imago ſit, cui profundè caput inclinans, ac tertiùm ducto crucis ſigno ſe muniens, eam brevi prece veneratur: tum ijs deinde transactis quorum gratiâ venerat, non priùs domo pedem effert, quàm eandem imaginem eâdem qua priùs religione ſalutaverit. Ita Alexander Guagninus in ſua Moſcovia cap. 4.

Verùm alijs prætermiſsis, id modò unum à te contendo, mi Chriſtiane; ut ad Salvatoris paſsionem crebriùs familiariusq; recolendam, intra cubiculum aut conclave ſecretius, effigiem Chriſti crucifixi aliquam habeas; quem velut præſentem in ſua imagine obſerves, in cujus conſpectu atque oculis verſeris aſsiduè, cumq; modò ut ſocium ac contubernalem, modò ut actionum teſtem ác præſidem, modò ut amicum ac ſecretorum conſcium, aliàs ut præceptorem domeſticum officijq; monitorem, aſpicias; à quo denique incertis in rebus conſilium, auxilium in arduis, refugium in periculoſis, levamen in moleſtis, ſolatium in adverſis expectes. Hæc generatim: ſpeciatim autem iſta licebit obſervare. §. 2.

Digitized by Google

## §. 2.

### *Chriſtum crucifixum, ſtudiorum, laborum, actionúmque familiarium, teſtem & adjutorem adhibendum eſſe.*

PRimum; ut ejusmodi effigiem eo tibi loco conſtituas; unde facilè incurrat in oculos, ut ex obvio, crebróque ejus aſpectu utilitatem ac fructum capere poſſis. Imiterisque in primis B. Catharinam Genuenſem, quæ etiam octennis puellula (prout in ipſius vita legimus) propoſitam habebat in cubiculo piam Christi patientis tabellam, ad quam quoties cubiculum ingreſſa, memores oculos converteret, toties intimis afficiebatur ſenſibus, illorum tormentorum recordatione, quibus ſuâ causâ ſubijci voluiſſet Salvator benigniſſimus. *Vit. c. 1.*

Erítque admodùm ſalutare, & majoris fructûs quàm impendij, exercitium; quoties cubiculum ingrediaris, pio aliquo oculorum conjectu, & levi capitis inclinatione Crucifixum ſalutare, & in ejus tutelam ac præſidium te tuáque quaſi reſtituere; rurſúmque cùm egredi contigerit, eodem pacto, aut etiam oſculo ad ejus pedes aut cor appreſſo (præſertim cùm longior futura videtur abſentia) veniam & velut commeatum expoſcere.

Ac denique ſub noctem, de more proborum filiorum, (qui non priùs cubitum concedunt, quàm fauſtâ parentum precatione donati ſint) priusquam acquieſcas, ſanctiſſimis Crucifixi manibus ac cuſtodiæ te committere, bonámque ab eo & placidam noctem exorare.

Ut jam his non addam ſubinde extitiſſe nonnullos, qui ipſum Crucifixi ſimulacrum, vel ſecum in ſtrato componerent; vel (quod de Simone Sacerdote Valentino, & de noſtro item P. Bernardo Colnago in eorum vitis proditum eſt) ipſi humi jacentes, pro ſe in lectulo collocarent: aut etiam qui, omni ſtrato abjecto, in nuda & dura cruce, noctem bre- *Vit. P. Bernardi lib. 1. cap. 12. Ioan. Rhò hiſt: exem l. 3. c. 12.*



Digitized by Google

vi ſomno ducerent; in quo item numero fuit è noſtris hominibus P. Dominicus Valeſius. Cui affine illud de Venerabili Maria Raggia, quæ crucem ligneam (quam Sponſum appellabat) ulnis complexa, ſuper nuda tabula dormiebat.

L. 1. Vit. cap. 11.

Joan. Rhò l. 3. tit. c. 2.

Eodémque denique referri poteſt, pium Simonis Rodericij à nobis antea memorati in Crucifixum ſtudium; qui in cubiculo habere ſolebat prægrandem Crucem, lucente per noctem ante eam lampade, ad quam, quoties evigilabat, oculos animúmque, cum ſpeciali aliquo pietatis ſenſu, referre conſveverat.

Veruntamen iſtæc non omnibus paſsim ad imitandum propoſita ſunt. Satis enim ſcio non omnibus omnia congruere: éſtque ratio habenda communis noſtræ infirmitatis, cui conſultius erit, pauca quædam & mediocria cum conſtantia tenere, quàm plura & grandia non duraturo conatu amplecti. Spectanda igitur unicuique erit vitæ ſuæ & officij conditio; & è multis, quæ ſubinde ſuggerimus, ea deligenda quæ magis ad vires, genium ac guſtum facere viderit: ne plura quàm par eſt, aut viribus ſuis minùs conſentanea ſuſcipiens, vel naturam ſuam violentus prægravet, vel ea etiam, quæ moderatè ſumpta, conſtanter ac jucundè retinuiſſet, tædio victus abijciat. Quod hîc ſemel monitum, de alijs ſimilibus erit intelligendum.

*Secundum:* ut quidquid operis in conclavi faciendum ſuſceperis, id omne ſub oculis Crucifixi facias, eúmque non teſtem modò actionum tuarum, ſed laborum etiam præſidem atque adjutorem adſciſcas.

Itaque ſi, exempli causâ, literarum ſtudijs des operam, Crucifixum habetò ſuper menſulam, aut ſanè in conſpectu; cui ſtudiorum tuorum labores omnes offeras, ad quem identidem reſpicias, à quo lumen in rebus obſcuris ac difficilibus depoſcas; poſtremò, ſub cujus umbra, ut ita loquar, ſubinde deſidens, à ſtudiorum tuorum labore nonnihil reſpires

ſpires & interquieſcas. Ut enim admonet etiam S. Vincentius: *Sæpe dum actu ſtudes, à libro debes ad horam oculos avertere, & oculis clauſis te in Chriſti plagis abſcondere, & iteratò te ad librum convertere.* De Vit. ſpir. cap. 10.

Quam in rem notum eſt exemplum Seraphici Bonaventuræ, qui (ut ipſe de ſe Angelico Doctori profeſſus eſt) hunc codicem unicè & aſſiduè lectitare, ex eóque præſertim proficere, ac ſublimes illas cogitationes ac pia ſenſa haurire conſveverat. Quod item de primis ſui Ordinis Patribus ipſe Bonaventura teſtatur in vita S. Patris Franciſci; qui nempe recenti adhuc Ordine, cùm ſacrorum Doctorum libris deſtituti eſſent, *loco illorum* (inquit) *librum Crucis Chriſti continuatis aſpectibus, diebus ac noctibus revolvebant.* cap. 3. Eodémque in ludo eruditus B. Petrus de Alcantara, cum ſacris Biblijs ſolum Crucifixum habebat in cubiculo, in eóque pervolutando crucis codice & ipſe aſſiduus erat, & alijs, ut eum præ cæteris legerent, ſvadebat. Theologi cujusdam è ſacro Ordine Prædicatorum, eo in genere religio, memorabilem hunc eventum habuit. Solebat is, ſumptâ Crucifixi imagine, & ad caput libri ſuper menſam collocatâ, in communi Bibliotheca ad multam noctem lucubrare. Nocte quadam ita lucubranti, viſus eſt intempeſtivus neſcio cujus tubæ ſonitus inſonare; primùm obſcurior, & quaſi è longinquo, exinde clarior clariórque & tanquam propiùs ac propiùs ad aures appellens; donec prope hominem conſtitit tuba inaſpectabilis, paventem, & à Crucifixo pacem ac veniam poſtulantem. Quam ille tubam, judicij ſui mortisque propinquæ ſignificationem interpretans; ſub auroram Priorem adijt confeſſionis gratiâ, poſtulatisque Sacramentis cæteris (cùm ſanus alioqui videretur) haud ita multò pòſt exceſſit è vivis. Ita Joannes Severanus, ex Hiſtoria Ordinis Prædicatorum Provinciæ Aragoniæ. *Pret: mort. pag. 572.*

Tandémque, ne plures proferam, Franciſcus quoque



Digitized by Google

# CAPUT III.

## *Crucis aut Crucifixi ſignum, è metallo aliâve materia, ad cor appenſum geſtare.*

### §. I.

*Ejus rei antiquum exemplum, & nova ſpecies proponitur*

CUjus quidem rei antiquum habemus exemplum in S. Virgine Macrina, S. Baſilij magni ſorore: in cujus defunctæ corpore (ut teſtatur alter ejuſdem frater germanus S. Gregorius Nyſſenus, qui præſens aderat) inventum eſt crucis ſignum è ferro, atque annulus etiam è ſimili materia, habens in pala Ligni ſanctæ crucis particulam: quæ quidem utraque monilis inſtar de Virginis collo ſuſpenſa, cordi ejus (inquit) ſemper adhærebant. Nimirum ut, juxta S. Martyrem Ignatium, Chriſti pretioſum monile ſunt Virgines: ita illis pretioſum monile eſt CHRISTUS.

*Ep. ad Olymp.*

*Ep. ad Heron.*

De annulo autem, conſidera, Virgo Crucifixo deſponſa, num forte in uſus tuos transferre poſſis, quod à S. Birgitta factitatum, etiam religioſarum ejus ſororum moribus inſtitutoq; receptum eſt: annulum ſcilicet digito geſtare, in cujus palà, vice gemmæ, Crucifixi imago inſculpta ſit: ut ſic CHRISTI paſſio aſſiduè tibi obverſetur ob oculos; poſſisq; viciſſim animæ tuæ Sponſo dicere, illud Iſaiæ 49. capite: *Ecce in manibus meis deſcripſi te.* Quibus verbis docti Interpretes alluſum exiſtimant ad morem id temporis receptum; dilectæ perſonæ effigiem in annulo expreſſam circumferendi; juxta ac ſi dicas: Ecce in gemma annuli mei, quem in digitis habeo, tui imaginem ad vivum expreſſam circumfero; ut aſſiduè in conſpectu meo ſis, nec tui obliviſci poſſim, niſi obliviſcar ipſius dexteræ meæ.

*Binet. in Vita S. Birg. c. 19.*

*Gaſp. Sanct. &c.*

Ac ſi, (ut Cicero Pliniusq; teſtantur) Epicureæ diſciplinæ

plinæ ſequaces, ejus Philoſophi vultus aut imaginem, tum alijs plerisque in rebus, tum etiam in annulis habebant, ut nec ſi cuperent, ejus liceret oblivisci: res magna non erit, ſi ij qui ſeſe Christi crucifixi ſectatores amatoresq; profiteantur, ſimili aliquo officio, ejus memoriam ſecum circumferre, atque apud alios etiam celebrare, contendant. Denique & veteres Chriſtianos crucis ſigno pro annulo aut ſigillo uſos, tradit Euſebius lib. 6. demonſtrationis Evangelicæ cap. 25. *Cic. l. 5. de finib.* *Plin. l. 35 c. 2.*

Veruntamen quod ad crucis ſignum ſupra cor geſtandum attinet, priſcæ religioni illud adjunxit, poſterioris ævi ſolers & ingenioſa pietas; ut non jam nuda crux ad pectus appreſſa præportetur, ſed crucis aut Crucifixi ex ære ſigillum ſuper carne nuda atque ad ipſum cor geſtetur ejuſmodi, ut in averſa crucis parte, è quinque vulnerum locis, acutæ cuſpides nonnihil extent & emineant; quæ, ipſo punctionis ſenſu, inſtar occulti ſed efficacis monitoris, cruciatuum Christi tum aſſiduam memoriam ingerant, tum nonnullam etiam experientiam & tanquam conſenſum adferant. Quâ ratione olim P. Thomam Saillium è Societate noſtra, crucem ſesqui palmarem, cum quinque ſtimulis præacutis, ad pectus appreſſam continenter geſtaſſe: & ſimile quiddam factitaſſe Alexandrum Cardinalem Urſinum accepimus, Virum non magis ſplendore generis ac dignitatis, quàm virtutum gloriâ illuſtrem. Eſtq; id multorum nunc uſu atque imitatione vulgatum. *Bibl. Script. Soc.*

Verùm hoc in genere admirandum magis quàm imitandum B. Henrici Suſonis facinus: qui palmarem è ligno crucem, triginta inſtructam iſtiusmodi aculeis, ad omnium Salvatoris vulnerum memoriam ac venerationem, inter ſcapulas, ipſos octo annos, dies noctesq; continenter geſtavit; dum ſomnum caperet, ſuper illâ decumbens, illam crebrò, ſeu pugno impacto, ſeu ad murum alliſu, dolori augendo aut redintegrando ſolicitans; adjunctis etiam extremo *Vit. c. 16.*

tempore, ad eam aculeorum turbam, ſeptem alijs immitibus acubus, memoriæ dolorum B. Virginis conſecratis: quoúſq; tandem, eo ſui cruciamento in poſterum ut abſtineret, divinitus admoneretur.

## §. 2.

### *Crucifixum amantium auſus quidam inſoliti, neque imitationi noſtræ facilè ſubijciendi.*

INcredibilius, (& ſi facti naturam ſpectemus) temeritati proximum videbitur, quod ſubjungo. Fuiſſe videlicet nonnullos, qui ad inſanum ſuum (ut ita loquar) in CHRISTUM amorem eo indicio demonſtrandum, atque ad ejus crucis ac paſsionis memoriam cordi ſuo altiùs imprimendam, non jam ſuprà cor aut pectus, crucem Domini è materia effictam geſtârint, ſed majori auſu, in ipſa carne ſui pectoris ad ipſum cordis locum, acuto ferro altè inciderint & inſculpſerint, ac velut ſignaculum cordi impreſſum omni deinceps vitâ retinuerint.

Quo in numero fuiſſe reperio; tum Simonem illum Rodericium, unum è primis decem Societatis JESU Patribus; qui crucis figuram palmari longitudine ſibi ad modum dictum in pectore exſculpſerat, cicatricibus inſigniter extantibus; tum jam memoratum Henricum Suſonem, ardentem illum atque induſtrium Æternæ Sapientiæ, (cujus ſe Miniſtrum appellat) & propter CHRISTUM, cruciatuum amatorem; qui etiam integrum JESU nomen, notis profundis atque indelebilibus fertur ſibi ipſe inſcripſiſſe ſupra cor, non ſine multo ſanguine ac cruciatu incredibili: id nimirum ſtudioſè agentes, ut vel iſtis notis agnoſcerentur veri ſervi Domini JESU CHRISTI, poſſentq; vel ſic cum Apoſtolo dicere: *Ego ſtigmata Domini IESV in corpore meo porto.*

*Ioa. Rhò. hiſt. exemp. l. 3. c. 2.*

*Vit. c. 5.*

*Gal. 6.*

Cujus item ſtigmata, ſed alio invento, S. Radegundem, quondam

quondam Franciæ Reginam, ſibi inuſſiſſe invenio, quæ in Monaſterio jam exiſtens, aliquando ſibi ex aurichalco, *in ſignum* CHRISTI (inquit Fortunatus) hoc eſt, ut interpretor, in formam crucis, curavit laminam: quam deinde probè accenſam atque ignitam locis duobus ſui corporis altè impreſſit, quò & ipſa eo inuſta ſtigmate, inſignem ſe CHRISTI crucifixi ſervam profiteretur. *L. 1. Vit. c. 14.*

Sed & Ioannem Baptiſtam Archintum adhuc adoleſcentem, & priusquam Ordini ſe noſtro adjungeret, ſimili ſtudio ductum, ſacra IESU & MARIÆ nomina candente ferro ſibi inuſiſſe in pectore; tradunt noſtræ Societatis Annales. Quemadmodum etiam P. Auguſtinum de Eſpineſa, item ex noſtro Ordine, ignitis è ferro ſigillis eorundem ſacrorum nominum figuram exprimentibus, ſibi brachia, pectus, crura, genua impreſsiſſe, in defuncti corpore eſt deprehenſum. *Hiſt. Soc. p. 4. l. 2. Ann. Prov. Bat.*

Supra modum autem mirabile eſt hoc in genere, quod de Petro quodam referunt, ex Ordine Ciſtercienſi, Monaſterij Villarij in Brabantia, religioſo (ut appellant) Converſo. Qui non contentus carnem ſuam, ad memoriam atque honorem paſsionis Dominicæ, flagris, urticis, vepribus, herinacei ſpinis, alijsq; ejusmodi ſupplicijs affligere; audaciori ſe ad Domini ſui ſimilitudinem configurandi ſtudio, manus ſibi pedesq; perfodit clavis, latus verò aperuit candente ferro, immiſſo in vulnus ex pilis equinis contexto funiculo, ne nimium citò obduceretur. Ita ex ejus Monaſterij monumentis Ioannes d' Aſsignies, Nizellenſis Abbas, & ex eo Bartholomæus Eizen in Floribus Eccleſiæ Leodienſis. Et ſimile quiddam profert noſter Theophilus Raynaudus in ſuo Sancto Brunone, de quadam Carthuſiana ſanctimoniali, Beatrice nomine; quæ ſcilicet pari in Crucifixum ſtudio, ſibi manus foraverat, eásq; plagas, ne ipſo tempore obducerentur, ſextâ quaque feriâ adacto clavo renovabat. Quanquam *punct. 10. §. 3.*

id auſum quempiam minùs mirabitur, qui apud eundem Theophilum in alio tractatu legerit, idem perfeciſſe impoſtores nonnullos, quò ſe, divinitus Christi ſtigmatibus inſignitos, ementirentur.

De Stigmat. ſict. l. c. 14.

Verùm etſi inventa ejuſmodi, quemadmodum ex magno adverſus Christum amore profecta, ita ipſi multùm complacita fuiſſe non dubitem: cùm & cæteroqui ſciamus, S. Rocho ex ipſo utero pectus cruce rubra divinitus inſignitũ apparuiſſe, uti & brachia defuncti S. Ansberti Epiſc: Rothomagenſis: & de quodam Paulo Secundo legamus, poſt mortem in ejus pectoris medio crucis effigiem inventam ex ſanguine, cum his litteris in orbem adſcriptis: *Paulus Secundus ſervus* Iesu Christi: ea tamen quoniam & modum conſvetum imbecillitatemq; noſtram ſuperant, nec periculi vacua videntur; magis, uti dicebam, ſuſpicienda quàm imitanda ſunt, neque temerè & indiſcretè ab alijs in uſum trahenda. Quæ tamen hoc loco idcircò recenſere voluimus; vel ut appareat ad quos auſus aſſurgat, & quas adinveniat artes, inflammatum humani pectoris erga IESVM crucifixum ſtudium, & ardor quidam amoris; vel ut tantis propoſitis exemplis, & præ magnis illis Crucifixi & crucis amatoribus, noſtram in eâ arte Chriſtum amandi inertiam ac frigus culpantes, ad innocentiores ſaltem aliquas viribúsq; noſtris propiores IESVM crucifixum colendi rationes extimulemur: quales ſatis multas proponit hic noſter tractatus, aliáſq; plures ſolers cujuſque ſtudium, & quidam quaſi pietatis ſapor, facilè excogitabit. Quale illud eſt, quod hîc præcipi poſſet, de ſecreto cingulo, nonnullis ſive aculeis armato, ſive nodis aſpero: quemadmodum inter alios Sanctos puer Elzearius, ab anno ætatis tertio-decimo, uſus fertur cingulo cum quinque nodis ad honorem quinque Chriſti vulnerum: & S. Clara cum nodis tredecim, adſtrictos habentibus lapillos quoſdam, qui carni appreſsi dolorem facerent, ad perpetuam Chriſti cruciatuum commonitionem. Hîc

In Vita.

Anast. in velat. apud Rayn. Surius 9. Feb.

Chron. S. Fr. l. 9. c. 18.

Vit. c. 20.

Hic obſervo denique: quemadmodum ij quos paulò antè memoravimus, Chriſtum poſuerunt ut ſignaculum ſuper cor ſuum; ut omnia ſenſa ac vota ſua, Crucifixi memoriâ, tanquam ſigillo inſignirent: ita etiam plures fuiſſe, qui illum propriè ponerent ut ſignaculum ſuper brachium ſuum, inuſto ſcilicet arte quadam in brachijs aut carpis, crucis ſigno aut IESU nomine, quò crucis Dominicæ recordationem ita quaſi ad manum haberent, atque exinde omnia ipſorum opera ipſo Chriſti nomine quodammodo ſigillata & conſecrata apparerent. Quem quidem morem quondam apud multos invaluiſſe, ex ijs diſcimus, quæ ſcribit Laurentius Ramirez in Chronicon Luitprandi; & ex antiquis Procopius Gazæus in caput 44. Iſaiæ. Conſtatq; ex hiſtorijs recentioribus, quoſdam populos Orientales, etiamnum crucis cauterio inuſtum brachium habere.

# CAPUT IV.

## *Apud ſe in cubiculo, CHRISTI crucifixi effigiem aliquam habere.*

### §. I.

*Eam rem meritò Chriſtiano cuilibet commendatã eſſe debere.*

ÆQuum ſanè foret Chriſtianum quemlibet, eosq; præſertim, quorum limina, ut nobilitate dignitatéve præſtantium, cum primis celebrantur, ædium ſuarum conclavia, tum alijs pietatis monumentis, tum (& præcipuè) vitæ ac paſſionis Chriſti imaginibus, conveſtita habere. Primùm, ut eâ religione ædes ſuas quodammodo conſecrent. Deinde, ut hac tanquam teſſerâ, profiteantur ſe eſſe quod ſunt; hoc eſt, Chriſtianos. Poſtremò, ut hac ratione ſummotis noxijs rerum turpium ſimulacris, ſuo aliorumq; pudori atq; ſaluti

ſaluti conſulant, & pro obſcœnis ſpeciebus, caſtas ac ſanctas cogitationes ingerant.

Quo in genere (ut obiter hoc dicam) probroſa videtur nimia quorundam licentia; quorum aulas ingreſſus, uſque adeò rerum, non profanarum modò, ſed etiam pudendarum formis, palàm & ob omnium oculos proſtitutis, deturpata veriùs quàm exornata ſpectes omnia; dubitare ut poſſis (ædium apparatum quod attinet) hominisné Chriſtiani domum, an à Chriſtiana religione alieni tectum ac larem intraveris.

At quantò nobis ſint, hac quidem in parte, Schiſmatici Moſchi religioſiores, vel hinc licebit cognoſcere. Habet eorum quisque in ſuis ædibus, Paſſionis Chriſti aut ſimilem aliquam religioſam imaginem: cúmq; alter alterum convenit officij negotijvé gratiâ, non continuò ad Dominum domus conſalutandum convertitur; ſed aperto capite ante omnia circumſpicit, ubinam imago ſit, cui profundè caput inclinans, ac tertiùm ducto crucis ſigno ſe muniens, eam brevi prece veneratur: tum ijs deinde transactis quorum gratiâ venerat, non priùs domo pedem effert, quàm eandem imaginem eâdem qua priùs religione ſalutaverit. Ita Alexander Guagninus in ſua Moſcovia cap. 4.

Verùm alijs prætermiſsis, id modò unum à te contendo, mi Chriſtiane; ut ad Salvatoris paſsionem crebriùs familiariusq; recolendam, intra cubiculum aut conclave ſecretius, effigiem Chriſti crucifixi aliquam habeas; quem velut præſentem in ſua imagine obſerves, in cujus conſpectu atque oculis verſeris aſsiduè, eumq; modò ut ſocium ac contubernalem, modò ut actionum teſtem ác præſidem, modò ut amicum ac ſecretorum conſcium, aliàs ut præceptorem domeſticum officijq; monitorem, aſpicias; à quo denique incertis in rebus conſilium, auxilium in arduis, refugium in periculoſis, levamen in moleſtis, ſolatium in adverſis expectes. Hæc generatim: ſpeciatim autem iſta licebit obſervare. §. 2.

## §. 2.

### *Chriſtum crucifixum, ſtudiorum, laborum, actionúmque familiarium, teſtem & adjutorem adhibendum eſſe.*

PRimum; ut ejusmodi effigiem eo tibi loco conſtituas; unde facilè incurrat in oculos, ut ex obvio, crebróque ejus aſpectu utilitatem ac fructum capere poſſis. Imiteriſque in primis B. Catharinam Genuenſem, quæ etiam octennis puellula (prout in ipſius vita legimus) propoſitam habebat in cubiculo piam Chriſti patientis tabellam, ad quam quoties cubiculum ingreſſa, memores oculos converteret, toties intimis afficiebatur ſenſibus, illorum tormentorum recordatione, quibus ſuâ causâ ſubijci voluiſſet Salvator benigniſſimus. *Vit. c. 1.*

Eritque admodùm ſalutare, & majoris fructûs quàm impendij, exercitium; quoties cubiculum ingrediaris, pio aliquo oculorum conjectu, & levi capitis inclinatione Crucifixum ſalutare, & in ejus tutelam ac præſidium te tuáque quaſi reſtituere; rurſúmque cùm egredi contigerit, eodem pacto, aut etiam oſculo ad ejus pedes aut cor appreſſo (præſertim cùm longior futura videtur abſentia) veniam & velut commeatum expoſcere.

Ac denique ſub noctem, de more proborum filiorum, (qui non priùs cubitum concedunt, quàm fauſtâ parentum precatione donati ſint) priusquam acquieſcas, ſanctiſſimis Crucifixi manibus ac cuſtodiæ te committere, bonámque ab eo & placidam noctem exorare.

Ut jam his non addam ſubinde extitiſſe nonnullos, qui ipſum Crucifixi ſimulacrum, vel ſecum in ſtrato componerent; vel (quod de Simone Sacerdote Valentino, & de noſtro item P. Bernardo Colnago in eorum vitis proditum eſt) ipſi humi jacentes, pro ſe in lectulo collocarent: aut etiam qui, omni ſtrato abjecto, in nuda & dura cruce, noctem bre- *Vit. P. Bernardi lib. 1. cap. 12. Ioan. Rhò hiſt: exem l. 3. c. 12.*



Digitized by Google

ſpires & interquieſcas. Ut enim admonet etiam S. Vincentius: *Sæpe dum actu ſtudes, à libro debes ad horam oculos avertere, & oculis clauſis te in Christi plagis abſcondere, & iteratò te ad librum convertere.* *De Vit. ſpirit. cap. 10.*

Quam in rem notum eſt exemplum Seraphici Bonaventuræ, qui (ut ipſe de ſe Angelico Doctori profeſſus eſt) hunc codicem unicè & aſſiduè lectitare, ex eóque præſertim proficere, ac ſublimes illas cogitationes ac pia ſenſa haurire conſveverat. Quod item de primis ſui Ordinis Patribus ipſe Bonaventura teſtatur in vita S. Patris Franciſci; qui *cap: 3.* nempe recenti adhuc Ordine, cùm ſacrorum Doctorum libris deſtituti eſſent, *loco illorum* (inquit) *librum Crucis Chriſti continuatis aſpectibus, diebus ac noctibus revolvebant.* Eodémque in ludo eruditus B. Petrus de Alcantara, cum ſacris Biblijs ſolum Crucifixum habebat in cubiculo, in eóque pervolutando crucis codice & ipſe aſſiduus erat, & alijs, ut eum præ cæteris legerent, ſvadebat. Theologi cujusdam è ſacro Ordine Prædicatorum, eo in genere religio, memorabilem hunc eventum habuit. Solebat is, ſumptâ Crucifixi imagine, & ad caput libri ſuper menſam collocatâ, in communi Bibliotheca ad multam noctem lucubrare. Nocte quadam ita lucubranti, viſus eſt intempeſtivus neſcio cujus tubæ ſonitus inſonare; primùm obſcurior, & quaſi è longinquo, exinde clarior clariórque & tanquam propiùs ac propiùs ad aures appellens; donec prope hominem conſtitit tuba inaſpectabilis, paventem, & à Crucifixo pacem ac veniam poſtulantem. Quam ille tubam, judicij ſui mortisque propinquæ ſignificationem interpretans; ſub auroram Priorem adijt confeſſionis gratiâ, poſtulatisque Sacramentis cæteris (cùm ſanus alioqui videretur) haud ita multò pòſt exceſſit è vivis. Ita Joannes Severanus, ex Hiſtoria Ordinis Prædicatorum Provinciæ Aragoniæ. *Piet: morr. pag. 572.*

Tandémque, ne plures proferam, Franciſcus quoque



Digitized by Google

Suarez, vir è Societate noſtra, quemadmodum celebratiſsimæ doctrinæ, ita & virtutis eximiæ; *ſi ſtudijs inhærenti,* (inquit Autor vitæ) *quæſtio aliqua perdifficilis, nodúsve implicatus occurreret, ante Chriſti è cruce pendentis effigiem, divinæ lucis radios à Patre luminum mutuabatur.* Quantâ porrò exinde lucis copiâ mens ejus illuſtrari ſoleret, argumento ſit ille aſpectabilis, ſed inſolitus admirabiliſque ſplendor, qui aliquando de effigie Crucifixi promicans, rectà in Suarij vultum ac pectus ſeſe vibrare conſpectus eſt, ipſóque repercuſſu Muſæum omne ſupra Solis ſplendorem colluſtrare; cùm ipſe ante hanc effigiem, plicatis genibus ſuſpenſus, ac duos ferè cubitos ab humo ſublimis cerneretur; uti teſtatur ejusdem vita.

*Auto tom: de Angelis*

Attamen quæ hîc præcipiuntur, non de divinarum duntaxat rerum ſtudijs, ſed de humanarum quoque intelligi & uſurpari debent. Siquidem & iſta, jam commemoratis devotæ mentis exercitijs, aſpergenda & condienda ſunt; quæ nempe & illis aliquam ſanctitatem impertiant, & de cœlo lumen aſpirent, & tædium levent, & animum addant, ac non injucundâ intermiſsione atque alternatione relaxent; ac demum, Chriſto opitulante, omnia procliviora captu, & uſu faciliora reddant. *Pietas* enim, Apoſtolo teſte, *ad omnia utilis eſt.*

*1. Tim. 4.*

Eadem denique valere debet præceptio, quoquo tandem opere, pro tuæ profeſsionis ratione, in conclavi manus exerceas; & hoc etiam magis, quòd manuum labor, quò operantis mentem minùs occupat ac diſtrahit, eò ampliorem pijs ejusmodi ad Chriſtum crucifixum reſpectibus, ſuſpirationibúsve relinquat facultatem. Atque facilis eſt & amabilis induſtriæ, quod in vita Venerabilis Catharinæ Ricci ex Ordine S. Dominici, de quadam ejus Monaſterij Virgine proditur, Helenâ nomine: quæ, ut erat aſsiduè in dolorum Chriſti commentatione occupata, inter alias artes

*lib. 1. c. 8.*

ſole-

ſolebat in opere faciendo roſas quinque ( ubi eorum florum tempus eſſet ) in crucis modum præ ſe in menſula diſponere; eâque induſtriâ, non tam oculos florum aſpectu, quàm animum plagarum Sponſi ſui memoriâ & imagine paſcere.

## §. 3.

### *Ad eundem in tentationibus aliiſque moleſtiis eſſe recurrendum.*

TErtium: ut Chriſti crucifixi effigiem in promptu habens, in illa paratum perfugium, ac præſidium ſalutis habeas in tentationibus ac periculis, & hoc tanquam domeſtico aſylo ab omni malorum incurſu tutus exiſtas.

Planè enim hîc opportunum eſt B. Hieronymi breve præceptum: *Si ingreſſi fuerint ad te latrunculi per oculos, per aſpectum crucis opprime eos.* Incautior aſpectus aſpectu ſanctiore ſanandus eſt, & ignitorum ſerpentum morſus, ſalutaris ſigni inſpectione excantandus. Unde etiam & illud S. Bernardi ad Hugonem Novitium: *Si tentationum ſentis aculeos, exaltatum in ligno ſerpentem æneum intuere; & fuge, non tam vulnera, quàm ubera Crucifixi.* Quod etiam pluribus perſequens S. Auguſtinus in Manuali, in eámque rem ſuum ipſe experimentum allegans: *Cùm me pulſat*, inquit, *aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera Chriſti. Cùm diabolus mihi parat inſidias, fugio ad viſcera miſericordiæ Domini mei; & recedit à me. Si ardor libidinis moveat membra mea, recordatione vulnerum Domini noſtri filii Dei, extinguitur. In omnibus non inveni tam efficax remedium, quàm vulnera Chriſti.*

*Thom: Hibern.* *Ep. 351.* *cap. 22.*

Te igitur felicem, ſi hoc tàm præſente perfugio familiariter uti noveris; in omni diſcrimine ad Chriſti vulnera confugiens, & velut ( quod ait Propheta ) in abſcondito divini tabernaculi, in corde inquam Chriſti crucifixi, te abſcon-

*Pſ. 26.*

ſcondens; denique, ex ejuſdem Prophetæ monito, parvulos Babylonis (hoc eſt ipſa prima pravarum cogitationum ſemina) ad Petram, ſeu Chriſtum crucifixum allidens. Senties ſubinde vel ſolo Crucifixi conſpectu in te extingui omnia tela nequiſsimi ignea, impuráſque omnes imagines, & iſtam quam appellat S. Hieronymus dulcem libidinum pompam, continuò diffugere à facie ejus: ipſo denique uſu atque experimento comperies, adverſus omnes infirmitates carnis noſtræ, livore vulnerum Salvatoris nullum eſſe malagma præſentius, nullum remedium efficacius. Proinde & ad præcavenda oculorum pericula, non mediocrem utilitatem habebit, id quod alio ſenſu dicit Scriptura, ut ſit vita noſtra pendens ante oculos noſtros, vitalem nimirum Salvatoris noſtri in cruce pendentis ſpeciem aſſiduè præ mentis oculis, tanquam præſentem, circumferendo.

*Ep. 22.*

Neque verò dubium eſſe debet, quin illo ad ſeſe crebro ac fiduciæ pleno recurſu delectatus Dominus, ſpeciali curâ protegendum te ſuſcipiat: quemadmodum de pia Virgine, cui nomen Eliſabetha Wanſia, teſtatur Thomas Cantipratanus. Quæ cùm patientis Chriſti cruciatus nunquam è memoria deponeret; Chriſtus crucifixus totos tres annos ita illam comitatus eſt quocunque ſe ferret, ut ſi quæ forſan impuræ cogitationes animum pulſarent, ille revulſam à cruce manum ejus pectori admoveret, omnémque confeſtim impuritatem abigeret.

*Apum. l. 2. cap. 30.*

Si porrò gravior tentationis vis ingruerit, inſtétque tibi pertinaciùs, age (ejus rei ubi opportunitas fuerit) Crucifixum in manus, aut etiam in ſinum ſumito; contemplare amantiſsimi Domini vultum, non tam mortis vi quàm amoris, in te propenſum: ingredere, quà licet, in cor illius afflictiſſimum, plagas ejus & membra omnia ſolicitis oſculis laceſſe, in manus illius animam tuam commenda.

Dicito illi iſta de Scriptura, quæ exempli gratiâ hîc ponimus:

Digitized by Google

nimus: Amabilis Jesu: *Aſpice in me, & miſerere mei. Domine, vim patior, reſponde pro me. de vultu tuo judicium meum prodeat. Si inſurgat adverſum me prælium, in hoc ego ſperabo. Exurgat Deus, & diſſipentur inimici ejus. Eſto mihi in Deum protectorem, & in domum refugij. Sub umbra alarum tuarum protege me. Domine, ſalva nos, perimus. Non me derelinquas uſquequaque. non avertas faciem tuam à me. Non peccabo in conſpectu Dei mei. Propitius ſit mihi Dominus, ne faciam hanc rem.*

Addere potes & illa in primis huc pertinentia:
*O bone IESU exaudi me: Intra vulnera tua abſconde me: Ne permittas me ſeparari à te: Ab hoſte maligno defende me.*

Et his ſimilia, quæ affectus aut uſus ſuggeret: quibus eatenus inſiſtere poteris; dum, tempeſtate diſcuſsâ, animo redeat deſiderata tranquillitas.

Idem ſibi habebat tentationum perfugium S. Hieronymus; quando inter deſerta agenti (prout ipſe ſcribit ad S. Virginem Euſtochium) recurſabant Romanæ deliciæ, & ſcorpionum tantùm ſocio atque ferarum, ob oculos chori obverſabantur puellarum. *Itaque* (inquit) *omni auxilio deſtitutus, ad IESU jacebam pedes, rigabam lacrymis, crine tergebam, &c.* *Ep. 22. c. 3.*

Eodémque rurſus perfugio tibi utendum erit, quoties, ſi non illecebroſa tentatio, at anxietas animum, ægritudo, mæſtitia, tenebræ, ſolitudo occupaverint. Sed quoniam eam rem parte 4. cap: 11. ubi Exercitium reſignationis animæ deſolatæ inter brachia Crucifixi tradimus, diligentiùs exequimur; idcirco pluribus in præſentia ſuperſedemus.

## §. 4.

### *Coram eodem precandum; & alia quavis, tanquam cum amico fideliſſimo, conferenda.*

Quartum: ut cùm tibi precandum erit, aut divinorum meditationi vacandum; ante Crucifixum id quoque

agere inſtituas. Juvabit ipſa Crucifixi præſentia, tum ad varios ſanctos affectus, vel ipſo Crucis intuitu, concipiendos; tum ad reverentiam attentionémque animi, ad ea quæ tecum meditabere, retinendam, & cordis tui inſtabilitatem, eâ oculis objectâ ſpecie, efficaciùs coërcendam.

Quapropter ſi inter orandum, animum tibi longiùs evagari ac peregrinari ſentias, continuò oculos ac mentem ad aſpectum Crucifixi revoca; ſenſus tuos diſperſos intra ejus vulnera recollige, & cor tuum vagum & inſtabile in ejus præſertim ſacro latere defige. Sic enim etiam factitaſſe video S. Bonaventuram; cujus iſta eſt ad Crucifixum oratio: *O bone IESU, nimis ſaxeum eſt cor meum, niſi emolliatur ſanguine tuo: nimis diſtractum eſt cor meum, niſi recolligatur in latere tuo.*

*P. 1. ſtim: cap. 15.*

Quòd ſi fortè cœlis imbrem ſuum negantibus, tibi cor aridum, & anima ſinè humore eſt, nec ſapere poteſt quod piæ meditationis argumentum ſumpſeris; adhuc tamen oculos mentémque, quantumvis arentem, in Chriſti aſpectu defixam tene, ejus ſacra membra & plagas amabiles ſigillatim otioséque contemplare, eam Crucifixum inſpiciendi perſeverantiam, pro omni oratione habe. Neque ſi, vel horam, abſque alio interiore guſtu, in ſola imaginis Crucifixi contemplatione perſtiteris; pigeat te orationis inſipidæ, aut temporis malè collocati. Iſte quippe conſtans ac pius Crucifixi aſpectus, præclara quædam atque efficax oratio eſt: quando & ea humilitas habitúſque corporis & animi de Crucifixi vultu pendentis, vocis inſtar habet apud Deum; & ipſa ſpecies Crucifixi, quem in ejuſmodi ariditate cordis pro nobis quodammodo ſubſtituimus, vicariâ veluti operâ pro nobis Patrem interpellat atque exorat: ut hic etiam valeat illud S. Ambroſij libro de Iſaac & anima: *Ipſe* ( ſcilicet Chriſtus ) *ſit vox noſtra, per quam loquamur ad Patrem.*

*cap. 8.*

Qua-

Quare velut mendicus quiſpiam, in conſpectu divitis timidè ac verecundè conſiſtens, etſi ore taceat, ipſo tamen vultu cæteróque corporis geſtu, ſtipem exorat: ita debes & tu, in illa ſpiritûs egeſtate, coram Crucifixo, pauperculi inſtar humiliter, modeſtè, perſeveranter aſſiſtere, & eâ perſeverandi inſtantiâ, ſtipem cœleſtem tuæque paupertati opportunum ſubſidium emendicare.

Quò etiam pertinet quod apud S. Bernardum (ſi tamen ejus eſt opuſculum illud) in libro de natura & dignitate divini amoris, legimus: *Anima* (inquit) *ſicut inops, ſicut mendica, ſperans, ſuſpirans, inſpicit, ſuſpicit, ſi quid ſibi porrigatur, ſi quando aperiatur: & aliquando, importunitate & improbitate ſuâ, ſic evincit omnia obſtacula, & transgreditur uſque ad interiorem Sapientiæ menſam, &c.* *cap. 4.*

Itaque potes per intervalla, egeſtatem tuam agnoſcens atque prætendens, aut de derelictione tua amanter ac blandè conquerens, illud Prophetæ uſurpare ad Deum: *Iſte pauper clamavit ad Dominum*; vel illud ejuſdem: *Tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adjutor*; vel illud denique: *Vide humilitatem meam & laborem meum, & dimitte omnia peccata mea.*

Potes etiam (quando iſte ſenſus in Chananæa muliere tantum Chriſto placuit) catelli inſtar habere te, qui ad herilem menſam aſſiſtens, & Dominum ſuum etiam ſilentio reſpectans, ſat intelligitur illum admonere victûs atque indigentiæ ſuæ. Forſitan & tibi dabitur denique edere ſaltem de micis quæ cadunt de menſa Domini tui. Veruntamen, utut ſeſe habebunt reliqua, optima erit hæc oratio, etſi minùs ſuccedat quod paraveris. Tantùm torpor abſit, & voluntaria nauſeantis animi evagatio.

*Quintum & poſtremum*: ut iſtum quaſi amicum unicum, ac fidum ſodalem, Chriſtum inquam crucifixum apud te habens, cum illo tuis de rebus, quæcunque tandem eæ

fuerint, familiariter amantérque conferas; cum illo, poſt curas atque labores, fatigatam mentem ſubinde recrees ac reficias; cum illo denique (cùm temporis aliquid vacuum tibi fuerit) omiſsis frigidis, quæ ab aliorum amicorum convictu ac conſvetudine expectari poſſunt, ſolatiolis, otium temporis ſanctè ac jucundè oblectes. Ut enim rectè cum Joanne Thaulero Lætienſis Abbas: *Quid poſſit amanti animæ eſſe ſuavius, quàm ut poſt diſtractiones, labores, perturbationéſque multas in hac lacrymarum valle (velit, nolit) ei occurrentes, eámque fatigantes, ſub hac ſalutiferæ crucis umbra reſpiret, ſeſe reficiat, ſenſus diſperſos colligat, animámque exhauſtam delectabili arboris hujus fructu confortet?* Hæc ibi.

*Explic: paſſ. cap. 16.*

Eodem facit Exercitium, quod ob materiæ ſimilitudinem capite ſequenti adjungimus: quamvis poſſint hæc & quædam ſimilia, etiam ad partes ſequentes, ſive ad interiorem aliquam animæ occupationem pertinere.

# CAPUT V.

## *Sumptâ in manus Chriſti crucifixi effigie, ſeſe ſubinde ad bonam mortem exercere.*

### §. I.

*Ejus Exercitij, tum neceſſitas, tum utilitas, oſtenditur.*

Præſens exercitium propterea ſeorſum proponimus, quòd & ſuper eo pluſcula nobis dicenda ſint, & ad bonam mortem (à qua omnis pendet æterna noſtrâ felicitas) non mediocrem vim videatur habiturum eſſe.

Id autem eſt hujusmodi: ut ab omni cura moleſtiore feriatus, cùm te animo tranquillo, proindéque ad divinos ſenſus magis compoſito, eſſe ſenſeris; partem aliquam temporis tibi deligas, quâ clauſo oſtio cubiculi tui, & ſumptâ in

in manus Chriſti crucifixi effigie, eóq; delecto ſitu corporis, qui in rem præſentem maximè facere videbitur, cum Salvatore tuo ac Judice, tuæ ſalutis cauſam otioſiùs agere inſtituas, atque ex formula, quam pòſt paulò ſubijciam, tanquam ſi in fatali lectulo ſupremæ horæ ſignum expectes, in ijs proinde animi ſenſibus atque affectibus, qui extremo illi tempori congruere videantur, in ijsdémque cum ipſo Chriſto crucifixo ſermonibus collocutionibúsque, te exerceas.

Neque intempeſtivum fortaſſis aut præproperum cenſebis hoc ſtudium; ſi cum animo tuo iſtinc reputes in primis incertum humanæ vitæ; cùm forſan hæc dies, forſan hæc hora, forſan hoc momentum ſupremum nobis futurum ſit; iſtinc autem rei pondus & magnitudinem æſtimes. Quippe cùm de arte bene moriendi agitur, ea profectò res agitur, cui prout oportet condiſcendæ, omnis utique vita meritiſsimò ſit impendenda: adeóque non fruſtra fuiſſe, ſed ingentem ſanè vivendo profectum is feciſſe cenſendus ſit, qui vel hoc unum in omni vita didicerit: *Bene mori.*

Audi eam in rem Romanum Philoſophum ad amicum ſuum Lucilium præclarè, & tantùm non Chriſtianè ſcribentem: *Magna res eſt hæc* (inquit) *Lucili, & diu diſcenda, cùm adventat illa hora inevitabilis, æquo animo abire.* Et rurſum: *Vix tota vita ſufficiat, ut hoc unum diſcas, vitam contemnere.* Et alio tractatu: *Vivere totâ vitâ diſcendum eſt: & , quod magis fortaſſe miraberis, totâ vitâ diſcendum eſt mori.* Ut jam te, mi Lector, non pigeat, vel otij tui particulam aliquam, in eam quam dixi exercitationem conferre; & iſtâ velut proluſione, ad horam illam decretoriam, extremúmque vitæ actum, te comparare.

*Ep. 30.*
*Ep. 111.*
*de brev. vitæ cap 7.*

Nam ſi, qui fabulam comœdiámve acturi ſunt, priùs in ſcenam quàm prodeant, diu multúmque exerceri, & ad vocis flexum, mutationem vultûs, corporis geſtum ac motionem, verbo ad id omne, quod perſonæ quam gerant aptè

ſuſtinendæ neceſſarium exiſtimetur, ſtudioſiſsimè formari ſolent; ſuis ut denique ſpectatoribus ſe approbent, atque ab ijs inanes plauſus laudémve perituram reportent: quam non oportet nos diligentiam, curam, ſtudium, præmeditationem, exercitationem adferre, ut non jam in fabula, aut rei ſeriæ, attamen ludicro, imitamento, verùm in rè omnium maxima atque graviſſima, Deo vitæ noſtræ, non otioſo ſpectatori, ſed ad præmium pœnámve æternam juſtiſsimo certiſsimóque Judici, probemur: ne cùm inexercitati ac rudes ad vitæ clauſulam peragendam venerimus, extremo in actu (in quo poſita ſunt omnia) miſerrimo lapſu corruamus, atque errore irrevocabili & inemendabili peccemus.

Neque hac in parte ulla occupationum excuſatio admittenda eſt. Quaſi ullus homo ſit ita temporis egens, quin illius portionem aliquam, & velut horarum ſucciſiva, non modò honeſtæ remiſsioni, ſed rebus etiam ſupervacaneis interdum donare poſsit: aut tanquam occupatio ulla ſit ei negotio anteferenda, quo non jam tempori (quod ajunt) ſervitur, ſed æternitatis ſecuritati conſulitur.

Auguſtinus olim, circa ſuæ ad Deum converſionis conſilia fluctuans, & magno pugnantium cogitationum æſtu jactatus, cùm illud de quo nunc agimus, præclarè apud animum ſuum ſtatuiſſet: *Deputentur*, inquiens, *tempora, diſtribuantur horæ pro ſalute animæ*: continuò illâ occupationum objectâ mole, ab eo quod jam inſtituerat, pœne repulſus & retroactus eſt; cum ijs ſe curis, ſive profeſsionis rhetoricæ, ſive aliorum officiorum, diſtineri diceret, nulla ut ab ijs vacua ſibi temporis pars, ad ea cogitanda agitandáve quæ maximè vellet, relicta eſſe videretur. Sed en uti rurſus omnem hunc curarum temporalium obtentum, æternæ ſalutis deſiderio mortisque timore, generosè disturbat ac disjicit. *Pereant omnia* (inquit) *& dimittamus hæc vana & inania; conferamus nos ad ſolam inquiſitionem veritatis.*

*L. 6. Conf. cap. 11.*

Digitized by Google

*tatis. Vita hæc miſera eſt, mors incerta: ſi ſubitò obrepat, quomodo hinc exibimus? Et ubi nobis diſcenda ſunt, quæ hîc neglexìmus? Annon potiùs hujus negligentiæ ſupplicia luenda ſunt?* Iſta Auguſtinus. Quæ quidem omnia ſuo quodam modo valere poſſunt etiam in rem præſentem. Quemadmodum enim ſerum nimis eſt, morte jam obitâ, artem diſcere bene moriendi: ita qui conſtante vitâ diſciplinam eam neglexerit, ut is inſtante morte moriendi artem addiſcat, audeo dicere, propemodum nimis ſerum eſſe. Quando videlicet ipſo terrore vicinæ, neque antea unquam ſatis conſideratæ atque proviſæ, mortis occupatus animus, & præſentium ſenſu, futurorum metu perculſus, tot inter curas, dolores, angores, perturbationes, horrores, tenebras, vix jam ſeipſum reſpicere, minùs etiam ea, quæ ſuæ ſalutis ratio eo in tempore poſtulet, circumſpicere poteſt. Quo etiam fit, ut pleroſque videas, cùm inexercitati & imparati ad moriendum acceſſerint, etiam ſub ipſo mortis ictu ſolicitiùs de ea differenda, quàm quomodo rectè obeunda ſit cogitare; interque has curas, ipſo ſuo facto quaſi præoccupatos, ſalutis ſuæ res, ſi non deploratas, at dubias tamen atque incertas relinquere.

Magna igitur res eſt, & nullo non die, omníque adeò vitâ diſcenda, Chriſtianè mori: hoc eſt (inquam) ut piè, ut ſanctè mortem obeas; ut cum non dubia ſalutis ſpe, & (quoad ejus fieri poteſt) beatæ ſecurus æternitatis decedas.

Et quoniam ejus diſciplinæ pars non contemnenda, eſt præſens exercitatio; ad eam te hortor, Lector optime: quia ut huc transferam, quod, in re non abſimili, de animo ad paupertatem præparando dixit Seneca: *Neceſſarium judico, id quod tibi ſcripſi magnos viros ſæpe feciſſe, aliquos dies interponere, quibus nos imaginariâ* (ille *paupertate* dixit, nos *morte*) *exerceamus ad veram.* Ep. 20.

§. 2.

## §. 2.

### *Exercitationis propoſitæ ſpecies atque adumbratio quædam.*

IGitur ſi te volueris ad bonam mortem per otium componere, potes hac ſimilive ratione circa Chriſtum crucifixum exerceri.

*Primò:* ſumptâ in manus aut ſinum Domini tui in cruce pendentis effigie; & mortis horam (à qua neſcio an reipsâ multùm abſis) veluti præſentem animo ac cogitatione fingens; agnoſces in primis ſub illa figura Dominum Creatorem ac Salvatorem tuum, qui amore tui per ſummos dolores & opprobria in infami illo patibulo mori ſuſtinuerit, quò te à diaboli ſervitute eriperet, & morte ſuâ amariſsimâ, vitam tibi beatam æternáque gaudia compararet.

*Secundò:* teipſum & anteactam vitam reſpiciens, recogitabis iſti omnes annos tuos in amaritudine animæ tuæ; dolebiſque vehementer, quòd hactenus ſeu negligenter & remiſsè, ſeu etiam nequiter ſceleratéque vivendo, adverſus tantum amorem ingratus, non modò amorem amori non reddideris, ſed ipſum benigniſsimum Dominum tuum criminibus tuis (quod in te fuit) rurſum crucifixeris, dívinúmque ejus ſanguinem tam amanter & largiter pro te fuſum quodammodo conculcaveris.

*Tertiò:* in hujus vecordiæ tuæ cogitatione, timore, dolore, verecundia, horrore confuſus, te veluti reum & quovis dignum ſupplicio ad ipſius pedes abijcies, oculíſque in terram defixis, tanquam ſi offenſi Redemptoris vultum non ſuſtineres, admiſſorum tuorum veniam poſtulabis; rogans, ut infelicem animam tuam mundare dignetur pretioſo ſuo ſanguine, & te velut prodigum filium de regione longinqua denique revertentem, recipere in gratiam, & brachijs immenſæ ſuæ charitatis amplecti.

*Quartò:* deinde cum animo tuo conſiderans, Chriſtum

Digitized by Google

ſtum Jesum ad hoc veniſſe ut peccatores quæreret, ac pro ijs ſalvandis (ac pro te nominatim) mortuum eſſe; in eum amanter te proijciens, omnem ſpem tuam atque ſalutem in ſacris ejus vulneribus ac ſanguine conſtitues, certus, hujus pretium in immenſum excedere quamcunque tuorum peccatorum gravitatem. Quorum memoria ſi ſupervacuè te ſolicitet: colliga ea in faſciculum, & in incenſam illam charitatis fornacem, in Salvatoris cor, ad comburendum immitte. Fidenter dic æterno Patri: Pater, peccavi in cœlum, & coram te: ſed pro me interpellat & pacem exorat Vnigenitus tuus. Pro me vulneratus, pro me crucifixus, pro me mortuus eſt. Habes quondam grandis debiti reum: ſed chirographum obligationis meæ filij tui ſanguine deletum eſt. En apocham meæ liberationis. Attende Unigeniti vulnera, & obliviſcere peccata mea.

*Quintò:* tum verò etiam majore erectus fiduciâ, & crucem ipſam manu ſtringens atque prætendens (veluti quoſdam Dei ſervos imminente morte feciſſe ſcimus) *In hoc baculo,* exclama, *tranſibo Iordanem iſtum:* alludendo videlicet ad verba Jacobi Patriarchæ, & Domini crucem aſpiciendo tanquam baculum peregrinationis noſtræ; cujus ope, iſto dolorum ac mortis torrente transmiſſo, promiſſam terram ſecurè attingere valeamus. Quò referri poteſt, quod de S. Nicolao Tolentinate legimus; qui moriturus oravit ad ſe deferri crucem, in qua veræ crucis particula incluſa erat; *ut ejus virtute* (aiebat) *ceu baculo altiſſimæ poteſtatis fultus, Iordanem hujus mundi liberè transmittere, & ad Paradiſi gaudia facilè pervenire queam.* *Gen: 32.*

*Sextò:* inter hos, ſimileſve affectus, Salvatoris in cruce diſtenti nunc hæc, nunc illa membra complectere: roſea ejus vulnera identidem diſſvaviare: in ipſius corde vulnerato, ceu ſanctæ fiduciæ ara, & divini amoris officina, libenter ac diutiùs immorare: os ejus divinum ori tuo, tanquam

aut

aut illius morientis ſpiritum excepturus, aut tuum in illum transfuſurus, amanter apprime: qua de re infrà plura ſuggeram, cùm de Chriſti morientis imitatione.

*Ad extremum:* in ipſius manus, corpus, animam, vitam, & ipſam æternam ſalutem tuam fidenter committes; paratus ad omnem ejus nutum & placitum, ſeu te porrò vivere, ſeu mori velit: & totum quod es, aut totum quod habes, opes, honores, titulos, &c. ad pedes Crucifixi deponens & quaſi reſtituens; quòd hactenus & vitam, & iſta vitæ ſeu commoda, ſeu ornamenta liberaliter tibi præſtiterit, ei gratias ages. Tandem veluti pertæſus iſtius mortalis vitæ, atque æternorum incenſus deſiderio, anhelabis ſubinde ad conſpectum ejus, & his B. Gertrudis vocibus ad illum ſuſpirabis: *O IESU mi chare, quando corpus meum* (te perimente) *revertetur in pulverem, & anima mea liberè refluet in te ſuam originem!*

*Bloſ. in pijs prec.*

Juvabitque ad manum habere alias nonnullas aſpirationes hujusmodi; qualis eſt illa, quam ex S. Gregorio referemus in parte ultima; aut iſta quam autor tractatûs de Viſitatione infirmorum inter opera S. Auguſtini, moribundo dicendam ſuggerit in Crucifixi complexu: *Tu autem, bone IESV, qui pro me pendens ita paſſus es, miſereri mei digneris, & præſta, ut qui mihi mortuus es, & ad hoc mortuus es, ut mundo moriens tibi vivam, bone IESV.*

*lib. 2. 3.*

Ad hujus denique Exercitationis complementum, mihi inſuper hæc pauca monendus es:

*Primum:* ut quando nondum in vera morte, ſed in imaginaria tantùm verſaris, tibique adhuc temporis aliquid ad vitam emendandam conceſſum eſt; ad id omni ſtudio connitaris; & quod omnino feciſſe velles, ſi hoc ipſo momento reipsâ tibi moriendum eſſet, id tibi deinceps faciendum ſeriò apud animum tuum proponas.

Id autem cavebis in primis, ne priores culpas, quarum nunc

nunc te pœnitet, repetas: ne fortè tot tuis fruſtrationibus fatigata, & vecordiæ tuæ faſtidio offenſa Dei benignitas, meritò denique te deſerat; & impenſa tibi, ſed contempta miſericordia, in gravius judicium ſuppliciúmque vertatur. Timenda quippe eſt in re præſenti, amara illa Beati Job imprecatio: *Obliviſcatur ejus miſericordia.* Cujus quidem pœnæ hanc inter cæteras rationem ſubijcit: *Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in ſuperbiam.* Quod graviter more ſuo explicans B. Gregorius: *Quia* (inquit) *accepta miſericordiæ tempora divertit ad culpam; diſtrictus in ultimis Iudex argumenta miſericordiæ convertit ad pœnam. Unde neceſſe eſt* (concludit) *ut cùm nos diutiùs expectari conſpicimus, ipſa pietatis prorogata tempora, quaſi damnationis argumenta timeamus.* Hæc S. Gregorius. *cap. 24.* *L. 13. Mor. cap. 3.*

Iſtius proinde Exercitij uſurpatio, non in futurum modò, ſive ad mortem tempore ſuo piè ac ſanctè obeundam, valebit plurimùm (promptiùs quippe, cùm res exiget, prorumpes in eos affectus quibus aſſveveris, & ad familiare notúmque perfugium, Chriſti inquam crucifixi vulnera, liberiùs convolabis) ſed non parùm etiam conducet in præſens, ad vitam ſcilicet purè & ſanctè, eóque tranquillè atque beatè, tranſigendam. Bene ſiquidem vivet, qui bene mori didicerit: ſicut è diverſo verum eſt illud, ſæpiùs a nobis in hoc capite laudati Philoſophi: *Malè vivet, quisquis neſciet bene mori.* *de tranq: animi c. 11.*

*Alterum:* ut hoc quidquid eſt ſpiritualis exercitij, non curſim aut quaſi perfunctoriè, ſed ſedulò & diligenter obeas, & in his capitibus quæ ad guſtum magis facient, operoſiùs inſiſtas. Quòd ſi tibi Deus, inter exercendum, ſenſus aliquos in futurum utiles, aut rationem aliquam artémve rei in tempore ſuo bene gerendæ, ſuggeſſerit; ut id in codicillum ad memoriam atque uſum referre ne prætermittas.

*Poſtremum:* ( quanquam non magnum eſt, at fortè arridebit nonnemini ) ut in hujus exercitationis clauſula, ei calvariæ ( quæ ad crucis pedem apponi ſolita, mortis noſtræ per Chriſtum exarmatæ, & ad crucis triumphale lignum ſpolij inſtar adjunctæ, ſymbolum eſt ) ſubinde oſculum figas: teſtatus hoc pacto te mortem de manu Dei, cùm hora illius venerit, libenter eſſe acceptaturum, eámque ſive ut donum amantis, ſive ut flagellum punientis, perinde exoſculaturum eſſe. Eodémque recidet, ſi eam humani capitis figuram, duntaxat appoſitam dixeris ad ſupplicij locum indicandum, qui à calvarijs, quæ iſtic jacerent nomen acceperit; ſive ea denique primi hominis Adam calva eſt, quem iſtîc ſepultum, receptiſsima eſt SS. Patrum traditio. Námque ſic etiam mortalitatis noſtræ monumentum eſt, in eáq; mortis neceſsitatem unicuique impoſitam intueri & amplecti licebit.

## §. 3.

### *Illuſtri exemplo aſſeritur eadem Exercitatio.*

SImili fermè ratione ad mortem ſeſe exercebat Venerabilis Pater Cæſar de Bus, is qui Religionis Patrum, quos vocant, Doctrinæ Chriſtianæ, in Gallijs autor atque conditor fuit: qui ſive ad mortis memoriam familiariùs retinendam, ſive ad aſsiduum vitæ ſanctioris ac perfectioris incitamentum, quotidie prius quàm conſveto ſomno concederet, quendam ſibi tanquam ſui funeris apparatum, aut veriùs pietatis ſcenam, iſtum in morem adornabat.

*l. 2. Vit. c. 8.* Aquæ ſanctæ vaſculum cum peniculo luſtrali ſtatuebat in ſcabello ad lectuli caput; ad pedes verò in ſcabello altero lucernam collocabat per noctem arſuram: tum ſeſe in ſtrato induſtriè componens, ſumptóque inter manus Chriſti cruci ſuffixi ſigno, pijs precationibus commendabat illi animam ſuam, perinde atque ſi eam ſibi noctem ſupremam

mam fore intelligeret, aut confeſtim ſibi è vita excedendum eſſet. Inter quas pias commentationes ſomno denique cedebat; ac luce poſterâ eo in habitu evigilans, diem illam ſibi ſingulariter ad ſui emendationem à Deo conceſſam interpretabatur; eámque proinde in lucro ponens, perfectioris vitæ ſtudium arripiebat ardentiùs, quaſi ſe idcirco ab ipſis inferis divinitus ereptum, vitæq; redonatũ intueretur.

Itaque vir pius (quod ſapienti faciendum præcipiebat Seneca) *nullo non die ſe extulit.* Cúmque ex aſceticæ vitæ *Ep. 12.* præceptionibus, ad quotidianam ſpiritûs renovationem, ſanctúmque fervorem concipiendum, duo hæc plurimùm valeant; diem omnem, vel tanquam primam religioſi ſtudij, vel tanquam ſupremam aſpicere, uno ille invento utrumque fecit: omni quippe die ſeſe componens, rurſum omni die tanquam ſuperſtes ſibi vivens, quotidie cœpit de integro Deo vivere, quotidie poſtremùm vixit.

Sed attende, amabo, priusquam hoc caput finiam; in talem virum quàm ea bellè conveniant, quæ loco jam laudato Seneca, Elogij inſtar, attexuit: *Ille beatiſſimus eſt, & ſecurus ſui poſſeſſor, qui craſtinum ſinè ſolicitudine expectat. Quisquis dixit, Vixi; quotidie ad lucrum ſurgit.*

# CAPUT VI.

## *Miſſæ Sacrificio quotidie frequentando, paſſionis ac mortis Domini memoriam renovare.*

### §. I.

### *Miſſæ Sacrificium expreſſam quandam paſſionis Chriſti repræſentationem eſſe.*

POſtulat à te in benigniſsimum Redemptorem propenſa pietas & grati animi devotio; ut ſacroſancto Miſſæ Sacrificio (*cujus celebratio,* ut S. Thomas loquitur, *imago qua-* *3. p. q. 83. a. 1.*

*dam eſt repræſentativa paſſionis Chriſti)* quotidie, quoad res tuæ permiſerint, religiosè aſſiſtas. Hoc enim illud eſt divinisſimum myſterium, quod diſceſſurus ex hoc mundo Salvator, & inſtante jam paſsione ſuâ, atque, ut ait Rupertus, *jam in anguſtia paſſionis agonizans*, celebrare nos juſſit in ſuam commemorationem: hoc eſt (veluti interpretatur Apoſtolus) ad mortem ejus annunciandam. Unde etiam S. Bonaventura: *In meam commemorationem. In memoriam ſcilicet eorum quæ pro te in carne geſſi, quòd propter te deriſus, illuſus, crucifixus ſum.* Et B. Albertus Magnus de Sacrificio Miſſæ: *Hæc quotiescunque feceritis* (inquit) *in mei abeuntis ad paſſionem memoriam facietis.*

*l. 2. in Exod: cap: 6.*

*Faſcic. c. 1.*

*Tract: 3, cap. 12.*

Ac ſi ipſam porrò myſterij naturam ac conditionem attenderimus; comperiemus, Sacrificium hoc, verum eſſe illius, quod in ara crucis olim oblatum eſt, imitamentum. Eadem quippe tam in illo cruento quàm in hoc incruento Sacrificio eſt victima: quæ etſi jam morti atque tormentis ſubtracta ſit; ſemper tamen in hoc myſterio, arcanâ & non aſpectabili ratione (ut ait S. Gregor: Nyſſenus) immolatur.

*Orat 1. de reſurr. Chr:*

Cùm enim, quantum eſt ex vi verborum (ut cum Synodo Tridentina loquuntur Theologi) ſolum Chriſti corpus ſub panis ſpecie ponatur, non item ſanguis & anima, tametſi & hæc ſimul adſint, vi naturalis (quæ inter illa eſt) connexionis & concomitantiæ; ſimiliter autem ſub ſpecie vini, Chriſti ſanguis duntaxat non item corpus exiſtat ex vi verborum: fit, ut myſticâ ratione corpus Chriſti ut exangue & exanime, ſanguis autem ut è venis effuſus & ſeorſum conſiſtens exhibeatur; atque per hunc modum (quod ait Magnus Gregorius) *hoc Sacrificium paſſionem Unigeniti Filij ſemper imitetur.* Siquidem *ſanguis ſeorſum conſecratus, expreſſè paſſionem Chriſti repræſentat*; inquit diſertè Doctor Angelicus.

*Seſſ. 13. cap. 3.*

*l. 4. dialog. cap. 58.*

*q. 78. a. 3. ad 2.*

Itaque præclarè eodem loco S. Gregorius: *Hæc victima*

*ma illam nobis mortem Unigeniti per myſterium reparat, qui licet reſurgens à mortuis jam non moritur; tamen in ſeipſo immortaliter atque incorruptibiliter vivens, pro nobis iterum in hoc myſterio ſacræ oblationis immolatur.* vel ut alij legunt: *in hoc myſterio moritur.* *C. Quid ſit, decent. d. 2.*

Eique conſonans S. Joannes Damaſcenus: *Ille*, inquit, *Dei Agnus qui mundi peccatum tollit, myſticam diſcipulis ſuis cœnam tradidit, ipſisque ſeſe velut vitulum ſaginatum mactavit, ac veræ vitis uvam tanquam in torculari expreſſit.* In quibus habes manifeſtè mactationem corporis, & expreſſionem ſanguinis, ac proinde vivam paſſionis ac mortis Chriſti repræſentationem. Ut in re clara atque teſtata, nihil neceſſe ſit alios Patres adducere. *de aſſumpt. B. Mariæ.*

Omitto itidem: reliqua quæ in ipſa Miſſæ celebratione geruntur, partes ejus ſingulas, ac ritus omnes, ipſúmque etiam ſacrificantis ornatum & habitum, ad Chriſti paſſionem repræſentandam appoſita & accommodata eſſe; ut videre licet apud alios.

Ex his autem rectè concludit Doctor Seraphicus, ſcribens in quartum ſententiarum: *Si ergo accendit affectum paſſio deſcripta, & ampliùs ferventer prædicata; multò magis inflammare & afficere debet in hoc Sacramento expreſſa. Et hoc abſque dubio facit, ſiquis ſenſum habet, & illum convertit ad hoc Sacramentum.* *d. 12. p. 2. a. 1.*

## §. 2.

### *Quæ eum in finem ſpecialiter videantur obſervanda.*

VT igitur eâ, quam res poſtulat, religione, Miſſæ Sacrificio aſſiſtamus; tria præſertim nobis obſervanda ſunt:

*Primum:* ut ad Eccleſiam rei ſacræ causâ concedentes, complurium Sanctorum exemplo, ita aſſveſcamus ac perinde inducamus animum, quaſi non alicui paſſionis Domini-

minicæ repræſentationi duntaxat adfuturi, ſed ipſam reverâ Chriſti paſsionem, atque cruentam immolationem, in monte Calvario ſpectaturi ſimus. Ita enim fiet, ut paſſionis ac mortis Chriſti myſteria, tanquam ſi coràm gererentur intuentes, majorem ad illa attentionem animi ac reverentiam adferamus, eosdémque propè experiamur affectus, quos vel ij ſenſerunt, qui patientem Chriſtum coràm ſpectârunt, vel nos ipſi experti fuiſſemus, ſi eum reipsâ illi tormentorum acerbitati ſubjectum, ipſis oculis contemplati eſſemus.

*l. 4. myſt. Miſſ. c. 1.*

*Alterum:* ut præſertim ſub ipſum tempus conſecrationis (quod Innocentius III. ſcitè appellat *cor divini ſacrificij*) exſuſcitemus fidem ac devotionem noſtram, atque in Hoſtiæ elevatione, quæ (ex ſenſu S. Damaſceni inferiùs citandi) corporis Chriſti in crucem ſublationem ſignificat, mentis oculis ipſum intueamur veluti in cruce pendentem, plagis lacerum ac cruentatum; & ex ejus apertis vulneribus ſacrum ſanguinem largiter decurrentem in terram.

*Hom. 24. in 1. Cor.*

Ad quod etiam nos hortatur S. Joannes Chryſoſtomus, dum ait: *Quando myſterium propoſitum fuerit, dic tecum: Hoc eſt illud corpus, quod fuit cruentatum & cæſum flagris, in crucem actum & clavis confixum, quod percuſſum, univerſo orbi terrarum ſalutares emiſit fontes.*

*l. 2. de div. offic. c. 10.*

Quas profectò cogitationes, inter ſacra myſteria, ſi plerique Chriſtiani ſuſciperent, non adeo remiſsè ac frigidè, ne dicam irreligiosè aut impiè, quotidianis illis (ut Rupertus appellat) *Salvatoris exequijs* intereſſent. Expediet etiam ad uberiorem animæ noſtræ profectum, ut ipſo Sacrificij tempore, nosmetipſos Deo unà cum Chriſto, tanquam hoſtiam ſecundariam, primariæ illi ac principali victimæ adjunctam atque ſubnexam, per perfectam noſtri (quoad ejus fieri poterit) abnegationem immolemus. Hæc enim pura noſtri oblatio, per ſe quidem pretioſa apud

Deum,

Deum, multò tamen ei gratioſior evadet, ſi per eam quam dixi, cum digniſsima illa hoſtia conjunctionem, ejus dignitate quodammodo aſperſa, ejúsve ſanguine veluti tincta apparuerit. Audiamus omnes, & præſertim Sacerdotes, Magnum Gregorium hoc ipſum diſertè gravitérque præcipientem: *Neceſſe eſt ut cùm hæc agimus, nosmetipſos Deo in cordis contritione mactemus: quia qui paſſionis Dominicæ myſteria celebramus, debemus imitari quod agimus. Tunc ergo verè pro nobis hoſtia erit Deo* (ſcilicet Chriſtus) *cùm nosmetipſos hoſtiam fecerimus.* Quibus videri poteſt ad ea reſpexiſſe, quæ itidem S. Cyprianus Sacerdotibus præcipit, his verbis: *Ille Sacerdos vice Chriſti verè fungitur, qui quod Chriſtus fecit, imitatur: & ſacrificium plenum ac verum tunc offert Deo Patri, ſi ſic incipiat offerre, ſecundùm quod ipſum Chriſtum videat obtuliſſe.*

*l. 4. dial. cap. 59.*

*l. 2. ep. 3. ad Cæcil.*

*Poſtremum* denique: ut à Sacrificio revertentes, impreſſam menti paſſionis Chriſti imaginem, & inde cõceptos ſanctos affectus, in diei reliquum ſolerter retinere curemus; ſeu (ut rurſum cum S. Gregorio loquar) *in quantum Deo largiente poſſumus, in ipſo animum ſuo pondere & vigore ſervemus; ne pòſt cogitatio fluxa diſſolvat, ne vana menti lætitia irrepat, & lucrum compunctionis animæ per incuriam fluxæ cogitationis perdat.*

*loc. cit.*

Perinde itidem ac ſi, poſt ſpectatum cruentum Chriſti crucifixionis Sacrificium, de monte Calvariæ deſcenderemus, inque eorum numero eſſemus, de quibus ſcriptum eſt: *Et omnis turba eorum qui ſimul aderant ad ſpectaculum iſtud, percutientes pectora ſua revertebantur.*

*Luc. 23.*

## §. 3.

### *Eandem præceptionem peculiariùs ad Sacerdotem Sacrum facientem pertinere.*

SEd quoniam, uti dicere cœpimus, Sacerdotes præſertim convenit, qui hoc in munere Chriſtum ipſum crucifixum

Digitized by Google

repræſentant, & eundem illum Agnum Dei in ara crucis ſemel immolatum, eodem quaſi perpetuato Sacrificio, Deo offerunt, hoc facere in mortis ac paſſionis Chriſti memoriam: idcirco viſum eſt piam precationem ei fini maximè congruentem à Seraphico Doctore mutuatam hic apponere, Sacerdoti ad ſacrificandum accedenti, ex toto corde (ut ipſe ait) recitandam. Ita autem habet:

*Præpar. ad Miſſ. c. 6.* *Ecce cœleſtis Pater, recolens mortem illam unigeniti Filij tui Domini noſtri, offero tibi hanc hoſtiam, quam ipſe olim obtulit pro mea & totius mundi ſalute. Ecce ad altare tuæ majeſtatis transmitto oblationem vivam, quam tu in miſeratione multa miſiſti ad altare crucis immolandam pro nobis. Recordare ergo illius ſacroſancti ſudoris, quaſi guttæ ſanguinis, decurrentis in terram. Reſpice illam virgineam carnem, verberibus crudeliter flagellatam, colaphis & alapis cæſam, tumoribus lividam, ſputis maculatam, ſanguine cruentatam, ſpinis perforatam, clavis confixam, lanceâ vulneratam. Illa ergo pietas quæ filium tuum traxit & vicit, ut in ſtatera crucis totius mundi peccata librares, ipſa te cogat, Pater, miſereri nobis miſeris. Reſpice, obſecro, non noſtra peccata, ſed in faciem Chriſti tui. Non enim in juſtificationibus noſtris preces noſtras proſternimus, ſed in multitudine miſerationum tuarum.*

Hæc S. Bonaventura: qui (ut obiter hoc moneam) in eo quod ait: *Ecce ad altare tuæ majeſtatis transmitto oblationem vivam*; partim ad id reſpicere videtur, quod Apoc: 8. ſcriptum eſt de altari, quod S. Joannes vidit in cœlo ante thronum Dei; partim ad id quod in Canone Miſſæ dicit Sacerdos: *Iube hæc perferri per manus S. Angeli tui in*

*q. 83. a. 4. ad 9.* *ſublime altare tuum.* Per quæ (ut rectè Doctor Angelicus) *Sacerdos non petit, neque quòd ſpecies ſacramentales deferantur in cœlum, neque corpus Chriſti verum, quod ibi eſſe non deſinit; ſed petit hoc pro corpore Chriſti myſtico, ut ſcilicet orationes Sacerdotis & populi Angelus aſſiſtens divinis myſterijs Deo*

*repræ-*

Digitized by Google

*repræſentet.* Ad eum igitur duntaxat modum dicitur divina oblatio transmitti ad altare cœleſte, quo ad Deum aſcendunt piorum preces, ſive (uti ſuprà in Apocalypſi dicitur) *fumus incenſorum de orationibus Sanctorum.*

# CAPVT VII.

## *Eandem paſſionis Chriſti memoriam, etiam ad ipſam Eucharistiæ ſuſceptionem, eſſe adhibendam.*

### §. I.

### *Ipſum per ſe divinum Sacramentum, etiam quandam Chriſti patientis imaginem præferre.*

PORrò quod in Miſſa audienda faciendum diximus; id, & multò maximè in ipſa ſacra Dominici corporis communione uſurpandum eſt: ut nimirum abſque peculiari paſſionis Chriſti memoria non accedamus ad Sacramentum illud; quod mundum relicturus Salvator nobis reliquit, non modò ut pignus amoris, ſed etiam ut monimentum doloris ſui.

Neque verò tantùm corporis & ſanguinis ſui oblationem, ſed ſumptionem etiam frequentari voluit in paſſionis ſuæ memoriam: & de ſumentibus loquebatur Paulus cùm diceret: *Quotiescunque manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis*; ſeu commemorabitis. 1. Cor. 11.

Deinde ſacra Communio, quædam Sacrificij priùs oblati participatio eſt: & ſi rei naturam inſtitutionémque ſequimur, ipſum corpus Chriſti non aliter aſpiciemus aut ſumemus, quàm ut victimam, cruento primùm Sacrificio in ara crucis, deinde in ſacro altari incruenta quadam ratione immolatam. *Nam & nos de cruce Domini paſcimur* (inquit S. Auguſtinus) *quia corpus ipſius manducamus.* C. Acceſſerunt, de conſ. d. 2.

T Igi-

Igitur etiam in hoc Sacramento Chriſti corpus, veluti corpus Crucifixi accipiendum eſt. Quo modo ex Eccleſiæ (præſertim Græcæ) ritu veteri, quando ſacra Euchariſtia viris in manus, fæminis in mundo linteolo, ſumenda tradebatur, uſu receptum fuiſſe ſcimus, ut manibus in crucis figuram decuſſatis illam reciperent; memores ſe in Sacramento Crucifixi corpus accipere, eámque ſacram actionem, in ejusdem paſsionis ac mortis memoriam, uſurpandam eſſe. Videri poteſt ſextæ Synodi Canon 101. ubi præſcriptum habes; ut *ſiquis immaculati corporis in Synaxis tempore eſſe particeps voluerit, manus in formam crucis figurans, ſic accedat & ſuſcipiat gratiæ communionem.* Et ut alios Patres omittam; Damaſceni expreſſum monitum eſt: *ut, manibus in crucis formam compoſitis, Crucifixi corpus ſuſcipiamus.*

*l. 4. de fide cap. 14.*

Atque etiam in lege veteri, non ſine myſterio præceptum fuit; ut Agnus paſchalis, qui typus erat Sacramenti Euchariſtici, ederetur cum lactucis agreſtibus atque amaris; ut ſcilicet eſſet indicio, corpus Chriſti (qui Dei Agnus eſt, & mundi peccatum tollens victima) non ſinè amaræ paſſionis ipſius recordatione manducari debere. Et myſticè monemur in libro Ruth, buccellam noſtram in aceto intingere; hoc eſt panis Euchariſtici manducationem, fellis & aceti, quo ille potatus eſt, reliquorúmque cruciatuum quos noſtrâ causâ pertulit, meditatione condire. Tandem & Agnum illum legalem, in crucis formam expanſum, aſſari ſolitum, ex S. Juſtino diſcimus: ut vel hinc etiam intelligamus, verum Dei Agnum in menſa Euchariſtica tanquam crucifixum à nobis accipiendum eſſe.

*lib. contr. Tryph.*

Quid, quòd ipſæ etiam ſacramentales ſpecies, ſub quibus Chriſti corpus & ſanguis conſecratur & ſumitur, Chriſti paſsionem non obſcurè repræſentare videantur, ejúsque ſpeciem & imaginem quandam oculis non prorſus ineruditis ingerere? Quippe cùm & panis (Chriſti autem corpus anima-

animarum noſtrarum verè panis eſt) de grano frumenti non niſi primùm variè contuſo ac commolito, deinde ex aqua benè ſubacto, & ad extremum calore ignis concocto conficiatur: in quibus quis non videat expreſſam tormentorum imaginem, quibus cœleſtis ille panis, quò animæ noſtræ ſapidior evaderet ac dulcior, multifariàm quaſi commolitus ac ſubactus eſt? Et vinum, (ſub cujus ſpecie Chriſti ſanguis proponitur, qui verè potus eſt) non niſi de botris in torculari calcatis, aut validâ prœli contorſione expreſsis eliquetur & confluat: in quo continuò menti occurrit torcular illud, in quo ipſe Chriſtus tot cruciatuum dolorúmque preſſuris, tanquam conculcatus & compreſſus eſt, ut nobis flueret præclarus calix, & vinum lætificans animas noſtras.

Quò pertinet quod à Gratiano refertur tanquam ex Ambroſio: *Panem quidem iſtum, quem ſumimus in myſterio, illum utique intelligo panem, qui manu S. Spiritûs formatus eſt in utero Virginis, & igne paſſionis decoctus in ara crucis.* Quæ quidem quemlibet autorem habeant (nec enim inveniuntur in S. Ambroſio) rectè & ad rem noſtram appoſitè dicta ſunt. Iiſque paria ac plura etiam invenies in S. Petro Chryſologo ſermone 61. ubi relatis illis Chriſti verbis: *Ego ſum panis qui de cœlo deſcendi: Ipſe eſt panis* (ſubdit) *qui ſatus in Virgine, fermentatus in carne, in paſſione confectus, in fornace coctus ſepulcri, illatus altaribus, cœleſtem cibum quotidie fidelibus ſubminiſtrat.* Sic ille. *C. Omnia de conſ. d. 2.*

## §. 2.

### *Patientis Chriſti recordatio, in ſacræ Euchariſtiæ ſumptione, quâ ratione uſurpanda.*

VTi capite ſuperiori, ſimili in re faciendum ſuggeſſimus; paſſionis Chriſti commemoratio, ipſius item Sacramenti ſuſceptioni tripliciter adhibenda eſt; ante ipſam, in ipſa, poſt ipſam.

*Primò* igitur velim exiſtimes: valde utilem atque accommodatam ad hoc Sacramentum ſuſcipiendum præparationem eſſe; ſi priuſquam ad illud accedas, aliquantum temporis in ea, quam dixi, paſſionis Chriſti meditatione ponas, mentémque deinde eorum myſteriorum imaginibus imbutam & quaſi coloratam, ad ſacram Synaxin adferas. Quem uſum etiam commendabat ſancta Mechtildis, cùm diceret: animæ ad hoc Sacramentum accedenti curandum eſſe, ut ad Sponſi ſui exemplar ſe componens, & ipſa candida ſit & rubicunda; eúmque in finem & priùs lavandam eſſe per ſacram confeſſionem, & rubore tingendam per paſſionis Chriſti meditationem. Quò nimirum dicere poſſit cum S. Agnete: *Sanguis ejus ornavit genas meas.*

*P. 1. Stim: cap. 17.* Sanctus etiam Bonaventura graviter admonet: maximè exigi in iſto Sacramento, ut qui ad illud accedit, per paſſionis Chriſti meditationem ſit cum ipſo Chriſto crucifixus. Itaque hortatur potiſſimùm Sacerdotes, ut priuſquam ad altare accedant, ruminent illam (ut ipſe loquitur) magnificentiam charitatis, quâ Dei filius voluit pro nobis tam vilis fieri, & vermis reputari, & à viliſsimis tam ſæva & turpia ſuſtinere. Atque inflammati ardore illo inæſtimabili, ſic pro ſe deſpreto, afflicto, vulnerato, compatiantur intra ſe, perinde atque ſi ijs eſſent vulneribus vulnerati. Quod uti faciliùs obtineant, ſvadet diſcurrendum per ſingula vulnera, & nunc quantum in hoc, nunc quantum in illo vulnere paſſus ſit, modò quanta fuerint & qualia ejus opprobria, modò quanta & qualia flagella, diligenter æſtimandum. Ita ferè S. Bonaventura.

*Secundò:* in ipſa ſacra communione præſertim, vivam apud te habe patientis Chriſti formam atque imaginem; & perinde animo affectus eſto, quaſi ipſum Chriſtum crucifixum, & recentibus adhuc plagis ſuſcipias: qualiter ſibi aliquando in Sacramento conſpectum, dum ad illud ſumendũ accederet, B. Angela teſtatur. *Vit. c. 38.*

Et

Et admonet ſanè S. Chryſoſtomus: *ut quaſi de ipſa bibituri coſta, & ſtillantem de corde hauſturi ſanguinem accedamus ad altare.* Idémque alio loco ſic præcipit: *Ne ad Euchariſtiam accedentes, putemus nos divinum corpus de manu hominis accipere; ſed potiùs ab uno de Seraphim ignitum calculum, forcipe* (ut ſcilicet vidit Iſaias) *de altari ſumptum nobis tradi credamus: ipſum autem ſalutarem ſanguinem reputemus velut è divino & impolluto latere effluere, & ſic accedentes, labijs puris accipiamus.* *Hom. 84. in Ioan: Serm: in Encæn.*

Idem ſenſus eſt autoris ſermonis de Cœna Domini apud Cyprianum, dum ita ait: *Quàm pretioſus eſt calix iſte, per quem cruci hæremus, ſanguinem ſugimus, & intra ipſa Redemptoris vulnera figimus linguam?* Quaſi videlicet (quod S. Lutgardi, B. Magdalenæ de Pazzis, aliiſque conceſſum legimus) in ea corporis crucifixi ſuſceptione, admoveamus os ad plagam divini lateris, & cordis ejus etiamnum ſtillantis hauriamus igneas reliquias, eóque dulci in complexu, permixtis amoris, doloris, gaudij affectibus, abſorbeamur.

*Tertiò:* poſt communionem cogita te inſtar B. Virginis, Chriſti corpus è cruce depoſitum, in gremio ac ſinu geſtare. Induc affectus plenos amoris, quos tunc ſancta Mater experta eſt. Pretioſum illum & charum myrrhæ faſciculum, jam inter ubera tua commorantem, cordi tuo ſuaviter apprime. Contemplare ſtudioſiùs melliflua ipſius vulnera, & ad illas Paradiſi roſas reverenter ac piè applica interiores ſenſus animæ tuæ: illas oſculare, palpa, guſta, odorare. Id cave ſolicitè, dilectum tuum dum apud te habes, nequa te res aliorſum diſtrahat, aut ab ipſis dulcibus oſculis & caſtis amplexibus divellat.

Quò etiam pertinet præceptum illud autoris modò citati: *Chriſti bajulus* (poſt ſuſceptam nimirum Dominici corporis communionem) *ipſum ferat in pectore, ipſum gerat in mente:* per piam ſcilicet circa ipſum Chriſtum, ejúſque paſſiones, exercitationem. Potes

Potes etiam non ſinè ratione aut exemplo, ipſum cor tuum, ut Filij Dei electum ſepulcrum conſiderare, quod ipſemet ſibi ut locum quietis delegerit, & in quo à te cupiat piorum deſideriorum & ſanctarum operationum aromatis inungi. Certè, ſi (ut à nobis ſuperiùs indicatum eſt) corporis ac ſanguinis Chriſti conſecratio, idcirco ejuſdem in cruce immolationem repræſentat, quòd per eam certâ ratione corpus Chriſti ut exangue & exanime exhibeatur: conſequens eſt ipsâ communione Chriſti ſepulturam adumbrari, & cor ſeu pectus divina myſteria participantis, in quo corpus Chriſti ſub panis ſpecie recipitur, inſtar eſſe illius ſepulcri, in quod poſt mortem illatum & conditum eſt. Hoc etiam affirmante S. Damaſceno, cùm ait: Chriſti corpus in altari per Sacerdotis manus elevari velut in crucem; & dum diſtribuitur ac ſumitur, in nobis velut ſepeliri.

*l. de corp. Chriſti.*

Idque adeò ei, quam ſuprà laudavi, S. Mechtildi aliquando à Dei Matre monſtratum eſt. Nam cùm feriâ ſextâ majoris hebdomadæ, horâ Completorij, uti aliàs ſæpe, apparuiſſet B. Virgo, & ab ea ſibi præcipi audiſſet; acciperet filium ſuum dilectiſſimum, cúmque in corde ſuo ſepeliret: continuò ſenſit cor ſibi in morem argentei ſarcophagi conformari, operculum aureum habentis (quibus quidem metallis munditia cordis, & ſancti amoris vis, quâ Deus in corde amantium retinetur, adumbrabatur) móxque ipſum Chriſtum eo quaſi conditorio recipi, déque ejus præſentia exultantem animam cœleſti quadam ſuavitate perfundi.

*l. 1. c. 24.*

## §. 3.

### *Quæ hoc capite dicta ſunt, inſigni documento confirmantur.*

TAndem ad eorum, quæ hactenus dicta ſunt, confirmationem, placet hîc referre, quod ſanctæ Virgini Lydvinæ aliquando contigit. Tenebatur illa, quodam die, ma-

gno

gno deſiderio ſacram Euchariſtiam recipiendi: qua in re, cùm Parochus ſe ſatis difficilem præberet, ídque illa ferret gravatè; adſtitit illi Angelus, qui nunciaret; ei conſolandæ atque erigendæ, ipſum per ſe Chriſtum haud ita pòſt eſſe adfuturum. Porrò advenientis Salvatoris pompa hæc fuit.

Præibant è cœleſti militia præclari juvenes; atque alius crucem, alius clavos, lanceam alius, alij alia Dominicæ paſſionis inſignia præferentes, pauperi Virginis lectulo circumfunduntur.

Subſequitur ſanctiſſima Dei Mater, non ſinè inſigni aliorum Sanctorum comitatu. Demum ipſe Chriſtus, in forma primùm ſpecioſiſſimi pueri; qui deinde in virum ætatis perfectæ mutatus, velut crucifixus ſertóque ſpineo coronatus, ac toto corpore ſanguinolentus apparuit: tandémque (rogante Virgine, ut ei aliquod præſentiæ ſuæ ſignum ac monimentum relinqueret) in ſpeciem candidæ ac radiatæ hoſtiæ converſus eſt: quam in mappula relictam, & conſpicuâ Chriſti crucifixi figurâ, vulneribus etiam cruentis, & ſanguineis guttis ſpectabilem, ipſa denique de Parochi manu ſuſcepit, cum animi ſui exultatione incredibili.

Ex quo exemplo fit perſpicuum, quod dicebamus, diviniſſimorum myſteriorum participationi ſolennem paſſionis Chriſti memoriam intermiſcendam; ídque ipſi Salvatori noſtro gratum in primis & complacitum eſſe.

Ad extremum addimus; quod de paſſionis Chriſti memoria ad Euchariſtiæ ſuſceptionem adferenda hîc diximus; id, tametſi minùs evidenter, attamen ſuo modo in reliquis quoque Sacramentis locum habere: quippe cùm omnia ex Chriſti paſsione vim habeant, ejúsque merita ac ſanguinem ſpeciali ratione contineant. Præcipuè verò in Sacramento Pœnitentiæ, in quo dum peccator à Sacerdote abſolvitur, meritò ſibi figurabit, quaſi ſub ipſa Chriſti cruce poſitus, perfundatur ipſius ſanguine, de apertis adhuc vulneri-

neribus ad ipſius emundationem ſcaturiente. Quæ cogitatio etiam cautioni ſerviet, ne deinceps repetitis ſceleribus, in ſe polluat divinum ſanguinem, & ſalutis vitæque æternæ pretium convertat in damnationis argumentum.

# CAPVT VIII.

## *Chriſtum patientem in membris ſuis agnoſcere.*

### §. I.

### *Egenos, afflictos, ulceroſos, ut proprias Chriſti patientis imagines aſpiciendos eſſe.*

*Serm. 4. de Nat.*

SIquidem ex quo Dei Filius, cum carne noſtra mortali, ejus miſerias atque ærumnas in ſe ſuſcepit, eáſque in ſuo corpore (uti S. Bernardus loquitur) dedicavit: oportet nos illas alijs jam oculis aſpicere; & tanquam res ipſo Chriſti attactu conſecratas, imò veluti ea quæ ad ſacram ipſius humanitatem pertinuerint, eique inhæſerint, cum amore, cultu, ac reverentiâ tractare. Etenim ut ait Theodotus Ancyræ Epiſcopus, hom: 2. de Nativitate: *In ſe ſuſcepit crucem* (ſive, ut in Græco eſt, *familiarem ſibi ac peculiarem effecit*) *ſuam fecit alapam, vincula ſua fecit; ut Dei propriæ effectæ paſſiones, adverſus paſſiones acciperent poteſtatem.*

*de Ver. relig. c. 16.*

*In 3. p. q. 46 a. 5.*

Quod ſi, ut ſapienter philoſophatur S. Auguſtinus, Dei Filius opes, delicias, honores ac mundi gloriam, & reliqua quæ tanti æſtimantur ab hominibus, ipſo neglectu ac deſpicientiâ, ſive (ut ipſe ait) *carendo vilia fecit:* profectò quæ his adverſa ſunt, inopiam, labores, dolores, contemptum, opprobria, in ſe aſſumendo ſuáque faciendo, pretioſa effecit, imò (ut loquitur Cardinalis Cajetanus) deificavit, eóque non amore tantùm, ſed etiam veneratione digniſſima reddidit. Idque eò magis, quòd miſeriæ noſtræ atque ærumnæ, non extrinſecus duntaxat, aut ſolo contactu (ut flagel-

Digitized by Google

flagella, crux, clavi ) ad ſacram ipſius humanitatem attinuerint: ſed eas in ſeipſum Dei Filius, tanquam corporis animique ſui affectiones proprias, intimo quodam modo admiſerit, eaſdémque ut interiora ac propiora inſtrumenta, ad ſalutis noſtræ procurationem adhibuerit.

Quamobrem, ſi ultrà intendamus animum, facilè erit & illud efficere: quemadmodum non ipſam duntaxat crucem in qua pependit, ſed etiam illius effigies, ab illo divini corporis attactu, ſanctitatem quandam ac dignitatem accepiſſe cenſemus (neque enim ipſam Domini crucem, ſed ejus aliquod ſimulacrum, contuebatur S. Andreas, cùm diceret: *Salve crux, quæ in corpore Chriſti dedicata es, & ex membrorum ejus margaritis ornata*) ita nos miſerias mortalis vitæ, non tantùm in Chriſto, ſeu prout à Chriſto in ſeipſo ſuſceptæ ſunt, ſed etiam prout inveniuntur in membris ejus, hoc eſt, in miſeris & ærumnoſis hominibus, veluti earum quas ille proximè in ſe admiſit, expreſſas imagines, imò ut earum portionem quandam, extenſionem aut appendicem, agnoſcere ac venerari debere. *Adhuc enim Chriſtus hîc eget* ( inquit S. Auguſtinus ) *Chriſtus hic peregrinatur, Chriſtus hîc ægrotat, Chriſtus hîc in carcere includitur.* Atque hoc eſt, meâ ſententiâ, quo paſſionis Redemptoris noſtri crebrò ac facilè commoneri poſſimus, ſi videlicet aſſveſcamus, Chriſtum patientem agnoſcere in omni paupere, & membrorum ejus afflictiones, tanquam Chriſti paſſiones intueri. *In Pſ. 86.*

Nam ſi ( ut exempli causâ hoc ponam ) S. Franciſcus ad ſolum Agnelli aſpectum totis commovebatur viſceribus & ſolvebatur in lacrymas, in innocentis ac mitiſſimi animalis ſchemate, illum agnoſcens Agnum Dei ſanctum & immaculatum, qui in ara crucis pro peccatis noſtris immolatus eſt: aut, ſi tantùm conſpecto vermiculo, is continuò illi ſuccurrebat, qui de ſe pronunciaſſet per Prophetam: *Ego ſum vermis & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis;* *Pſ. 21.*

*bis*; ut proinde nec æquo ferret animo, id genus reptilis pede proteri, quòd illud ut typum aſpiceret Salvatoris noſtri in paſſione ſua abjecti atque deſpecti: Quantò magis par ſit, ad pauperum & ulceroſorum quotidianum aſpectum, ejus nos piè meminiſſe, *qui propter nos egenus factus eſt cùm*
2. Cor. 8. *eſſet dives*; languoréſque noſtros & dolores noſtros, inſtar leproſi, portavit? Quod facere ſolitum eundem etiam S. Franciſcum, teſtatur Vbertinus de Caſali, dum (ad quædam verba S. Bonaventuræ reſpiciens) de eo ita loquitur: *Con-*
lib. 5. c. 3. *tuebatur in pulchris pulcherrimum; in infirmis autem, infirmitates quas pius IESVS pro noſtra ſalute portavit; de omnibus ſibi ſcalam faciens ad apprehendendum dilectum.* Expreſ-
Vit. cap. 8. ſiùs autem de eodem loquens ipſemet S. Bonaventura: *Liqueſcebat* (inquit) *animus ejus, ad pauperes & infirmos; cùm in pauperibus cunctis effigiem Chriſti perſpiceret.* Quod vel eò maximè nos quoque facere oporteret, quòd ærumnoſi afflictíque mortales, non tantùm typus ſunt aut umbra aliqua patientis Salvatoris, ſed expreſſæ quædam ac vivæ illius imagines, imò membra ejus in quibus ipſe adhuc patitur, & in quibus ipſe præceperit, tanquam in Legatis ac Vicarijs ſuis, honorem ſibi obſequiúmque præſtari. Vnde B. Ambroſius in Pſalmum 118. *Si videamus* (inquit) *pauperem, illum ad cujus ſimilitudinem factus eſt, honoremus in paupere; de quo ait: Dediſtis mihi manducare; quia quod uni eorum dediſtis, mihi dediſtis. Vides ergo* (ſubdit) *quia inter multas Chriſti imagines ambulamus.*

Itaque pauper, afflictus, ulceroſus, viva quædam Chriſti patientis imago eſt. Vt ſubinde mirari ſubeat; cùm nemo ferè ſit Chriſtianorum, qui imagine conſpectâ, quæ Chriſti dolores, aut coloribus expreſſos, aut ſcalpro effictos repræſentet, non continuò moveri ſe ſentiat ad paſſionis Chriſti memoriam, ejúſque cultum ac venerationem: raros tamen eſſe fortaſſis, qui ad hominum miſerorum conſpe-

ſpectum, & eorum præſertim, qui aut ulceribus cooperti, aut plagâ aliquâ inſigniore ſui miſerationem concitent, animum referant ad virum dolorum, cujus illi vivæ ac propriæ imagines ſunt; adeóque (ſi rem penitiùs introſpiciamus) majori honore ac reverentiâ habendæ; quòd iſtæc alia inanima ſimulacra, Chriſto potiùs quàm alteri cuipiam repræſentando, piâ hominum voluntate, addicta & conſecrata ſint: afflictos autem & ærumnoſos, ut vicarias ſui imagines ipſe ſibi Chriſtus ſubſtituerit, & ſeſe in illis, ac ſi præſens eſſet, agnoſci, foveri, atque honorari voluerit.

Veruntamen ſic comparatum eſt, ut ſenſuum potiùs conſvetudinem, quàm fidei diſciplinam ſecuti, in illis magis quod naturâ ſunt, quàm quod ex divino inſtituto repræſentant, intueamur: facitque ſpectandi aſſiduitas, ut inter tot Chriſti patientis imagines, ambulantes, eas abſque ulla paſſionum ejus memoria, & ſinè ſpeciali pietatis ſenſu prætereamus.

## §. 2.

### *Multiplex iſtius perſvaſionis utilitas.*

CÆterùm, mi Lector, ſi ex ea quam nunc proponimus exercitatiône, fructum aliquem conſequi deſideras; aliter tibi erudiendus & aſſvefaciendus eſt animus; & intimis ſenſibus imprimenda iſta perſvaſio: nimirum pauperes & ærumnoſos, veras ac vivas Chriſti patientis imagines eſſe. Iſtam quippe intimam perſvaſionem multiplex conſequetur utilitas.

*Prima:* ut ad pauperis & ærumnoſi hominis aſpectum, nullo negotio, ſed magno tamen operæ pretio, veniat in mentem afflictiſsimi IESU, quem velut præſentem agnoſcas in ſui imagine; eíque, dolores ejuſmodi, olim in carne ſua, nunc in membris ſuis myſticis patienti, tenero ſenſu, & pio ſubinde ſuſpirio condoleas, cúmque (quoad facultas

erit) ſublevare contendas. Etenim miſellos ejusmodi, ipſum ſibi Chriſtum ſubſtituiſſe, non utcunque ut ſui imagines, ſed etiam velut exactores ac procuratores ſuos, quibus utique à te ſolvendum ſit, quod ipſi debes, pro omnibus quæ tuâ causá aut egit, aut paſſus eſt.

*l. 2. Vit. cap. 7.* Vt proinde, ex quadam P. Noſtri Vincentij Caraffæ commentatione, ad pauperum & miſerorum occurſum, meritò apud animum tuum eam quaſi Chriſti vocem audias, illos commonſtrantis atque dicentis: *His ſolve, quod mihi debes.* Quâ cogitatione inductus Vir ille ſanctus, ita ſecum firmè ſtatuerat: *Deum adamabo propter ſe, & propter ipſum vivis ejus imaginibus inſerviam.*

*Secunda:* paulàtim condocefiet animus, pauperes etiam ulceroſos & horridos non averſari, ſed potiùs amare atque complecti, tanquam proprijs Chriſti inſignibus ornatos, eique familiares ac domeſticos; eisque proinde cùm res tulerit, etiam libenter te adjunges, ſolandi aut opitulandi gratiâ.

Hoc enim ab ijs qui Evangelicæ perfectionis ſtudium profiteantur, meritò exigit S. Franciſcus in Regula; præcipiens Fratribus, ut ſtudeant ſequi humilitatem & paupertatem Domini noſtri Jesu Chriſti: atque vilium & deſpectorum, pauperum & debilium, infirmorum & leproſorum conſvetudine gaudeant. *I. Reg. c. 9* Et S. Vincentius, Tractatu vitæ ſpiritualis cap: 15. inter plura præcepta ad vitam ſpiritualem apprimè conducentia, iſtud quarto loco ita proponit: *Ut ſocietatem, contubernium & apparatum divitum & magnatum fugias, non ex contemptu: tantùm de ſocietate pauperum glorieris, & in memoria, aſpectu atque converſatione pauperum & deſpectorum totus lateris, quaſi expreſſa imagine Chriſti, & eis quaſi regibus, cum ſumma claritate, & jucunditate, & reverentia aſſocieris.* Quibus verbis etiam confirmatum habes quod præſertim hoc capite contendimus: homines paupe-

res

res & deſpectos, expreſſas eſſe imagines Chriſti pauperis atque deſpecti; adeóque à nobis, non humanè tantùm & benevolè, verùm etiã reverenter habendos ac tractandos eſſe.

*Tertia*: efficiet denique ea itidem cogitatio, ut pauperibus ægris, quantumvis ſqualidis & horridis, ubi uſus fuerit, Chriſti amore libenter inſervias; atque eam ob rem noſocomia ſubinde inviſas, & languenti Chriſto in illis ſuis imaginibus, ſubſidij aliquid aut ſolatij, veluti ſi illum præſentem intuereris, quâ par eſt animi devotione ac religione impertias.

Cui perſvaſioni ac religioni in nobis confirmandæ, non rarò uſuveniſſe legimus, ut à viris ſanctis, non (ut ipſi ſecum reputabant) leproſus Chriſtum repræſentans, ſed leproſi ſpecie & habitu ipſemet Chriſtus exceptus ſit. Quò facit illud B. Ambroſij, libro primo de Abraham: *Qui ſcis an Deum ſuſcipias, cùm hoſpitem putas.* Et iſtud S. Auguſtini admonentis Chriſtianos, hoſpitalitatem ſtudiosè eſſe exercendam; *ne fortè* (inquit) *cui domum clauſeritis, cui humanitatem negaveritis, ipſe ſit Chriſtus.* Ut inde non abs re B. Angela, cùm die quadam ſanctioris hebdomadæ, hoſpitalem domum, leproſis inſervitura, conviſeret, adhortaretur ſodalem ſuam: *Eamus*, inquiens, *forſitan inveniemus Chriſtum inter illos pauperes ulceroſos.*

*cap. 5.*
*De 5. hæres. cap. 3.*
*Vit. c. 50.*

Sed quoniam de hoc argumento piè admodùm diſſerit S. Bonaventura, ipſius verba, licet pluſcula, juvabit adſcribere: *Indicabo* (inquit) *tibi, Sponſa, quem diligit anima tua. Certè in infirmaria jacet, ibi anguſtiatur, ibi dolore gravatur vel torquetur. Curre, & ſibi miniſtra, ſibique compatere infirmanti. Cur inſtas, Sponſa, quotidie, ut Sponſi oſculo oſculeris? Accede ad leproſum, & oſculare eum, quia ibi jacet. Cur Sponſa miſera, præ Sponſi amore languere te dicis; & ipſum quotidie nudum, diſcalceatum & afflictum ante te vides tranſire, & negligis, & etiam non compateris ei?* Et quibusdam

*P. 2. ſtim. cap. 7.*

busdam interjectis: *Non interrogemus eum* (inquit) *de cætero: ubi jaces, ubi cubas in meridie? Quia jam novimus locum: ſcimus enim eum in infirmaria* (ſeu in Noſocomio) *jacere. Non autem reſtat, niſi præſtare obſequium.* Sic ille.

Præmiſerat autem; ſibi quidem perſvaſum eſſe: eum qui hoc pacto ex Chriſti amore, Chriſto verbi cauſâ, in paupere ulceroſo laboranti curam ac ſolatium impendat, rem Deo acceptiorem, & majoris apud Deum pretij facturum, quàm ſi Chriſto ipſi in ſua perſona idem præſtet obſequij: quòd Chriſto quidem per ſe apparenti, & in leproſorum hoſpitali ſede jacenti, nemo futurus ſit Chriſtianorum, qui ſi vel tantillum pietatis habeat, ejúſque rei gnarus ſit, non ſummâ curâ ſummóque affectu inſerviat: at verò eidem, in pauperis perſona, ope noſtrâ operáque egenti, pari animi ſenſu, paríque diligentiâ adeſſe, non ſit niſi hominis virtute perfecti ac conſummati.

## §. 3.

### *Studium iſtud ad Chriſti Sponſas propriâ quadam ratione ſpectare.*

CÆterùm, cùm iſtæc Seraphici Doctoris adhortatio, ad eas præſertim videatur ſpectare Chriſti Sponſas, quæ mundi illecebris abdicatis, uni ſe Chriſto probare ſtudent, eóque Sponſo & amatore gloriantur: par erit illas attendere, quænam in re præſenti ſuæ partes ſint, aut quid hîc ab eis meritò expectari poſſit.

Hæ ſiquidem ſi dilecti ſui deſiderio & amore langueant, eúmque ſolicitè, non modò in lectulo, per quietem ſanctæ contemplationis, ſed etiam piæ actionis ſtudio, ut illa Sponſa de Canticis (quoad patietur ſuſceptæ vitæ ratio) civitatem circumeuntes, per vicos & plateas inquirant, eum certè, cùm volent, non difficulter invenire poterunt. Ecce enim eſurit, ſitit, nudus eſt, alget in iſto paupere: ecce in

in iſto ægro infirmus eſt, in iſto leproſo ulceroſus. Fruſtra enim quæris, cui jam in ſeipſo officia humanitatis exhibeas: pridem quippe rebus ac miſerijs noſtris exemptus, declinavit & tranſijt, aſſimilatus capreæ hinnulóque cervorum, ſuper montes aromatum. Ne tamen omninò ſe tuis obſequijs ſubtraheret; en iſtos reliquit veluti ſui Vicarios, per quos iſtæc à te pietatis officia ſuſcipiat, & in quos quidquid benignitatis contuleris, id ſibi præſtitum atque impenſum interpretetur. *Quàmdiu* enim (inquit) *feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* *Matt. 25.*

Atque illæ (ſi me, imò ſi Seraphicum Doctorem, audiant) rem profectò ſe dignam, & Sponſo ſuo acceptiſſimam facient, ſi de ſanctarum Catharinæ Senenſis, Svecicæ, Genuenſis, & aliarum Chriſti Sponſarum imitatione (nec verò hodie exempla deſunt, etiam Virginum, Matronarúmque Illuſtrium) Noſocomia & Leprocomia ex intervallo viſant, ibíque jacentia Chriſti membra, non ſermone tantùm aut erogatâ ſtipe, ſed pio etiam labore, & obſequio impenſo ſolentur; eóque Chriſtianæ pietatis ſpectaculo, non homines modò, ſed ipſum præſertim dilectum, ſub miſerorum illorum perſona latentem, & quaſi ex occulto proſpectantem, oblectent.

Neque id officij ab eo ſexu alienum exiſtimabit; qui, præter alia exempla ſubſequentium temporum, nominatímque Placillæ Auguſtæ præclara eo in genere facinora, attenderit à Tertulliano commendari matronas Chriſtianas, quæ etiam vigente perſecutione ſolebant, *viſitandorum fratrum gratiâ, vicatim aliena & quidem pauperiora quæque tuguria circuire.* Tametſi in omnibus honeſti atque decori habenda ratio eſt, & zelus quandoque ardentior, prudentis directoris conſilio temperandus. *Theodoret. l. 5. hiſt. cap. 18.* *lib. 2. ad uxor. cap. 4. De cult. fœmin. c. 11.*

Equidem, ut ſenſum meum S. Bonaventuræ menti ſubjungam; non dubitem opus ejuſmodi, plerumque Deo acceptius,

ceptius, & ad ſpiritualem animæ profectum ex genere ſuo conducibilius eſſe; quàm ſi, pio quidem, ſed non adeò heroico labore, aut ſacris altaribus velandis, auro pallia gemmíſque intertexant, aut ijs ornandis, ſeu de nativis roſis atque violis corollas, ſeu de ſerico depexo flores, etiam hyeme duraturos, proximè ad veritatem conficiant, aut ipſi etiam diviniſsimo Chriſti corpori, in Miſſæ Sacrificio, reclinando, mundas ſindones adaptent: in quibus plerumque, non illa robuſta amoris vis, ſed mollior ineſt & ſatis delicata devotio.

Quam in ſententiam quando conſpirantes habemus complures Patres; placet in hunc locum duos dùntaxat adducere, ei rei firmiùs ſtabiliendæ,& aliquãdo concludendæ.

Igitur S.Hieronymus,Demetriadem Romanam Virginem, præſtantem genere atque opibus, & Chriſto recens conſecratam informans, ei inter cætera ſic præcipit, & perquam appoſitè in rem præſentem: *Alij ædificent Eccleſias, veſtiant parietes marmorum cruſtis, columnarum moles advehant, corúmque deaurent capita, pretioſum ornatum non ſentientia, ebore argentóque valvas, & gemmis aurata diſtinguant altaria: non reprehendo, non abnuo. Vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundet: meliúſque eſt hoc facere, quàm opibus incubare. Sed aliud tibi propoſitum eſt: Chriſtum veſtire in pauperibus, viſitare in languentibus, paſcere in eſurientibus, ſuſcipere in his qui tecto indigent, & maximè in domeſticis fidei: Virginum alere monaſteria, ſervorum Dei & pauperum ſpiritu habere curam, qui diebus & noctibus ſerviunt Domino tuo, qui in terra poſiti imitantur Angelorum converſationem, & nihil aliud loquuntur, niſi quod ad laudes Dei pertinet.* Sic S. Hieronymus. *Ep. 8. c. 7.*

At S. Joannes Chryſoſtomus etiam exaggeratiùs & inculcatiùs idem commendat, eadem ſententiâ, totidem ferè verbis, tribus in homilijs repetitâ: quo vel ſic oſtenderet, quan-

quantum ea in re momentum ineſſe crederet. Ita autem loquitur: *Vis corpus Chriſti honorare? Ne nudum eum deſpicias: nec eum hîc quidem* (nimirum in Eccleſia ſeu altari) *ſericis honores veſtibus; extra verò* (hoc eſt, in pauperibus) *gelu & nuditate pereuntem contemnens. Qui namque dixit: Hoc eſt corpus meum; & verbum facto confirmavit; hic & dixit: Eſurientem me vidiſtis, & non paviſtis me.* Et poſt pauca: *Quænam utilitas eſt, cùm ipſi menſa* (hoc eſt, altare) *ſit aureis calicibus plena, ipſe verò fame diſpereat? Ipſum ſatura prius eſurientem, & tunc ex abundantia ipſius quoque menſam orna.* Et quibusdam rurſum interpoſitis: *Hoc & in Chriſto cogita, cùm vagus & peregrinus, indigens tecti circumeat; tu verò prætermittens eum ſuſcipere, pavimentum pariter ornas* (Eccleſiæ ſcilicet) *& columnarum capita; & argenteas quidem catenas ad lucernas ſuſpendis; ipſum autem in carcere vinctum ne vis quidem viſere. Et hæc dico* (inquit) *non prohibens illa etiam ſtudioſè fieri; ſed ſuadens cum illis & ante illa miſericordiam exhiberi.*

*Hom. 51. in Matt. 60 ad pop. Antioch. &c.*

Confirmat autem dictum ſuum varijs ſubindicatis rationibus: ut, quòd ei qui honorandus ſit, jucundiſſimus is honor accidat quem ipſe ſibi cupiat deferri: Chriſtus autem præſertim ſe honorari velit in paupere. Deinde, quòd nemo ob prætermiſſum exquiſitiorem templorum ornatum reprehenſus ſit: puniendus autem ſit ſanè graviter, qui Chriſti curam in pauperibus neglexit. Denique, quòd iſtic major ſit gloriolæ & vanæ oſtentationis ſuſpicio: hic verò ſimplicior ac ſincerior beneficentiæ ratio.

# CAPUT IX.

## *Ex rerum creatarum aſpectu, in paſsionis Chriſti memoriam venire.*

## §. I.

### *In natura rerum complura paſſionis Dominicæ veſtigia reperiri.*

MUlta ſunt in natura rerum, quæ paſſionis Dominicæ ſpeciem & imaginem quandam ſenſibus intuentium ingerant, piáſque mentes ad eam recolendam exſuſcitare poſſint. Ut enim omittam, eorum pleraque quæ in uſus noſtros ac ſenſus paſſim incurrunt crucis in ſe figuram præferre; uti S. Juſtinus, Tertullianus, aliíque Patres adverſus Gentiles diſputant; tametſi in uſus quotidianos ita veniant, ut abſque animi reflexione uſurpentur: quædam ſunt alia, naturæ dicam miracula, an luſus divinæ Sapientiæ? quæ & raritate & novitate ſuâ, & inſignioribus paſſionis Dominicæ notis, ſpectantium animos magis rapiant, & ſive in divinæ ſapientiæ admiratione, ſive in ſuavi paſsionis Christi memoria ac contemplatione potentiùs detineant.

Ubi in primis occurrit animo, planta illa ſupra modum mirabilis, quam Hiſpani Granadillum vocant, in Peruano regno aliiſque circum nonnullis Provincijs naſcens; cujus paſſim figura circumfertur: in cujus nimirum flore ac fructu, velut exſculpta cernuntur, columna, clavi, corona ſpinea, & omnis propè Dominicæ paſſionis apparatus. Ut videri poſſit illis populis, naturale iſtud paſſionum Chriſti ſimulacrum, autoris naturæ benignâ quadam atque ſuavi providentiâ, ad ejus myſterij firmandam fidem alendámque memoriam, ſingulariter eſſe conceſſum.

*l. 2. de cruce, cap. 6.* Additque hæc referens Jacobus Boſius; accepiſſe ſe à fide dignis, eodem in regno fructum exiſtere, in cujus diſſecti medulla, non crucis tantùm ſignum aliquod, ſed etiam Crucifixi imago, expreſſa cernatur.

Sed & memoratu dignum videtur, illud cancrorum genus, quod in Sinico mari inventum eſt: in quorum dor-

ſo purpuraſcente, videre eſt inſignem & candidis notis pulchrè expreſſam crucem, cámque triumphali ſpecie: quippe crucis ſtipite, velut è gleba quadam, enaſcente & decorè ſurrecto; utrimque autem ad crucis latera vexillis duobus ex ipſo crucis pede ſubnaſcentibus; quali formâ in ſignum victoriæ, Chriſto de morte triumphanti vexillum in manum dari ſolet à pictoribus noſtris. Quam etiam rem attentiùs inſpectam, nobis affirmant qui à Sinis revenêre Patres, non exiguum momentum ad quorundam ad Chriſtum converſionem attuliſſe.

At hoc quod jam dicam, haud equidē ſcio, naturæ miraculo, an ſuperiori ac divinæ virtuti adſcribendum putem: Ad B. Virginis Bivonenſis ædem in Sicilia, jam olim oleum ſcaturire odore cœleſti, eáque inſuper proprietate, ut illius guttæ, quocunque tandem modo decidant, non (uti aſſolet) in orbem ſe colligant aut diffundant, ſed ſeſe ſemper in crucis figuram diducant: uti etiam haud pridem literis inde miſſis confirmatum eſt.

Illud etiam mirabile, in marmoribus diſſectis extitiſſe aliquando, non quædam duntaxat paſſionis Dominicæ inſignia, ſed integram etiam Chriſti crucifixi effigiem, nativis inibi coloribus efformatam: qualem unam aliquam aiunt Venetijs in ædibus S. Georgij monſtrari.

Extant denique ſæpiùs in gemmis aliíſque lapillis naturaliter, quædam Domini noſtri cruciatuum monimenta: cujus rei ſpecimen aliquod profertur in vita B. Aloyſij Gonzagæ. Siquidem is etiamnum puer, dum ab Italia in Hiſpaniam cum matre navigat, inter marinos ſcopulos lapillum offendit, certis diſtinctum notis, quæ Chriſti plagas referre viderentur. Quo ille invento mire lætus, idque divinitùs ſibi oblatum interpretans, quò certiùs intelligeret, vitam ſibi Jesu Chriſto conformem & cruciatuum ejus affinem, eſſe ſuſcipiendam; confeſtim ad matrem converſus: *En*

L. 1. Vit. cap. 17. *Domina* (inquit) *quod mihi Deus obtulit: & tamen Pater adhuc me vetabit Religioſum fieri?* Ita mens bona in ſuccum ſuum vertit omnia, & (quæ amantium eſt indoles) de minimis etiam veſtigijs, divinæ ſuper ſe ſapientiæ conſilia, & quaſi voces Dei ſe vocantis, venatur.

In epitom. c. 8. §. 1. Addere libet, quod his pridem ſcriptis legere contigit, apud religioſum oculatúmque teſtem Joannem Gonzalez Hiſpanum ex Ordine S. Auguſtini: quod nempe juxta Monaſterium S. Catharinæ de Badaija ejusdem Ordinis, in ipſo colle lapilli legantur, perfectam cordis figuram habentes, impreſſis notis quinque decuſſatim implexis, Chriſti vulnerum formam referentibus, & S. Catharinæ rotam exprimentibus: cujusmodi quosdam ſe quoque ibidem vidiſſe & collegiſſe teſtatur.

Nonnulla his affinia, aut etiam mirabiliora, videri poſſunt apud Joannem Nider in Formicario l. 4. c. 6.

## §. 2.

### *Amantem animam omnibus propemodum in rebus dilecti paſſionem agnoſcere.*

VErùm iſta quoque, ijs quas dixi rebus, inſcripta paſſionis Chriſti monumenta, etſi magnam per ſe vim habent, ad id tamen quod iſto capite exequendum ſuſcepi, minùs faciunt: quippe quæ extra uſum communem poſita, & certis duntaxat contenta locis, utilitatem ac fructum non ita latè patentem habeant.

In primis igitur id adjungimus: Chriſtum Dominum vehementer amanti, & in ejus amaris doloribus commeditandis exercitato, non fore admodum difficile, omnibus propemodum in rebus paſſionis ejus argumenta aliqua recognoſcere, iisque conſpectis revocare animum ad piam dilecti pro ipſis paſſi recordationem.

Ut enim profanus amator, non modò ad imaginis aſpectum quæ dilectæ formam referat, verùm rei cujusvis, quæ ullo modo ad eam pertineat, aut ab ea profecta ſit, unius inquam etiam capilli, tæniolæ, floris, aut reculæ alterius ejusmodi, conſideratione, quam ut favoris notam ab amata acceperit, inardeſcere ſolet; ſuisque impuris ignibus, pabulum undelibet invenit: ita in his flammis ardoribúsque ſanctioribus, Chriſtum diligenti, res omnis, quæ quomodocunque reſpectum ad illum habeat, facilè offert dilecti memoriam; & cùm in omnibus eum quærat, fit quoque ut illum in omnibus invenire videatur.

Itaque de B. Jacobo Tudertino (quem Jacoponum vulgò dicimus) proditum accepimus: cùm ardenti quodam Jesu Chriſti amore æſtuaret, eúmque ſemper in corde, ſemper præ oculis mentis haberet, quandoque obviarum arborum unam aliquam eſſe complexum, & quaſi ſi ulnis Chriſtum ſtringeret, inter amplexus exclamâſſe: *O dulcis IESU! ò ſuavis IESU! ó IESU amantiſſime!* Quemadmodum jam antè obſervârat S. Bonaventura; poſt ſanctas lacrymas, aut paſſionis Chriſti attentam conſiderationem, homini Deum amanti ita ſubinde efferri cor & efferveſcere; *ut præ exultatione nimia, ad modum ebrÿ præcipitanter gradiatur, quietem non ſuſtinens; & creaturas quas invenit, ſui Creatoris amoris magnitudine, amplexetur.*

*Rader. in Vit.*

*P. 3. Stim. cap. 6.*

Nec abſimile multùm quod de B. Catharina Genuenſi legimus: eam cùm aſſiduo dilecti amore langueret, atque ardoris vim depaſcentis intima ferre non poſſet, quò ei nonnullum velut laxamentum quæreret, in hortulo ſubinde deambulare ſolitam, & cum ipſis plantis arboribúsve, ac ſi æſtus ſuos intelligerent, ſermocinari: *Et nonne vos*, inquiebat, *Dei mei partus & genus eſtis? nonne ejus imperia ac nutus etiam ſentitis; & ubi de vobis quidpiam ille poſtulaverit, ſummâ obſervantiâ atque alacritate paretis?* Ita illa in rebus omni-

*Vit. c. 27.*

mnibus, non tam quid eſſent, quàm à quo eſſent, intuebatur. Quo modo etiam S. Franciſcus, creatas res omnes, nec rationis modò, ſed etiam ſensûs expertes, ut Solem, Lunam, elementa, fratrum ac ſororum nominibus compellabat; agnoſcens in ijs communem omnium parentem Deum;
*cap. 38.* qui, ut dicitur in libro Job, eſt pluviæ Pater, & genuit ſtillas roris; & de cujus utero egreſſa eſt glacies, &c.

Itaque propiùs ad rem noſtram; quemadmodum idem vir ſanctus, quod ſuperiùs obſervavimus, in quovis agnello aut vermiculo Chriſtum pro ſe paſſum, contritum, immolatum intuebatur, eóque aſpectu concitabatur ad ejus dolores commiſerandos, atque lugendos: ita ſolers & piè in Crucifixum affectus animus, in rebus alijs ejusmodi, non difficile inveniet ſimilem aliquam paſſionis Chriſti recogi-
*Prol. 1. arb. Vit.* tandæ materiam. Velut de ſe ſcribit Vbertinus de Caſali: didiciſſe nimirum, tum fratris Joannis Olivi (quem Seraphicæ Sapientiæ Doctorem appellat) tum maximè Jesu interiùs docentis, magiſterio; in omni aſpectu cujuscunque creatæ naturæ, quaſi ubique intueri dilectum, & ſeipſum ſemper ſentire cum Jesu mente & corpore crucifixum.

*Ann. 1213. n. 37.* Idem S. Franciſcus (teſte Luca Wadingo in Annalibus) ad aſpectum petrarum fiſſarum in monte Alverniæ vulnerabatur animo; memor videlicet mortis Unigeniti Dei; quam conſciæ rupes, & ipſo tanquam dolore ruptæ, hodiéque teſtarentur.

*In epiſt. de S. Cathar.* De S. Catharina Senenſi ſcribit B. Stephanus Carthuſianus, qui priusquam id inſtitutum ſuſciperet, cum ſancta Virgine diu familiariter verſatus eſt: eam, cùm in rebus univerſis Deum quæreret inveniretque, florum tamen contemplatione in primis teneri, atque inde ad Deum aſcendere ſolitam: auditámque à ſe teſtatur, cùm, ad floridi prati occurſum, ad comites diceret: *Num animadvertitis, quemadmodum res univerſæ conditorem ſuum commendant ac prædicant?*

*dicant? Me ſanè flores hi purpurei apertè commonent plagarum Salvatoris mei.* Floris roſæ aſpectu compungebatur S. Baſilius; prout ipſemet ſcribit homiliâ de Paradiſo: *Florida quidem eſt roſa,* inquit; *ſed mihi triſtitiam infligit. Quoties florem hunc video, peccati mei admoneor, propter quod terra, ut ſpinas & tribulos proferret, condemnata eſt.* Potuit is ipſe, poteſt & quilibet vir pius, roſarum quoque aut veprium ac tribulorum aſpectu, admoneri ſpinarum, quibus Domini vertex fœdè compunctus & laceratus eſt; eadémq; arte plerisque alijs in rebus Dominicæ paſſionis notas & quaſi veſtigia deprehendere: præſertim adjunctà, eâ quam ſubijcio, conſideratione.

## §. 3.

### *Ad eundem finem quædam latè patens, ſed magis arcana, conſideratio.*

VErùm ſubtiliùs conſideranti, offert ſe quædam latiſsimè patens, ſed magis arcana & recondita ratio; quâ rerum omnium quæ nos circumſtant, vel quas ad vitæ neceſsitatem ac cultum adhibemus, aſpectu atque uſu, non admodum difficili negotio, paſsionis ac mortis Salvatoris noſtri admoneamur: ſi nimirum eas non ſecundùm externam ſpeciem, quam ſenſibus noſtris ingerunt, aſpicere; ſed ut quædam tormentorum ac necis ejusdem Salvatoris inſtrumenta, intueri condiſcamus.

Nam, præterquam quòd pleræque omnes, ſive vi ſuâ naturali, ſive carnificum malignitate ad Chriſti cruciatus amplificandos reipsâ convenère (uti deprehendet, qui res omnes quæ in univerſo ſunt, ad ipſam cruciamentorum Chriſti multitudinem ac varietatem comparare inſtituerit) nulla ferè res eſt earum quæ in ſenſus noſtros & uſus cadunt, quæ non aliquâ ratione ſceleribus noſtris argumentum ac materiam, adeóque & mortis Chriſti cauſam, non præbuerit,

Atque uti res creatæ omnes, quibus humana malitia ad earum Conditoris offenſam violenter abutitur, quædam quaſi tela ſunt, quibus illa pugnat atque rebellat contra Deum (ſecundùm quod etiam Apoſtolus, membra peccantium arma iniquitatis appellat) eáque propter & ipſe Creator, quò hoſtes ſuos ſuis ipſorum armis conficiat, in die vindictæ *armabit creaturam ad ultionem inimicorum*, ut in libro Sapientiæ dicitur: ita eædem res ad Chriſtum Dominum comparatæ, non abſurdè conſiderabuntur tanquam inſtrumenta furoris noſtri, quo ipſum inſanè in crucem egimus atque occidimus.

*Rom. 6.*

*Sap. 5.*

Et quanquam hæc ratio, magis ex vero ipſis peccatis noſtris convenire videatur; quæ quatenus per ſe cauſam mortis Chriſti attulère, illa utique parricidialia tela ſunt, quibus ille percuſſus & vulneratus occubuit: attamen, quando in allegoria verſamur, non improbandâ ratione, licebit ipſam ſcelerum noſtrorum catervam, magis ut lictorum & carnificum turbam attendere, quorum manibus Salvator ad mortem ductus & patibulo ſuffixus ſit; in hanc etiam mentem ducente nos divinâ Scripturâ Iſaiæ cap: 53. ubi verſu 6. ita legimus ex ſeptuaginta interpretum verſione: *Dominus tradidit eum* (nempe Chriſtum) *iniquitatibus noſtris;* & verſu 8. *Ab iniquitatibus populi mei ductus eſt ad mortem;* utique tanquam à lictoribus & tortoribus. Ipſas autem res, quæ ſceleribus noſtris cauſam aut materiam præbuêre, tanquam inſtrumenta ſpectabimus, quibus veluti in manus ſumptis humana malitia (proinde ac illi corporei & aſpectabiles tortores, flagellis, ſpinis, clavis, lanceâ, aliíſque hujusmodi) ad vulnera & necem Chriſto inferendam abuſa ſit.

Atque hunc in morem doctos & exercitatos oculos optabat olim S. Bonaventura, dum in quadam ad Chriſtum precatione, quam alio loco referemus integram, id ab eo con-

contendit inter cætera: *Vt quocunque me vertam* (inquit) *ſemper te videam crucifixum; quidquid aſpexero, in tuo ſanguine mihi appareat rubricatum.* Quæ quidem poſtrema de ſolis accepta hominibus, facilè in hunc ſenſum trahuntur, quaſi ſolùm velit (quod alibi quoque nobis præcipit) proximum ſemper à ſe aſpici, *ut Chriſti morte redemptum*, atque eo pacto *ut ſanguine Chriſti perfuſum.* At eadem ipſa ad cæteras quoque naturas omnes, prout vocum poſtulat amplitudo, translata, eum quem diximus intellectum habere poſſunt; ut nempe cupiat res omnes creatas, tanquam inſtrumenta divinæ necis ſibi verſari ob oculos, proindéque morali ratione veluti divino cruore intinctas & erubeſcentes apparere; quemadmodum crux, clavi, ſpinæ, flagella, & alia Chriſti paſſionis inſtrumenta phyſica, ipſo Chriſti ſanguine intincta & infecta fuère. Quanquam & alius ſenſus occurrit, neque à propoſito multùm abſcedens, & S. Doctoris verbis mentíque, ut exiſtimo, magis conſentiens: ut quemadmodum ij, qui colore aliquo adventitio, puta croceo aut purpureo, oculos imbutos habent, aut ſimili colore intinctis conſpicillis utuntur, omnia tanquam eodem colore aſperſa & affecta conſpiciunt; aut ſicut ille apud Poëtam amator, qui propterea quòd animum amore inflammatum haberet, pecus omne, & quidquid obverſaretur oculis, flammam eſſe arbitrabatur: cui ſimile quiddam, ſed diviniore ex cauſa, uſuveniſſe proditur B. Catharinæ Genuenſi: ita percupiat ſanctus hic Doctor, mentem adeò Chriſti ſanguine imbutam, & (ut ipſe loquitur) inebriatam, & tanquam coloratam habere; ut quidquid aſpexerit, eodem colore reſperſum, Chriſti inquam ſanguine rubefactum, appareat; & quocunque ſe vertat denique, nihil niſi notas divinæ paſſionis, & ipſum Chriſtum crucifixum aſpiciat.

*Ibid. c. 7.*

*Vit. c. 50. &c.*

Veruntamen ſenſus cogitationésve ejusmodi, quæ in re aſcetica ſubtilitatis aliquid habent, non cuivis ingenio

conveniunt. Neque verò ad eas violenter trahendus, aut in ijs invitè detinendus eſt animus, ſed ſuavi quadam inductione, ubi uſus fuerit, adducendus: quaſi ſubnaſcente, aut ultro ſubeunte animum, non intruſo, aut extrinſecus accerſito, affectu.

## §. 4.

### *Plures ejus artis ſeu exercitationis utilitates.*

CÆterùm qui animum ſuum ad artes ejusmodi ſuaviter, ac ſenſim condocefecerit; non exiguum ex ijs fructum, ſed egregias ſanè utilitates in vita ſpirituali, accipiet.

*Prima:* ut non facilè illaqueetur aut capiatur rerum corporearum blandâ ſpecie; ut qui non in ſolo exteriori earum cortice hærere conſveverit, ſed potiùs in eas introſpicere, & ad ea quæ in receſſu latent, profundiùs penetrare. Quò fit, ut ad rerum iſtarum ſenſibilium quotidianum occurſum, in quibus rebus alij præter res ipſas nihil videant, in ijsdem ille rationes quasdam intimè latentes aſpiciat: & modò ex ijs divinam bonitatem laudet, ſapientiam, potentiam; modò hominum deploret cæcitatem, qui his ipſis præclaris amantiſſimi Conditoris muneribus, ad ejus offenſionem abutantur: modò denique (quod quidem nunc agimus) ex ijs ad Chriſti commemorandam mortem aſſurgat; non aliter ac ſi, res easdem, paſſionis Dominicæ notis non obſcuris inſcriptas, intueretur.

Nam, ut qui memoriæ (quam vocant) artem obtinent, cùm certam rem ſub oculis poſitam, alicujus ſeu rei ſeu vocis imagine, ſolâ cogitatione inſcripſerint; ipſo loci ſic inſcripti aſpectu, confeſtim veniunt in rei vocisve ita imaginatæ memoriam: aut veluti qui novit literas, ijs ſolùm inſpectis, res etiam eas quæ ſignificantur cognoſcit; tametſi illarum vis & ſignificatio, neque viſu, neque ſenſu alio, ſed ſolâ mente & cogitatione teneatur: ita in re noſtra ſimi-

ſimile quiddam uſuvenire poteſt, ſiquis (ut dicebamus) ei arti paulùm aſſveverit, ejúsque rei ſibi naturam quodammodo fecerit.

*Secunda:* ut eas res quæ in uſus noſtros quotidianos veniunt, puta cibum, potum, & ejusmodi, tanquam inſtrumenta necis Domini, ipſiúsque velut ſanguine tincta conſiderans, non ijs abutatur ad voluptatem & laſciviam, ſed ad neceſſitatem duntaxat, nec ſinè pudore & verecundia utatur. Nam, ut hoc exemplo rem magis ob oculos ſtatuam, quo quæſo, non jam dicam pudore, ſed horrore affici oporteat eum filium, qui inter veſcendum uti compellatur eo cultello, & cruentis adhuc infecto notis, quo ille parentem amantiſſimum, per intemperias cæcúmve furorem interfecerit? Par igitur eſſet, nec ſinè operæ pretio, huic ſimilem mentem ad ea quæ noſtris ſenſibus lenocinantur adferre, & voluptatis illecebram eâ objectâ cogitatione retundere.

Miram hiſtoriam huic rei firmandæ refert Bzovíus in annalibus: Chriſtum Dominum aliquando formoſi juvenis ſpecie, cuidam puellæ perditæ (quò illam ad frugem meliorem vitámque ſanctiorem adduceret) videndum ſeſe atque excipiendum præbuiſſe: eóque jam ad menſam adhibito, cibos omnes quos manu contingeret, cruore infectos ſubitò apparuiſſe; tumque attonitæ rei miraculo fæminæ denunciaſſe Chriſtum; id ita factum quò intelligeret, non oportere Chriſtianum quicquam aut eſſe aut bibere, niſi Chriſti ſanguine intinctum: ad extremum cùm ſeſe Salvator in miſerabilem crucifixi formam vertiſſet, eo demum oſtento victam puellam, & ipſam ad Deum & meliora converſam eſſe. *Anno* 1221

*Tertia*: ut ſiquâ ſubinde tentatione pulſatus, ad earum rerum abuſum incitari ſe ſenſerit, reprimatur illâ familiari animi reflexione; has veluti voces, imò clamorem,

ipſarum rerum exaudiens: Túne rurſum nobis ad Dei filium convexandum, cædendum, crucifigendum abutare? Túne invitas ac reluctantes nos detorqueas, ad communis patris & procreatoris offenſam? Cave facias: alioqui tibi inimicas habiturus nos, ſcelerum tuorum, uti conſcias, ita & teſtes, imò & vindices, aliquando futuras. Quibus ille arcanis vocibus admonitus atque increpitus, reſiſtet fortaſſis in ipſo limine, & à Dei offenſa, & rerum abuſu, atque injuria abſtinebit. Et ſimiles ſanè naturæ rerum peccatori obſtrepentis voces intelligebat atque exaudiebat S. Bonaventura cùm diceret: *Clamant ſuo modo creaturæ & dicunt: Iſte eſt qui nobis abuſus eſt, qui nobis injuriam fecit, qui nos ad honorem Dei factas, in injuriam Dei, convertit.* Et poſtea: *Venite & diſperdamus eum, &c.*

*P. 1. ſtim. cap. 7.*

O quàm multa loquitur natura rerum, tametſi bruta & inanimis, *ſi cui ſileat* (ut Auguſtinus ait) *tumultus carnis*, & ipſius voci interiorem auditum admoveat, ac, Salvatoris phraſi, aures audiendi habeat! Quàm multa docet nos, ſiquis in intimum ejus auditorium pedem inferat, & non in ipſa duntaxat fronte rerum, aut tanquam Scholæ veſtibulo reſiſtat!

*l. 9. Conf. cap. 10.*

Verùm nos plerumque, comparati jumentis inſipientibus, in res iſtas impetu, & non ratione, ferimur; earúmque ſpecie aut ſuperficie decepti, magis quid eſſe videantur, quàm quid revera ſint, aut ad quid factæ, quid nos moneant, quid à nobis poſtulent, conſideramus. Ut jam, quod de Sole dixit nonnemo, id de reliquis quoque univerſi naturis, ipſóque adeò univerſo, verum ſit: ſpectatores habere multos, auditores paucos.

CA-

# CAPUT X.

## *Ægritudinibus noſtris ac doloribus, velut ſecreto atque intimo paſſionis Chriſti admonitore, uti.*

### §. I.

### *Morbos atque dolores noſtros, efficaces eſſe Chriſti dolorum admonitores.*

VEnio nunc ad magis efficacem paſſionis Chriſti admonitorem, neque jam aſcitum aut quæſitum extrinſecus, ſed nobiſmetipſis inditum atque intimum, morbos videlicet, ægritudines, dolores: quibus ſi ſolerter & ſapienter uti noverimus, pro quotidiano & familiari monitore eſſe poſſunt, quo facilè reducamur in memoriam cruciatuum Chriſti, eorúmque præſertim, quos ijsdem in membris ille paſſus ſit: quò etiam fiat, ut & malis noſtris non leve exinde captemus ſolatium, & multiplicem ex ijs fructum utilitatémque capiamus.

Videamus hoc quale ſit; & omnem iſtius exercitij rationem nonnullis exemplis confirmemus, Paſſionis Chriſti memoriam à nobis aſſiduè colendam, mentibúſque noſtris altè imprimendam atque infigendam eſſe; Dominicæ coronæ ſymbolo, cujus aculei ſacrum ejus verticem undique cinxerunt cerebrúmque profundè penetrârunt, non incongruè repræſentari videtur. Quamobrem S. Edmundi mater, cùm ei per quietem filius ſuus oblatus eſſet, coronam ſpineam habens in capite, quæ vehementer accenſa flammas ad ſidera vibrare videretur; rectè intellexit, ardentem illius in paſſionis Chriſti myſterijs aſſiduè recogitandis animi ſenſum atque affectum, eo oſtento portendi. *Vit. c 4.*

Neque defuêre qui eam ob cauſam, ad teſtandam inquam

*B. Magd. de Pazz. c. 4. Vita aucta. Pudent. Zagn. c. 17. Vit. Fern. Suarez: de la Concha S. I. &c.*

quam fovendámque intimis ſenſibus dolorum Chriſti memoriam, ſertum etiam corporeum, ex ſpinis contextum aculeatis, vertici ſuo imprimerent, aſſiduéque aut ſtatis temporibus, acrem ſcilicet atque efficacem Chriſti cruciatuum admonitorem, geſtarent.

Ad idem igitur valere poteſt, ſi quem acutus capitis dolor, ſi artuum dira lancinatio, ſi morbi cujusvis moleſtia gravis inceſſerit.

Hinc enim etiam eſt, quod quibusdam dilectis Chriſti Sponſis, ſpecialis favoris nomine, divinitus conceſſum accepimus; ut, exempli causâ capitis dolores experirentur acerbiſſimos, quò Sponſi ſui cruciatuum, eorúmque nominatim quos in capite perpeſſus eſſet, non memores modò, ſed etiam conſortes redderentur.

*l. 1. c. 16.* De Venerabili Maria Raggia refert ipſius vitæ ſcriptor: cùm aliquando ingentibus capitis doloribus punctionibúsque acutiſſimis vexaretur; divinâ voce, nocte quâdam admonitam, hos eſſe dolores ac punctiones, quos expertus eſſet ipſius Sponſus, cùm divino illius capiti corona ſpinea imprimeretur, ipſámque adeò non diſſimili ſerto ſub id temporis fuiſſe inſignitam. Quod tunc minimè obſcurum fuit, cùm poſtea à familiaribus in ambitu capitis ejus deprehenſus eſt cruentus circulus manifeſtis notis punctisq; ſanguineis deſcriptus. Aliáſque nonnullas ex eodem Ordine S. Dominici recenſet idem autor, ſimili favore atque honore à Sponſo dignatas. Quibus ex Ordine Ciſtercienſi adjungo Eliſabetham Spalbecanam, in cujus capite die quodam Paraſceves ejusmodi ſpinarum veluti punctiones deprehenſæ ſunt; itémque Idam Lovanienſem; de quibus noſter Bartholomæus Fiſen, in Floribus Eccleſiæ Leodienſis: *Vit. c. 17.* & è tertio Ordine S. Franciſci Pudentianam Zagnoniam, Bononienſem Virginem: uti traditur in ejus vita.

*In ejus Vita.* Mirabile item quod B. Ritæ de Caſſia ex Ordine S. Auguſti-

guſtini accidiſſe proditur. Huic enim aliquando ante Crucifixi ſignum precanti, atque à Sponſo ſuo enixè & cum lacrymis petenti, eam ut dignaretur pœnarum ſuarum facere participem, ſpina quædam de Crucifixi corona, media in fronte derepente infixa eſt; tantâ equidem vi támque profundè, ut relictum exinde vulnus, tanquam indelebilis paſſionis Chriſti character, ei per omnem vitam inhæſerit: quod hodiéque monſtratur in defunctæ corpore. Atque hoc ex vulnere cùm vermium vis aſſiduè ſcaturiret, indéque enatum fœtorem ſodales tolerare non poſſent, coacta eſt denique quodam in conclavi ſeorſum à cæteris incluſa, velut in deſerto, reliquam ætatem exigere: cujus ſolitudinis tædia perpetuâ cruciatuum dilecti ſui (quorum utique perfamiliari atque intimo monimento fruebatur) commentatione oblectabat, eorúmque proinde imaginibus cubiculi ſui parietes ornârat atque inſtruxerat. Porrò alia quædam his affinia ſubjungam paragrapho ſequenti.

## §. 2.

### *Familiaris uſus conſiderationis propoſitæ.*

Quòd ſi nondum fortaſſe tantum animi aut roboris nactus ſis, neque eousque in dilecti tui amore profeceris, ut ex conſortij paſsionum ejus deſiderio, monitores ſeu dolores ejusmodi vel ultro accerſas, vel à Deo tibi immitti poſtules: ijs ſaltem quos naturæ neceſsitas, aut quæcunque ſors tibi obtulerit, ad paſsionis Chriſti in te excitandam renovandámque memoriam ſolerter uti conſveſce, eáque propter tibi fortaſsis divino beneficio immiſſos eſſe, interpretare.

Quapropter ſi te, uti antea dicere cœpimus, exercebit lancinabitque ſævus capitis dolor; recordaberis cruciatuum divini verticis; & dices tecum: Deus bone! quanta, præ iſtis quæ patior, fuiſſe oportuit cruciamenta Domini

Jesu,

Jeſu, cùm ei ſacrum caput crudelibus illis ſpinarum aculeis introrſum adactis perfoſſum undique & profundè terebratum eſt!

Si febri æſtuas, aut alio quovis acuto dolore vexaris; veniat in mentem agoniæ Chriſti, ejúſque ſudoris ſanguinei; memento cruentæ flagellationis, & diræ illius diſtenſionis quâ delicata membra ejus in crucis equuleo diſtracta ſunt: atque ejuſmodi cogitatione acrem dolorum tuorum ſenſum acerbitatémque conſolare.

Jam ſi, verbi gratiâ, manus tibi aut pedes arthriticus dolor occupet; recordare vulnerum Salvatoris, atque clavorum quibus illi manus pedéſque confoſſi ſunt, cum incredibili doloris ſenſu & acri nervorum convulſione. Cùm & alioqui ſuprà memoratæ Mariæ Raggiæ, aliiſque nonnullis, pro beneficio datum fuerit divinitùs, ut his ipſis in locis dolores ſentirent acerbiſsimos, ad efficacem ſeu memoriam ſeu experientiam cruciatuum Salvatoris.

Similiter autem ſi latus doleat, aut aliqua punctio te lancinet; memento aperti Chriſti lateris, ejúſque doloris, quem Crucifixi viva effigies S. Franciſcus, itémque S. Franciſca Romana aliæque Chriſto dilectæ Sponſæ ex ſimili plaga ſibi divinitùs communicata perſensêre. Quò item ſpectat, quod refert Thomas Cantipratanus, de Virgine ſibi (l. 1. c. 25.) probè cognita; cui in latere ingens vulnus enatum ſit, ex perpetua ac vehementi paſsionis Chriſti meditatione. Et ita diſcurrendo per ſingula, non difficile erit bonæ menti, in quibusvis ſuis ægritudinibus, & Chriſti paſsionum monimentum, & dolorum illius conſortium, & pietatis ſenſum, & acerbitatis lenimentum aliquod invenire.

Sed quod ad lateris dolorem ſpectat, juvat huic capiti concludendo attexere prodigium illud, quod in Philippa Geldra religioſiſsima Vidua deprehenſum legimus in Vita ejus extrema: quæ Antonio Lotharingiæ Duci primùm nupta,

nupta, poſtmodum S. Claræ Ordini adſcripta, in eo ſanctè vixit atque obijt.

Ea ſeptennio priusquam decederet, qualibet ſextâ feriâ recurrente, acerbiſſimis viſcerum punctionibus lancinabatur; occultâ tum quidem cauſâ. Et Deum illa diu multúmque rogaverat, ſibi dari quidpiam, quo monente, memoriâ memor eſſet, & tabeſceret animo ſuper morte Vnigeniti. Ab ejus obitu diſſecto corpore, repertus in ejus latere dextro lapis candidus atque elegans, ſemipalmari longitudine, in quatuor diviſus areolas ſeu cellulas, quales in apum favis intuemur, in quibus totidem minores lapilli conſpiciebantur: at in lapidis confracti medio, lapis alius apparuit nigro colore, tanquam gemma in annulo incluſa. Porrò, quod præſertim huc pertinet, ex eodem lapide binæ prominebant præacutæ cuſpides, quarum aculeis à feriæ 5. veſpera uſque ad Sabbatum, ſtatâ conſtantique lege commotis, ſævi illi exiſtebant inteſtinorum cruciatus: ſtupentibus ad rem non ſolùm inviſam, ſed etiam inauditam medicis, & in ea quiddam naturâ majus agnoſcentibus.

Atque in exemplis præſenti capite propoſitis, obiter vides, optime Lector; quàm diſſimiles ſint conſvetis votis mortalium, divinæ blanditiæ: & quas velut ſtrenas amorisve pignora de Chriſto Sponſo expetere ſoleant dilectæ Sponſæ, aut ille etiam ſubinde non petentibus, ſingularis gratiæ ac muneris vice, largiri: de quo plura alibi, cùm patientiæ documenta trademus.

# CAPVT XI.

## *Memoriam ac cultum paſſionis Chriſti, certis officijs aut precibus celebrandum eſſe.*

§. 1.

*Officium de Cruce aut Paſſione Domini, ſtatis temporibus religioſè recitare.*

HUjus Officij plures invenio formulas. Nam in primis in vulgaribus libellis precationum Pij V. permiſſu editarum circumfertur Officium de Cruce, ſubjunctum Officio parvo B. Virginis: cujus quidem autorem S. Bonaventuram facere videtur Octavianus de Magiſtris, in oratione de ejus rebus geſtis coram Sixto IV. habitâ: dum ita loquitur: *Contemplatione S. Ludovici Regis Franciæ, Officium de Cruce devotiſſimum edidit; quod ab Eccleſia nullo immutato receptum, in ea ſolemnitate ubique legitur.* Videntúrque ſanè hymnorũ rhythmi Seraphici Doctoris pietatem ac ſpiritum redolere: quanquam inter ipſius opuſcula, non hoc, ſed aliud (ut dicam) Dominicæ Paſſionis Officium, ab eo compoſitum referatur; nec ſatis conijciam, quam Crucis ſolennitatem innuere velit Octavianus, in qua id officij ubique in Eccleſia recitetur.

*P. 3. Opuſc. edit. à Wading.* Deinde inter opuſcula Seraphici Patris S. Franciſci, extat Officium Dominicæ Paſſionis ab eo compoſitum, conſtans ſolis ferè Pſalmis Davidicis, ſed pro temporis feſtorúmve Chriſti diverſitate, nonnihil variandis. Quod fortè illud eſt Officium Crucis, quod à S. Franciſco didiciſſe, ac frequentâſſe B. Claram, in hujus vita fertur his verbis:
*Cap. 20.* *Ut autem Crucifixi delicijs abſque intermiſſione paſceret mentem, orationem de quinque plagis Domini frequentiùs ruminabat; Officium Crucis, prout crucis amator Franciſcus inſtituerat, didicit, & affectu conſimili frequentavit.*

Nec ſcio ſatis, iſtúdne Crucis Officium, an potiùs vulgatum illud, quod in gratiam S. Ludovici Regis S. Bonaventura compoſuerit, familiare haberet alter S. Ludovicus prioris nepos, ex S. Franciſci Ordine: quem utique ab ado-

adoleſcentia legimus, Officium Dominicæ Paſſionis expanſis brachijs recitare conſveſſe.

Rurſum, ut dicebamus, parte 2. opuſculorum Seraphici Doctoris, aliud extat Officium de Paſſione Dominica, conſtans hymnis, pſalmis, lectionibus, &c. ab eo tum S. Franciſci, tum quod ab Eccleſia proponitur, longè diversũ.

Atque iſti affine quoddam Officium invenio in Theſauro ſacro P. Thomæ Sallij è Societate noſtra, parte 2. quod cum illo S. Bonaventuræ conferenti, apparebit ad illius imitationem eſſe compoſitum, imò partim ex illo deſumptum; cùm ferè ijſdem conſtet hymnis & orationibus; alijs tamen pſalmis ac lectionibus, prout opportunum viſum eſt, ſubſtitutis; nonnullis etiam minutioribus partim adjectis, partim detractis.

Poſtremò dicitur etiam Alexander Cardinalis Vrſinus preces quaſdam Horarias de Paſſione Domini compoſuiſſe, ac quotidie recitâſſe. Quæ quales fuerint, adhuc deprehendere non potui. Extant porrò, & legentur utiliter, Horæ Paſſionis Dominicæ à R. P. Leonardo Leſſio auctæ & recitari ſolitæ.

## §. 2.

### *In honorem Dominicæ Paſſionis, coronam (quam vocant) Domini noſtri percurrere.*

PLures ſunt iſtius modi coronæ, à pijs Crucifixi amatoribus, ad renovandam honorandámque patientis Jesu memoriam, excogitatæ: quarum aliquas hoc loco ponam, gratiâ exempli:

*Prima* eſt corona Domini Jesu, ad exemplar coronæ Virgineæ, orationibus Dominicis triginta tribus, & quinq; Angelicis ſalutationibus conſtans. Quam in memoriam triginta trium ſpinarum, quæ Redemptoris noſtri caput præcipuè lancinaverint, ante annos centum circiter &

quinquaginta excogitâſſe traditur B. Michaël Florentinus ex Ordine Camaldulenſi. Poſſúntque ad ſingulos iſtius coronæ calculos, ſive varia vitæ ac paſsionis Chriſti myſteria, ſive propriè totidem dolores aut cruciatus Salvatoris adaptari; uti videre eſt in tractatu hac ipſa de re Italicè edito à D. Franciſco Pifferi ejusdem Ordinis monacho; qui etiam ibidem oſtendit, Indulgentias varias à diverſis Pontificibus, eandem coronam recitantibus eſſe conceſſas.

Et ſimilis coronæ triginta trium orationum Dominicarum, cum triginta tribus Angelicis ſalutationibus, in honorem totidem annorum quibus inter nos Chriſtus vixerit, à quodam religioſo Patre Ordinis Minorum inſtitutæ, itémque à Leone X. cum alijs quibusdam ejusdem modi commendatæ, atque Indulgentijs donatæ, meminit Emmanuel Rodriquez in ſuo Regularium Bullario.

*Bull. Leonis 36.*

*Secunda* ſit ea, quæ dicitur corona ſacrorum V. vulnerum Chriſti Jesu, ex quinque compacta calculorum ſeu globulorum ordinibus, in quorum ſingulis quinquies oratio Dominica, & ſemel Angelica ſalutatio recitatur; atque in Dominicis orationibus, conſiderantur acerbiſſimi cruciatus Jesu Chriſti; in Angelica Mariæ dolores perpenduntur; ac denique poſt ſeriem quamlibet *Gloria Patri*, & brevis illa ex Mariano Planctu precatiuncula adjungitur: *Sancta Mater iſtud agas, Crucifixi fige plagas, Cordi meo validè.* Porrò primam dictarum precationum ſeriem, convenit plagæ ſiniſtri pedis addicere; ſecundam, plagæ dextri pedis, & ita de reliquis; atque inter precandum, è plagis ſingulis donum aliquod cœleſte haurire; puta ad plagam pedis ſiniſtri, peccatorum remiſſionem petendo; ad plagam dextri, robur adverſus tentationes; ad manum ſiniſtram, liberationem ab inferorum ſupplicijs; ad dextram, adeptionem gloriæ cœleſtis; ad plagam lateris, purum ac ſincerum amorem. aut certè in ſingulis variarum virtu-

Digitized by Google

virtutum diverſos actus exercendo; ex ea formula quam ſuggerit Maximilianus Sandæus noſter in libello, cui titulus: *Societas JESU amatrix Crucifixi*; exemplo 159.

Atque iſti ferè ſimilis eſt, alia quædam ejuſdem coronæ recitandæ formula, illud ſpecialiter adijciens: quòd quinque calculos majuſculos, in quinque Chriſti membrorum convulneratorum (pedum ſcilicet, manuum, & cordis) ſimilitudinem efformatos, habeat; aut eorum loco quinque conſtet ſacris numiſmatis eorundem membrorum effigie inſignitis: adjectô inſuper ſub cruce (quæ totius coronæ apex eſt) alio calculo in Dominicæ lanceæ ſimilitudinem; & tribus calculis minoribus inter lanceæ, & divini cordis (à quo ipſe oritur coronæ ambitus) effigies interjectis. Cujus coronæ uſum ſpeciatim explicat pius libellus hac ipsâ de re anno 1612. Romæ editus: in quo variæ ponuntur conſiderationes affectúſque ad id perutiles, & ad ſingulos calculorum ordines ritè percurrendos accommodati. Quo item argumento alius extat libellus, pijs itidem atque eruditis inſtructus conſiderationibus, à R. P. Guilielmo de Wael Societatis noſtræ recentiùs editus.

Verùm hujus coronæ religionem, pro ardenti ſuo in Chriſtum paſſum affectu, mirificè promovit ac propagavit, ſanctæ memoriæ P. Vincentius Caraffa, Societatis Jesu Generalis; prout apparet ex ejus vita. In qua etiam traditur, Paulum V. Pont: Max: ejuſmodi coronam ſibi oblatam valde probâſſe, & de cingulo appenſam religiosè prætuliſſe. *l. 2. c. 14.*

Denique ad calcem vitæ P. Laurentij Bartilij ex eadem Societate proponitur & iſte modus coronam de quinque Chriſti Domini vulneribus recitandi, ab eodem Patre excogitatus & uſurpatus.

Ante omnia præmittitur brevis iſta precatio: *Salvator mundi ſalva nos, qui per crucem, &c.* ſequitur deinde ſalutatio plagæ pedis ſiniſtri, aptis quibuſdam rhythmis concepta:

cepta: in cujus deinde plagæ honorem quinquies Pater & Ave recitatur; adijcitúrque tandem hæc oratio: *Per plagam ſiniſtri tui pedis crudeliſſimam, da mihi, Domine IESU, tuam imitari humilitatem.* Similique modo proceditur ad plagas reliquas; niſi quòd ad plagam pedis dextri patientia petitur; ad plagam manûs ſiniſtræ, obedientia; dextræ, perfectiſsima charitas; lateris, caſtitas & in bono perſeverantia.

Verùm ad exemplum, uti dicebat, & ſpecimen iſta ſufficiant. Alioqui enim poſſunt in dies, ejusmodi piarum artium plures adinveniri, & cum grata Chriſti pro nobis paſſi recordatione, nec ſine fructu & ſolatio uſurpari.

# CAPUT XII.

## *Iuverit etiam, eandem paſſionis Chriſti memoriam quotidianâ commentatione, aut pio ſermone, confovere.*

### §. I.

### *Quotidie partem aliquam temporis recogitandæ Dominicæ paſſioni aſſignare.*

IN primis igitur ſtudebit amator Crucifixi; quotidie partem aliquam temporis de alijs occupationibus demere, & tanquam ſeponere; quæ in piam aliquam de paſsione Chriſti meditationem inſumatur.

Nam ſi, ut etiam primâ parte meminimus, nullum temporis momentum eſt, quo non aliquem paſſionis Dominicæ fructum capimus: grande aliquid videri non debet, ſi ſummo illi atque perenni Dei beneficio recogitando & quaſi reguſtando, vel exiguam temporis particulam, de ſolido die decerptam, demus. Præſertim cùm inde multa

existat

Digitized by Google

exiſtat animis noſtris utilitas; ſolatium in tribulationibus, robur in adverſis, ſtimulus ad virtutis ſtudia, & ante omnia, potens præſidium ad vitanda peccata, & diem ipſum abſque noxa graviore tranſigendum.

Ut proinde res ſit dignisſima, quæ non ab ijs tantùm qui ex ſuſceptæ vitæ ratione peculiarem divini Numinis, atque honeſti cultum profiteantur, ſed ab ijs etiam qui communem in ſæculo vitam degant, ſi fieri poſsit, in uſum morémque traducatur.

Audiatur hîc S. Bernardus ad Fratres de Monte Dei: *Scit etiam* (inquit) *quicunque ſenſum Chriſti habet, quantum Chriſtianæ pietati expediat, quantum Dei ſervum, & ſervum redemptionis Chriſti deceat, & ei utile ſit; unâ ſaltem aliquâ diei horâ, paſſionis & redemptionis ipſius recolere beneficia.*

Teſtatúrque ſanè Joannes Nider ex Ordine S. Dominici, hanc ævo ſuo fuiſſe multorum in Alemannia, tum plebeiorum utriusque ſexûs, tum etiam nobilium atque magnatum conſvetudinem; ut die qualibet horam aliquam ſibi deligerent, *ad ſummum* (ut ait) *humano generi impenſum beneficium, Chriſti paſſionem*, memorandam ac meditandam: quò & ipſi ſeſe hoc pacto, pro tanto munere, Deo gratos exhiberent, & mundi adverſa patientiùs ferrent, & virtutum opera promptiùs ac faciliùs exercerent. *Formic. l. 1. cap. 11.*

Eodémque pertinet pia multorum in Vniverſitate Duacenſi, auctore quodam è noſtris Patribus, ſub annum Domini 1630. coalita confœderatio; hac in cæteris conditione: ut qui ejus pacti ſe participem eſſe velit, quotidie octavam ſaltem horæ partem in recolendo aliquo paſſionis Dominicæ capite impendat; eámque conſiderationem certâ precatiunculâ concludat, quâ Chriſtum roget, ut omnium confœderatorum nomina in manibus ſuis deſcripta benignè legere, eóſque in ſacris ſuis vulneribus, præſertim autem in plaga lateris, juxta cor ſuum, velit æternùm habere collo-

collocatos. Cujus precationis formulam ( uti & reliquas pacti leges ) adſcriptam habes in libello, cui titulus: *Exercitium amoris Dei pro nobis crucifixi:* inque varijs Chriſti patientis imaginibus in confœderatorum gratiam editis, eisdémque dicatis.

## §. 2.

### *Ad horas ſingulas, alicujus myſterij paſſionis Chriſti, meminiſſe.*

EXtat eam ob rem, circumfertúrque piorum manibus, formis æneis expreſſum ( quod vocant) *Horologium Paſſionis;* ubi ſingulis diurnis nocturnisque horis aſſignatur, quid eâ horâ ſpeciatim Chriſtus paſſus ſit: ut ( ſicui ea allubeſcat religio ) in promptu habeat, quo meminerit, quonam cruciatu iſtâ horâ conflictatus ſit Redemptor; eique adeo eo nomine gratias agere, & ſuas, ſeu actiones ſeu paſſiones, cum eo Chriſti dolore conjungere poſſit. Cujus operæ in ſpeciem levis, tamen ( uti aliàs admonebimus) non leve futurum eſt pretium: quòd cum in morem particulatim ſingulas cujusvis diei horas, paſſionis Chriſti memoriæ atque honori conſecrando, ſenſim conſveſcat Chriſtianus vitam omnem purè ſanctéque degere; fiátque tandem quod
2. Cor. 5. exoptabat Apoſtolus: *Ut qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt.*

Potiſſimùm autem conſultum erit, eam obſervationem adhiberi in Officij ſacerdotalis ſive Horarum canoni-
l. 1. Vit. cap. 4. carum penſitatione. Quod B. Ludovicum Bertrandum ex Ordine S. Dominici, ita factitaſſe legimus, ut ſingulas Horas cujusdam myſterij paſſionis ( atque ejus, opinor, cui recolendo Hora quælibet addicta eſt ) memoriâ celebraret, certâ præmiſsâ de ipſo myſterio precatione.

lib. 1. Vit. cap. 2. Cui affine quiddam uſurpabat ex Ordine noſtro vir magnæ virtutis, P. Petrus Faber, ſingulas Horas canonicas, tum

tum vitæ à Chriſto inter nos actæ, tum præſertim dolorum ejus piâ recordatione conſecrans: quæ res ita proditur ab illius vitæ ſcriptore: *In inchoandis Horis canonicis* (inquit) *in acerbiſſimos Chriſti cruciatus indignámque necem ſuæ mentis figebat aſpectum; & ut pſallendo progrediebatur, ita in reputandis acrioribus ejus pœnis atque doloribus procedebat.* Sancta item Clara de Monte Falco ſingulis Horis canonicis paſſionis Chriſti certa myſteria aſſignaverat; ut refert Nicolaus Lancicius ex ejus Vita. Et videri poſſunt quæ huc pertinentia tradit etiam S. Mechtildis libro ſpiritualis gratiæ, capite 28.

*l. 2. c. 7.*

*De aridit. in orat. cap. 43.*

Quod porrò ad precatiunculam eâ gratiâ Horis præmittendam attinet; quædam habentur eam in rem conceptæ formulæ, breves equidem ſed efficaces, ſiquis eas aſſveſcat cum aliqua animi attentione promere. Quarum eam ſolùm quæ ad Horam ſextam pertinet, exempli causâ hîc appono: nam facile erit cui placuerit, ad eam formam reliquas conficere, variato duntaxat myſterio cuilibet Horæ accommodato. Sic igitur habet: *Salve Hora ſacra, in qua, Domine IESU Chriſte, in monte Calvariæ crudeliter denudatus es: & Domine IESU Chriſte, has omnes afflictiones tibi offero; pro illis gratias ago; pro illis miſerere mei.*

## §. 3.

### *De paſſione Domini libenter ſermonem facere.*

ADjungimus denique & hoc familiare pietatis exercitium; nimirum de paſſione Domini, ubi res tulerit, libenter ſermonem ingerere; aliósque ad idem ſtudium, ac JESU crucifixi amorem adducere.

Erit hoc, tum noſtri adverſus Chriſtum patientem amoris indicium; nam ſiquid amamus, de eo libenter loquimur: tum præſidium memoriæ; frequens enim de re aliqua ſermo, altiùs eam defigit in animis: tum denique,

eaſdem ob cauſas, amplioris in nobis, erga eas res, religionis atque affectûs incitamentum. Ingerit ſe quoque libens Salvator de paſſione ſua loquentibus; atque, uti duobus diſcipulis Emmaunta pergentibus contigit, quaſi ex occulto ſuperveniens, in eorum mentibus cœleſte lumen, in cordibus ardorem divinæ charitatis accendit. Denique poſtulat officij noſtri ac pietatis ratio; ut qui Agni immaculati morte, à diaboli ſervitute, & morte æterna erepti ſumus, ipſius ſanguine oſtij domûs noſtræ poſtes, hoc eſt, os noſtrum & labia pingamus: *ut nihil aliud* (quod in rem præſentem ait B. Ambroſius) *niſi ſanguinem Chriſti loquamur, quo mortem vicimus, quo redempti ſumus.* *l. de paſc. celebr.*

Quod quidem, ex ejuſdem S. Patris monito, præcipuâ quadam ratione Chriſti Sponſis convenit: quarum labia (ut in Canticis dicitur) debent eſſe inſtar vittæ coccineæ, hoc eſt, & charitatis rubore ſuffuſa, & ipſo Chriſti ſanguine tincta. *In cocco* enim, inquit Ambroſius, *ſpecies ignis, & crucis Dominicæ ſanguis irrutilat.* Unde etiam ſubdit: coccinea labia Domini fuiſſe, quæ paſsionem propriam loquebantur. Expreſſiùs autem S. Bernardus ad iſta fortaſſis S. Ambroſij alludens, in libro de Chriſti paſsione: *Labia Sponſarum Chriſti* (inquit) *ſicut vitta coccinea: ut ſermo earum ſemper charitate ardeat, paſſione Agni & Sponſi rubeat. Qui ſemper debet eſſe in corde, ſemper ſit in ore, candidus & rubicundus dulcis IESUS.* *Cant. 4.* *In pſ. 118. ſerm. 18.* *cap. 31.*

Eodémque ſenſu alio quodam in loco præcipit idem Ambroſius; Virginis labia, ex labiorum Sponſi imitatione, ſtillare myrrham primam; in hæc verba Virginem Dèo devotam inſtituens: *Audi Virgo, quid dicat: Lilium, inquit, convallium; id eſt humilium animarum & mitium. Eſto ergo mitis, humilis, atque manſveta, ut in te ſicut lilium germinet Chriſtus; de quo & alibi habes: Labia ejus lilia ſtillantia myrrham plenam, id eſt, qui Chriſti paſſionem loquuntur, &* *De inſtit. Virg. c. 15.*

ſuo

Digitized by Google

*ſuo ore concelebrant, ac mortificationem ejus in ſuo circumferunt corpore.* Addit: *Chriſti lilia ſunt ſpecialiter ſacræ Virgines, quarum eſt ſplendida & immaculata virginitas.* Hæc Ambroſius.

Concludant hunc locum verba S. Bernardi loco laudato, ita ad JESUM ſuſpirantis: *O dulciſſime & amantiſſime IESU, Agne immaculate, candide per innocentiam, rubicunde per ſanguinem paſſionis: quàm jucundum cogitare, quàm ſalubre loqui de te! Tu enim de te loquentibus præſens, mentem dulciter accendis, informas verba, & omnium in te loquentium trahis affectus, curruntque in odorem unguentorum tuorum.* Et poſt pauca: *Vidéſne igitur, quorſum tendant verba charitatis & paſſionis?* Sic ibi.

# CAPVT XIII.

## *Nonnulla alia, quibus pium animi noſtri ſtudium in Chriſtum patientem conteſtemur.*

### §. I.

### *Alicui Chriſti crucifixi, aut Matris dolentis, ſodalitio adſcribi.*

VAriæ ſunt tum Romæ, tum alibi gentium, ſocietates aut phratriæ JESU crucifixo aut paſſo ſpecialiter dicatæ: quarum id inſtitutum ac munus eſt, non modò Chriſti paſſionem peculiari cultu proſequi, flagellis etiam aut alijs voluntarijs afflictionibus eo reſpectu ſuſceptis, verùm etiam in alios mortales, ſive in vita ſive in morte auxilij & opis indigos, miſericordiam ac pietatem variè extendere. Quo in genere, non ſucceſſum modò qui ſperabatur, ſed nomen etiam ac celebritatem jam obtinet, Chriſti agonizantis ac mortui, ad morientium ſolatium, & vivorum utilitatem, in Collegio Societatis JESU Græcenſi, haud pridem coalita Sodali-

dalitas; cujus bonâ famâ excitus Ferdinandus III. Imperator, unà cum filio item Ferdinando Bohemiæ Rege, auguſtum nomen ſuum ei obtulit; & Leopoldus Guilielmus Cæſaris frater, eidem inſcribi, ejúſque meritorum fieri particeps expetijt, literis vel ex ipſo Belgio eâ gratiâ ſcriptis.

Præter has olim floruêre, & etiamnum florent locis pluribus, Sodalitates aliæ ſub Matris dolorum, ſeu (ut vulgò loquimur) B. Virginis Doloroſæ cultu ac patrocinio erectæ. Inter quas olim celeberrima fuit apud Belgas, ſeptem Dolorum B. MARIÆ Fraternitas; auctore Philippo Auſtriaco Belgarum Principe, eo qui poſtea Hiſpaniarum Regna Auſtriacæ genti felici connubio adjunxit. Is etenim Princeps, vixdum ephebus ac pœne puer, cùm ditionem ſuam varijs tumultibus agitatam turbatámque videret, Dei Matris tutelam ſpeciali cultu ſibi demerendam exiſtimavit, eámque quam dixi, MARIÆ Doloroſæ Sodalitatem, Mechliniæ primúm, ubi tunc degebat, ac poſtea Bruxellis, felice conſilio inſtituit; quæ brevi tempore per Vrbes alias propagata, & deinceps inde virorum Principum adſcriptione nobilitata, multis quoque de cœlo donis ac prodigijs comprobata eſt. Vti videre licet in eo tractatu quem de ejus Fraternitatis ortu atque progreſſu edidit Georgius Colvenerius Duacenſis Doctor & Cancellarius. Itémque apud Auguſtinum Wichmans in ſua Brabantia Mariana: ubi addit; eandem anno 1626. Illuſtriſsimi Archiepiſcopi ſtudio, Mechliniæ inſtauratam; eo ſucceſſu atque ardore pietatis, ut cernere ſit innumeros, religioſas Matris dolentis Stationes, cœlo etiam brumali, ac nocte perfrigidâ, vel detractis pedum integumentis obire, vel etiam nudatis genibus flexiſque poplitibus obrepere.

*l. 2. c. 64.*

Atque ut alias in præſens omittam, florentiſsima eſt hodie Poſonij in Hungaria, Virginis Filium de cruce detractum ſinu complexæ Congregatio: cujus nimirum eo habitu

Digitized by Google

bitu Statua, ibidem in Eccleſia majore, ingenti mortalium undique affluentium concurſu colitur, & multis in dies ſingulos divinis beneficijs ac miraculis inclareſcit.

Neque omittenda videtur hoc loco, cujusdam è noſtris Patribus (qui anno Domini 1653. Oſſunæ in Hiſpania obijt) in Virginis Matris ſolitudine recolenda (ſive, eâ ejus mœſtitiâ quâ triduum mortis filij ſui, velut deſolata & omni deſtituta ſolatio traduxit) pia ac ſolers induſtria. Qui nempe in templo Societatis noſtræ, Beatæ Virgini aram cum Statua eo titulo erexit, eámque religionem feſtivâ celebritate, Indulgentijs, aliísque artibus exornare, augere, ac propagare inſtituit.

Ad aliquod igitur ejusmodi, ſeu paſsionis Filij, ſeu Matris compatientis Sodalitium, pro ſua adverſus Chriſti paſsionem reverentia (addo, & pro loci aliorúmque adjunctorum opportunitate) adjungi poterit cliens atque amator Crucifixi. Nam & Matris dolores omnino ſpecialem ad Nati tormenta reſpectum habent; & ipſi Chriſto jucundiſſimum eſt, acerbos Matris ſuæ luctus crebrò recogitari, & piâ quadam condolentiâ celebrari: uti poſtea demonſtrabitur.

## §. 2.

### *Crucis effigiem, & nominis IESV figuram, ubi occurrerit, aliquâ pietatis ſignificatione venerari.*

CRucem in trivijs aliísque locis publicè proſtantem ſigno aliquo venerationis proſequi, Chriſtiani officij nonnulla pars eſt; & apud pleroſque recepti moris eſſe videtur. Addimus modò, non tantùm crucis aut Crucifixi effigiem, ubi occurrerit, piè ſalutandam ac venerandam, ſed etiam nominis JESU figuram, uti paſsim vel auro aut coloribus expreſſa, vel marmori aut ſaxis inſculpta ad venerationem proponitur, ſimili officio proſequendam.

Hæc

Hæc enim etiam ( ſi attendimus ) monimentum quoddam eſt paſsionis Chriſti: ſive quòd in ea in modum crucis effictus apex, aut etiam infernè adjecti clavi, ejusdem paſsionis memoriam intuentium ſenſibus ingerunt: ſive quòd vel ipſa ſalutaris nominis ſignificatio ( etſi occultiori ratione ) Salvatoris cruciatuum nos admonet; quippe qui non niſi per paſsionem & mortem, tanti nominis vim ac dignitatem, aut promeruerit aut præſtiterit; eóque nomine ſibi impoſito, ipſam quoque pro nobis moriendi legem atque obligationem unà ſibi imponi ſenſerit.

Atque ad eandem vim atque energiam in JESU incluſam nomine exactiùs explicandam, congruâ ratione dicemus, hæc quæ memoravi paſsionis Chriſti ſymbola, jam paſsim adijci ſolere.

Sanè ſacroſancto JESU nomini, apicis loco, crucem ſuperimponendi, vetuſtior paulò & ab aliquot ſæculis recepta conſvetudo eſt: ex eo fortaſsis primùm exorta; quòd ad id temporis nomen illud Gothicis literis exarari ſoleret, ita ut medium elementum eſſet aſpirationis litera, ſuperiori ejus literæ parte, ex Gothica pingendi ratione, ab alijs literis paulùm extante, & in altum ſurrecta; cujus rei plura hodiéque ſuperſunt exempla. Fertúrque hac ipsâ literarum formâ deſcriptum fuiſſe id JESU nomen, quod auro pictum & aureis radijs incinctum ( re id temporis novâ & inſolitâ, ſed in uſum deinceps paſsim receptâ ) adorandum populis proponebat S. Bernardinus Senenſis: uti nos quoque in vetuſtis quibusdã ejus Sancti iconibus obſervavimus.

*Præloq. ad Martyr. Franciſc.*

Cùm autem nomini ita deſcripto, virgula aliqua ſupernè, veluti compendij nota, de more adijceretur; fiebat, ut eâ virgulâ in extantem illam medij elementi portionem incidente, eámque ex transverſo ſecante, crux non obſcurè repræſentaretur. Quem uſum poſtea, etiam cùm conſvetis, ſeu Romanis, literis nomen JESU pingendi mos invaluit,

Digitized by Google

luit, retineri placuerit; cruce, etiam diſtinctiùs expreſsâ, & ex medio elemento (ſive id Latina aſpiratio eſt, ex vulgi ſenſu; ſive, ex doctiorum ſententiâ, ea vocalis, quæ in Jesu nomine Græcè ſcripto ſecundum locum obtinet) evidentiùs prominente. *Aldus Manut: ſenior apud Nigr.*

Cui ſuſpicioni favere videtur Julius Nigronus noſter, dum nomini JESU docet præponi crucem, pro apice ſeu nota compendij: quam tamen obſervat non ſemper fuiſſe in nomine S. Bernardini. *In reg. com. p. 3. lit: n. 55.*

Quod porrò ad clavos poſtea adjectos attinet; tradit idem autor, S. Ignatium P. N. eidem nomini (quod nempe ſuæ familiæ tanquam inſigne eſſe voluit) ſubjeciſſe tres clavos Dominicæ paſsionis. Sive id fecerit ad expreſſiorem Chriſti cruciatuum repræſentationem; ſive ut id eſſet religioſæ vitæ ac mortificationis ſymbolum; atque, *ut intelligeremus*, inquit Nigronus, militantibus nobis *ſub illo vexillo, ferendam eſſe crucem mortificationis, & perpetiendos clavos laborum & dolorum pro Chriſto, uſque ad vulnera, ſanguinis effuſionem, & mortem.* Cùm & alioqui per eoſdem clavos aptè ſignificentur tria illa vota, quæ Religioſi ſtatûs quaſi ſubſtantiam conſtituunt, ut ampliùs infrà, aliâ occaſione declarabitur.

Igitur plurium Sanctorum exemplo (& nominatim Juliani Anachoretæ, qui, id atteſtante Beato Ephrem in ejus vita, nomen hoc ubicunque reperiebat, lacrymis aſpergebat & quaſi obliterabat) uſitatam illam nominis IESU figuram pio animi ſenſu cultuque congruo proſequamur: neque eam utcunque, velut Salvatoris & ſalutis inſigne aſpiciamus, verùm etiam ut mortis Chriſti monimentum & velut quandam cruciatuum ejus imaginem deveneremur atque exoſculemur.

§. 3.

## §. 3.

### *Pro amore Chriſti crucifixi, aut paſſionis ejus reverentiâ, quicquam petenti, non facilè denegare.*

Vit. c. 1. SAnctum Franciſcum refert S. Bonaventura, cùm quadam die pauperem pro Dei amore ſtipem petentem, præter conſvetudinem repuliſſet, repentè eo facto commotum, non modò eidem revocato miſericordiam largè impertiviſſe, ſed etiam Deo ex eo die promiſiſſe, nemini ſe unquam ejus nomine petenti, eleemoſynam negaturum. Verùm id virtutis non cujusvis eſt; nec ſcio an ſatis congruat communi hominum imbecillitati, in ea præſertim frequentia inopum, interpoſito Dei nomine flagitantium.

Mitius & tolerabilius eſt, quod hic aſcetæ noſtro proponimus: nimirum ut eorum ſaltem, qui appellatâ paſſione Domini, aut Chriſti crucifixi nomine, quidpiam expoſcunt, ſpecialem rationem habeat, eóque nomine propenſiùs eorum miſereatur, nec facilè quicquam (quod ei quidem concedere promptum ſit) denegare conſveſcat.

Id quippe ſtudium, & ad non vulgarem adverſus paſſionem Chriſti reverentiam conteſtandam, & ad noſtrum etiam in Crucifixum amorem alendum atque exaugendum, & ad ipſum denique benigniſſimum Redemptorem eo obſequio ſingulariter demerendum, non mediocriter valiturum eſſe. Qui utique ſibi ſpecialiùs impenſum reputabit, quidquid eâ quam dixi contemplatione, in membra ſua opis egena, benignitatis collatum fuerit.

Neque verò id quod nunc agimus, de ſtipis tantùm reive ejusmodi impenſa, velim intelligi; verùm de quacunque ſive corporali ſive ſpirituali miſericordia impertienda, cùm eam continget, Chriſti patientis interpoſito nomine, efflagitari. Nominatim autem (quod, uti cæteris difficilius, ita acceptiſſimum divino cordi miſericordiæ genus

nus eſt) de atroci quoque offenſione remittenda, parcendóque hoſti, quem etiam in poteſtate habeas; ejus nimirum intuitu, qui cùm adhuc inimici eſſemus non utcunque ignovit, ſed ut iratum nobis placaret Patrem, vitam ipſe ſuam omnémque ſanguinem profudit.

Eſt enim hoc Chriſto, Paci noſtræ, jucundiſſimum ſanè Sacrificium: ſi in ipſo ardore ultionis, ad allegatam, aut ſponte ſuâ animo recurrentem, paſſionis Domini memoriam, conceptum jam furorem comprimas, & unà cum armis, vindictæ ponas cupiditatem, ipſámque dulcem animo furenti, ulciſcendi libidinem, velut victimam Crucifixo immoles. Qui proinde fertur, quàm ſibi id foret complacitum, non uno documento declarâſſe.

Notum eſt quod S. Joanni Gualberto contigit: qui, cùm inimico peperciſſet, in crucis modum conformatis manibus, per Crucifixi amorem veniam poſcenti, móxque templum ingreſſus, ante Crucifixi imaginem, provolutus genibus precaretur, vidit Chriſti in cruce pendentis caput ad ſeſe inclinari, quaſi ipſi gratias ageret, quòd pro paſſionis ſuæ reverentiâ, eo in articulo hoſti capitali peperciſſet. Quod ipſum aliàs, nec ſemel, alijs contigiſſe; tum apud S. Petrum Damiani, tum apud Thomam Cantipratanum reperies. *Vit. c. 1. & 2.* *Spec. Exempl. d. 1. Cantipr. l. 2. c. 18.*

Quò mihi ſubeat non ex vano fortaſſis conjectare: eum qui ejusmodi aliquo præclaro facinore ſingularem adeò à Jesu crucifixo gratiam inierit, in æternum periturum non eſſe: ut hoc etiam ſenſu valere poſſit in rem præſentem, quod in cauſa ſimili Davidi ſpondebat prudentiſſima Abigail: *Erit anima Domini mei cuſtodita quaſi in faſciculo viventium,* (hoc eſt, in faſciculo, ſive numero prædeſtinatorum, inquit Vgo Cardinalis) *apud Dominum Deum tuum*: aut quod ſibi apprecabatur David, cùm manum a Saule inimico ſuo abſtinuiſſet: *Sicut magnificata eſt anima* (ſeu vita) *1. Reg. 25.* *Ibid. c. 26.*

*tua hodie in oculis meis: ſic magnificetur anima mea* (hoc eſt, magna & pretioſa habeatur) *in oculis Domini, & liberet me de omni anguſtia*: præſertim autem de anguſtia ſempiterna.

Hoc deniqúe loco commemorabile eſt Joannis II. Luſitaniæ Regis exemplum: qui (ut teſtatur Vaſconcellus noſter) ſecretò ſe voto obſtrinxerat; nihil ſe negaturum unquam quod interpoſitis Chriſti vulneribus peteretur. Itaque tum in alios aliàs, eâ causâ beneficus extitit; tum mulieri, die Paraſceves, marito capitis damnato, per Chriſti mortem ac vulnera vitam oranti, veniam liberaliter indulſit.

*De Reg. Luſit.*

# CAPUT XIV.

## *Diem ſextam cujusque hebdomadæ, uti Chriſti paſſioni dicatam, cultu proprio celebrari oportere.*

### §. I.

#### *Rationes ſeu artes nonnullæ, ad eam diem peculiariter celebrandam, accommodatæ.*

DIes ſexta cujusque hebdomadæ, tum ipsâ temporis ratione (quòd eâ die Salvator noſter crucem ac mortem noſtrâ causâ ſubijt) tum vetuſtiſſimo Eccleſiæ inſtituto, uſúque fidelium, commemorationi Dominicæ paſſionis ſpecialiter conſecrata, non eſt abſque aliqua ejusdem paſſionis memoria, aut cultu proprio, transmittenda.

Eâ gratiâ potes in primis, eâ ſaltem die, matutinis horis piæ cruciatuum Salvatoris commentationi partem aliquam temporis tribuere, aut aliquid de ejus argumenti libello legere; quo patientis Chriſti recordationem in te exſuſcites, atque inde conceptum dolorem compunctionisq; ſenſum, in reliquum diem retineas.

Speci-

Speciatim autem in Miſſæ Sacrificio ( quod, ſi Sacerdos ſis, & per leges Sacrorum liceat, de Cruce aut Paſſione Domini celebrare poteris ) debes vivam tibi Dominicæ necis imaginem ob oculos ponere; eóque præſertim die ſtatis illis divini funeris exequijs, cum magna animi attentione, & pietatis ſignificatione adeſſe.

Deinde ad eam Dominicæ mortis memoriam, ſeu expreſſiùs teſtandam, ſeu efficaciùs retinendam; peculiariter in temetipſum collectus, non modò conſvetas culpas ſtudioſiùs cavebis, verùm etiam, quaſi unum aliquem charorum amiſſum lugeres, vitabis argumenta lætitiæ, & non neceſſarias relaxationes animi; quoad tibi quidem per vitæ tuæ rationes licebit. Fugies igitur eâ die ludos, choreas, convivia; detrahes aliquid de cultu ornatúque corporis; delicijs etiam, licet innocentibus, abſtinebis. Quo in genere præeuntem habes S. Francorum Regem Ludovicum, qui *Gaufr. in Vit. c. 13.* ſextis ferijs nolebat liberos ſuos, roſis aut omnino floribus coronari; quòd Caput noſtrum eâ die ſpinis coronatum meminiſſet. Itémque ſacrum Purpuratorum Patrum Collegium, qui ſuæ adverſus Chriſtum patientem religioni teſtificandæ, ijsdem ferijs non conſvetâ veſte pupureâ, ſed violaceis ( quod eis luctûs argumentum eſt ) utuntur.

Neque hîc omittendum præceptum illud, quod inter cætera Sveciæ Regi per S. Birgittam ex ore Chriſti traditum *l. 8. c. 2.* eſt; eadem feriâ ſtipem aliquam erogandam in pauperes. Hoc, opinor, reſpectu: quòd cùm eâ die ipſe Rex Regum Chriſtus, ſanguinem ſuum omnem pro redemptione noſtra liberaliter effuderit; par ſit, ut ipſius amore, eúmque imitandi ſtudio, ſi non ſanguinem fundimus, at nummos ſaltem pauculos in ipſius membra dividamus.

Poſtremò aſſumes pœnam aliquam afflictionémve corporis; quò & eam diem religioſiùs obſerves, & aliqua ex parte aſſimileris Chriſto patienti.

Chriſtiani olim, jam ab initio naſcentis Eccleſiæ, ſextam feriam legitimo jejunio celebrabant (ex quo hodie ſola carnium abſtinentia remanſerit) ut conſtat ex Patribus antiquiſſimis, Ignatio, Tertulliano, Epiphanio, &c. Quem etiam jejunij ritum obſervant paſſim Ordines Religioſi; & nonnulli quidem, pane tantùm & aquâ adhibitis: ut de ſuis monachis teſtatur S. Petrus Damiani; docens, eâ die, *qua* (ut ipſe ait) *pendentis in cruce Domini glorioſo ſanguine purpuratur*, ejusmodi pœnam convenienter aſſumi: *quia* (inquit) *in hoc cruci verè communicamus, in hoc procul dubio Chriſto commorimur, ſi hoc eodem die quo ipſe paſſus eſt, etiam carnem noſtram per inediæ cruciamenta mactemus.*

*Ep.* 14.

Quin & plures infantes conſtat, divino magiſterio, vel ſemel tantùm eâ die lac admiſiſſe; ut de S. Nicolao notum eſt, cui Siſennium quendam Epiſcopum adjunxit Drexelius noſter; vel omnino alimento abſtinuiſſe, ut de Stephano Dienſi Epiſcopo refert idem autor in tractatu quem Aloën inſcripſit.

*l.* 1. *c.* 11. §. 3.

Cui addere licet, recentius ævi noſtri exemplum, ſuprà memoratam Pudentianam Zagnoniam; de qua præterea illud eſt propriè commemorabile: hanc ſcilicet infantem, omni ſextâ feriâ, non tantùm cibum omnem detrectaſſe, ſed inſuper totam eam diem, alimenti vice, perpetuo ploratu duxiſſe; cùm dies reliquos eſſe ſoleret pacatiſſima.

*Vit. c.* 1.

Quòd ſi eam diem jejunio colendi, tibi aut facultas deeſt aut animus; ſaltem re aliquâ, quamvis exiguâ, tibi ſubtractâ, patientis Chriſti memorem animum eo pacto teſtare.

## §. 2.

### *Artes aliquæ rariores, eôdem pertinentes.*

ATtamen omiſſis alijs, eâ die paſſim uſitatis, ſeſe affligendi rationibus; alias quasdam referre juvat, quas excogita-

gitarit Sanctorum ardor, ac ſtudium Chriſti cruciatus participandi.

Nam quidam, memores fellis & aceti, quod Chriſto in cruce ſitienti propinatum eſt, eâ die amarore aliquo guſtatum ſuum inficiebant & exercebant: veluti de S. Alberto Confeſſore ex Ordine Carmelitarum, accepimus; qui *Vit. c. 6.* ad panem, quo ſolo tunc veſcebatur, condimenti loco abſinthium adhibebat. Sanctam quoque Birgittam legimus, *Vit. c. 11.* eadem feriâ amariſſimam herbam in ore tenere ſolitam: quod item pœnæ genus conſvêrat de ſe ſumere, ſi quando verbum aliquod minùs conſideratè protuliſſet. At Simon Sacerdos Valentinus, ex eodem Chriſtum imitandi deſiderio, *In Vit.* feriâ ſextâ majoris hebdomadæ acetum felle mixtum exſorbebat.

Rurſum eadem S. Birgitta, ſextâ qualibet feriâ, ex ardente cereo guttas ignitas in carnem ſuam eliquabat, ſic, ut *Bulla canoniz.* cute exuſtâ & puſtulatâ, diu reſtarent vulnerum veſtigia; quæ tamen ſi ante proximè recurrentem ſextam feriam nonnihil obduci viderentur, eadem, unguium impreſſione, ne perſanarentur, exulcerabat. Sanctus autem Franciſcus, cùm diebus alijs, dolori leniendo, carni ſuæ impreſſa ſacra *Wad. anno 1224. n. 17.* vulnera fovere panniculis ſoleret, totam eam diem ab ipſa veſpera præcedente, abſtinebat eo delinimento, ut hac ratione Chriſti crucifixi dolores magis experiretur.

At quid de his dicam, qui ex ſummo in Chriſtum crucifixum amore, id multis precibus ab eo contenderint, impetrarintve, ut qualibet ſextâ feriâ recurrente, partem aliquam eorum cruciatuum, quos eâ die ipſe ſuſtinuiſſet, perſentiſcerent? uti de Philippa Geldra jam docuimus; quæ eâ feriâ, prodigioſos lateris experiebatur cruciatus. Similitérque è Societate noſtra P. Bernardus Colnago, omni fe- *l. 1. Vit. c. 12.* riâ ſextâ ſentiebat itidem dolores lateris acerbiſſimos; itémque quoties de paſsione Domini concionaretur. Ma-

ria

ria Carafa P.N. Vincentij mater obtinuerat divinitùs, ut eadem die acrem capitis dolorem perſentiſceret; perinde atque ſi ſpinarum aculeis compungeretur.

Quibusdam etiam pijs fæminis conceſſum ſcimus, ut ea die & per eas horas, quibus Chriſtus in cruce ſuffixus jacuit, & ipſæ immotæ ac velut exanimes jacerent, non tantùm internorum Chriſti dolorum participes, ſed ipsa etiam externa ſpecie Crucifixo conformes; brachijs nimirum rigidè in altum protenſis, contractis manuum articulis, pedibus quaſi ad confixionem diſpoſitis, omni denique corpore, Crucifixi in morem, immobiliter extento & occulta vi obrigeſcente.

*Vit. c. 17.* Memorata Soror Pudentiana Zagnoni eam totam diem ſummis afflictabatur doloribus, & in quodam quaſi ſuppliciorum torculari comprimebatur. Ei diſtendebantur membra omnia, velut in equuleo, torquebantur viſcera, amareſcebat os, areſcebat palatum; vix ut eo die cibum aliquem capere aut retinere poſſet.

*Vit. c. 34.* B. Coleta eadem die, ſpatio horarum duodecim, commeditandæ paſſioni Chriſti tam efficaciter intendebat animum, ut ſæpenumero præ doloris vehementia, in manibus, pedibus, ac latere, ipſa ſibi revera clavis ac lanceâ confixa videretur. Quotidie autem horâ meridianâ, quâ Chriſtus pro nobis crucifixus eſt, angore cordis conflictabatur acerrimo: ſolita proinde ad id temporis, abs hominum uſu atque conſpectu ſubducere ſe; quò dolores ſuos, vel ſecum ipſa ſecretiùs ſufferret, vel cum Sponſo ſuo liberiùs familiariúsve conferret.

*l. 2. c. 7.* Neque omittendum quod de Catharina Riccia ex Ordine S. Dominici in ejus Vita teſtatur Seraphinus Razzius: eam ferijs ſextis in mentis exceſſu & arcana paſsionum Chriſti contemplatione poſitam, ſingulos Sponſi ſui cruciatus, ijsdémque horis cum illo expertam eſſe; pœnarum etiam veſti-

veſtigijs quandoque in Virginis corpore evidenter reſtantibus. Ex quibus aliisque prodigijs facili conjectura ducitur; ſpecialem illam & efficacem paſſionis Chriſti feriâ ſextâ memoriam, ipſi Salvatori mirum in modum acceptam eſſe. Quod quidem ſtudium, ita ſibi familiare fecerat Vbertinus de Caſali, ut de ſemetipſo ita ſcripſerit: *Omnes dies Veneris videbantur mihi, non memoria, ſed præſentia IESV paſſionis & mortis.* *Prolog. 1. Arb. vit. cruc.*

Ad extremum non omittam dicere: ex ſimili, adverſus hanc ipſam, Chriſti paſsione ac morte conſecratam diem, religione profectum, ut nonnulli Chriſti amatores hac eadem die vitam claudere optaverint. Quam rem inter alios, uti votis frequentibus vivens expetierat ſuprà memoratus P. Colnago, ita denique obtinuiſſe (idque cum eo corollario, ut eadem etiam hora, qua Chriſtus creditur mortuus eſſe, decederet) teſtis eſt ejus Vita. At B. Joachim Senenſis, Ordinis Servorum B. M. in ipſo die Paraſceves, uti expetierat, defunctus eſt. *Vit l. 1. c. 12.* *Phil. Ferrar. 16. April.*

# CAPVT XV.

## *Sacras (quas appellant) Chriſti patientis Stationes, ſuis temporibus religioſè obire.*

### §. I.

*Ejus religionis ratio ac finis proponitur.*

STationum paſsionis Chriſti nomine hîc intelligimus, Sacella quædam aut ædiculas, certis ac præcipuis myſterijs paſsionis Chriſti dedicatas; quæ nonnullis in Provincijs, ac nominatim in varijs Belgij Vrbibus, per mœnium ambitum aliáve loca opportuna ita ſunt diſpoſitæ, ut ijs ferè intervallis inter ſe diſtent, quibus compertum eſt Ieroſolymis diſtare loca, in quibus reipſa ea myſteria contigêre. Quod qui-

quidem iter, velut paſsibus Chriſti Domini conſecratum, à cujusvis ordinis, ſexûs, ætatis hominibus, videmus (præſertim qualibet recurrente ſextâ feriâ) religiosè obiri, & ipſas ſacras Stationes ſeu Sacella ſigillatim piâ & myſterio conſentaneâ precatione ſalutari, nec minore fructu quàm frequentiâ celebrari.

Cùm enim communiter non liceat, ea ipſa loca, quæ Dominus Jesus, vel ſuo ſanguine rigavit, vel ſuis cruciatibus & opprobrijs dedicavit, coràm viſere, & tantarum rerum inibi geſtarum, velut præſentium, contemplatione, oculos ac mentem paſcere: dulce eſt animæ Iesu amanti, eorum ſaltem expreſſa ſimulacra, ob oculos poſita & quaſi ad manum habere; quorum conſpectu, amabilem eorum, quæ ille quoquo loco paſſus eſt, memoriam exſuſcitet, ac ſuam in Iesum devotionem acuat, reaccendat amorem.

Quo in argumento principem locum ac celebritatem facilè obtinet montis Varalli ſolitudo, in Galliæ ciſalpinæ Helvetiorúmque confinijs; quam anno Domini 1493. ex ſacro Ordine Minorum B. Bernardinus Caimus, Ieroſolymis redux, ut ijs in locis ſpeciem quandam terræ ſanctæ repræſentaret, Sacellis compluribus per eum montem ſparſis, & ea quæ geſsit tulitve Salvator bellè referentibus inſtruxit; adjuncto ſepulcro Dominico ad exactam Ieroſolymitani ſimilitudinem. Ea quippe fertur eſſe ejus loci cum ſumma amœnitate religio, is ſacrarum ædicularum cultus & elegantia, ea myſteriorum, quæ opere præſertim anaglyptico repræſentantur, propè ad vivum expreſsio, ut eo quidem in genere, nihil ad Chriſti paſsionem tanquam oculis ſubjiciendam concinnius, nihil ad animorum motus ex Chriſti dolorum contemplatione concitandos aptius, fingi poſſe videatur.

*Giuſſan l. 5. Vit. c. 6. & l. 7. c. 11.* Quamobrem & S. Carolus Borromeus, poſt ſalutatam Taurini ſacram ſindonem, eò quoque divertit, & loca ſingula

gula, magno cum pietatis ſenſu & animi ſui voluptate luſtravit. Quin etiam extremo vitæ tempore, perceptos olim ex ea ſancta ſolitudine fructus reguſtare volens, atque ad mortem (quam ſibi propinquam præſagire videbatur) ſe componere; montem Varallum repetijt, ibique dies compluſculos, pijs ſe commentationibus exercuit: donec ex vehementi corporis animíque contentione, ea concepta febris eſt, quæ virum ſanctiſſimum demum abſtulit, & beatæ tranſcripſit immortalitati.

Exactam ipſius montis Varalli deſcriptionem profert Franciſcus Gonzaga in origine Religionis Seraphicæ: & nonnulla tangit Lucas Wadingus in Annalibus; illud etiam addens; fuiſſe multos, qui rebus humanis abdicatis, eo in monte ætatem omnem Chriſti myſterijs contemplandis, conſumpſerint. *P. 1. Prov. Mediol. c. 21*

Celebratur item in Polonia, haud Cracoviâ procul, mons Calvariæ; itidem ad Jeroſolymitani formam à Palatino quodam Cracovienſi magnificè piéque adornatus. Nam cùm ejus montis poſitionem animadvertiſſet, cum eorum ſitu locorum in quibus paſſus eſt Salvator, belliſſimè convenire, cum ipſe locum, tum alijs ſacris Vrbis Jeroſolymæ monumentis, tum inter alia ſeptenis ædiculis, ſeptem Chriſti patientis Stationes referentibus, inſtruxit, ſervatâ locorum ab invicem juſtâ diſtantiâ; adjecto etiam Fratrum Minorum de Obſervantia religioſo cœnobio. Iſque adeò locus, varijs Summorum Pontificum Indulgentijs ditatus, magno concurſu ac religione frequentatur. Montis ejus topographicam deſcriptionem invenies apud Georgium Braunium, in theatro Vrbium lib. 6.

Verùm ea quam dico, ſacrarum paſsionis Chriſti Stationum religio, non modò in locis publicis, omnibúſque communiter pervijs, pleraſque per Vrbes propoſita eſt; ſed etiam intra Cænobiorum ſepta, recepta; quorum vel por-

ticus vel etiam hortorum ambulationes, ſacris illis cruciatuum Chriſti monumentis paſsim inſtructæ viſuntur; &, ſi non omnibus ubique, ſaltem primarijs nonnullis; ut hinc Chriſtum in horto orantem affabrè elaboratum videre ſit, illinc Crucifixum in monte Calvariæ, &c. Quò nimirum fiat, ut eâ loca obambulantis animus, ſimul aurâ ſeſe amœniore recreet, ſimul ſpiritum quendam ſanctitatis hauriat; & ſacram tanquam peregrinationem inſtituens, atque ad hæc Chriſti patientis monimenta divertens, eadémque brevi precatiunculâ ſalutans, eam à ſtudijs gravioribus remiſſionem, in gratam quandam religionis exercitationem convertat.

Amant enim religioſæ mentes, ipſa etiam avocamenta ſua, & ſanctiorum curarum intermiſsionem, aliquo ſemper pietatis quaſi intinctu condire; illúdque ſtudent, quoad licet, quod in S. Martino commendat S. Severus Sulpitius: Hunc nimirum etiam inter legendum, aut ſi quid fortè aliud ageret, nunquam prorſus animum ab oratione laxaſſe: verùm (quod ejusdem Sulpitij elegans dictum eſt) *ut fabris ferrarijs moris eſt, qui inter operandum, pro quodam laboris levamine incudem ſuam feriunt; ita Martinum, etiam dum aliud agere videretur, ſemper oráſſe.* *Vit. c. 27.*

Numerus porro ac ſeries myſteriorum quibus Stationes prædictæ inſigniri ſolent, ſi quis fortaſsis imitandi gratiâ noſſe cupiat, ita ferè eſt: *IESUS orans in horto. Comprehenſus à Lictoribus. Coram Caypha accuſatus atque percuſſus. Illuſus ab Herode. In Prætorio flagellatus. Spinis coronatus. A Pilato productus ad populum. Bajulans crucem. Crucifixus. In monumento poſitus.* Tametſi nonnulli plura myſteria, alij pauciora adhibeant.

§. 2.

Digitized by Google

## §. 2.

### *Quæ præſertim forma in illis obeundis ſervari poſſit.*

JAm ut rationem nonnullam modumve, qui in ſacris illis Stationibus adeundis, ſervandus videatur, ſuggeram:

*Primo loco* mihi monendus es, hoc quidquid eſt religioſæ exercitationis, non ad nudam tantùm eorum myſteriorum recogitationem aut memoriam, ſed ad nonnullum etiam Dominicæ paſſionis experimentum inſtitutum eſſe. Quamobrem ſi vel itineris quantulaecunque longitudo, vel viarum incommoditas, vel aliqua cœli inclementia, quidpiam tibi moleſtiæ attulerit; ſoletur te ea cogitatio, quòd hac ratione partem aliquam delibes incredibilis laboris, cum quo olim Salvator noſter, vel ſudore cruento etiamnum madens, vel vigilijs ſitive deficiens, vel jam innumeris confectus plagis, & ſuâ inſuper cruce gravatus, eadem ſpatia emenſus ſit. Ita enim gaudebis potiùs, Domino ſic laboranti, etiam cum aliquo labore tuo, paſſus aſſociare; neque temerè, aut ex cauſa qualibet, ſuſceptam ſemel religionem omittes.

*Secundò:* eandem ob cauſam ſunt qui nudis pedibus, præſertim autem ſextâ feriâ, ſacrum hoc iter conficiant. Quo loco memorandum ſuccurrit Fratris noſtri Joannis Berchmanni, in ætate tenerâ ingenuæ pietatis commentum: qui cùm, etiam puer, ferijs ſextis ad diei veſperum, paſsionis Chriſti Stationes religioſo ſtudio circumviſere ſoleret; quos in eum uſum adhiberet, calceis, infernè ſoleam detraxerat; ut & nudis pedibus ingrediens, ſuo, aliquid pro Chriſto patiendi, deſiderio ſatisfaceret, & pedibus supernè obtectis, hanc animi ſui devotionẽ verecundè diſſimularet. *Vit. p. I.*

Nonnuſquam autem intelligo hanc inter pios invaluiſſe conſvetudinem, ut calceolis cilicinis intra conſveta pedum integumenta adhibitis iditer exequantur; occultâ



Digitized by Google

mortalium oculis, ſed divinis perſpectâ atque acceptâ, pietate.

*Tertiò:* id valde ſtudebis, ut hæc Domini paſſibus ſacra ſpatia; non otioſâ aut ſterili ambulatione, ſed magnâ tum corporis modeſtiâ, tum mentis etiam in rem præſentem attentione transmittas. Sive interim juvet, Roſarium Virginis, cum propria eorum myſteriorum, quæ ad Filij paſsionem Matrisve compaſſionem pertinent, conſideratione percurrere: ſive ſolâ mente in recogitandis Dei tui doloribus occupari; præſertim autem inſiſtendo ei articulo, quem proxima Statio tuæ ſubijcit contemplationi.

Juvabit etiam, acriùs quandoque ſpeculari, quid ad id temporis locive Salvator cum animo ſuo reputaret, quo inter hæc mentis habitu, qua oris totius compoſitione eſſet; quo animi ſenſu identidem aſpiceret ad Patrem, ejus ſe nutibus amantiſsimè ſubijciens, eum nobis conciliare ſtudens, & vel ad his majora ſupplicia, ſi ejus gloria aut ſalus noſtra ita poſtulet, promptum ſe ac facilem offerens. Quamobrem tu quoque ijs ſuppares ſenſus indues; téque viciſsim amantiſſimo Domino, ad aſpera quæque pro ejus honore toleranda, paratum exhibebis.

*Quartò:* finges ſubinde te, à S. Angelo tutelari tuo, ad eas ſacras Stationes deduci: quemadmodum legimus B. Lydvinam nonnunquam à S. Angelo ad loca terræ ſanctæ viſenda & potiſsimùm Calvariæ montem, mirabiliter rapi, & per ea deduci ſolitam. Neque verò dubitandum videtur, ſanctum illum cuſtodem tuum, tuâ illâ in communem Dominum pietate delectatum, libenter ſe tibi eo in opere comitem præbere, eosdémque tecum paſſus conficere: ut eum meritò ſpectare poſsis velut loca ſingula commonſtrantem, & quodammodo tibi dicentem, quod alter Angelus dicebat ſanctis mulieribus: *Venite & videte locum, ubi poſitus erat* (vel, ubi hoc illudve paſſus eſt) *Dominus.*

*P. 3. Vit. cap. 3.*

*Matt. 28.*

Aut

Aut illud quod olim Moyſi: *Inſpice & fac ſecundùm exemplar, quod tibi in* horto, in prætorio, in Calvariæ *monte monſtratum eſt.*

Aliàs autem reputabis id tibi præſtari à B. Virgine Dei Matre: quam utique hujus exercitij ducem ac magiſtram, adeóque & præſidem licet agnoſcere. Quippe quæ ad id præire exemplo, ejúſque nobis tanquam formam præſcribere viſa ſit; dum ( velut antea ex Patrum mente docuimus) poſt Filij ſui in cœlum aſcenſum, frequenter ſolebat, loca ipſius ſacris veſtigijs aut doloribus nobilitata reviſere; & quod loco quolibet ille aut egiſſet aut paſſus eſſet comitibus ſuis commemorare; & hoc vel mortalis peregrinationis ſuæ diverticulum, vel orbitatis ſolatium habere.

Aliàs denique ipſum Jesum Chriſtum, ut per eas vias ad ſupplicia tendentem, conſectari cogitatione potes; velut illi propiùs aſſiſtens, ijsdémque quaſi veſtigijs incedens. Modò autem illum aſſectaberis, ut filius patrem, ut diſcipulus magiſtrum, ut Aulicus Regem, ut ſervulus Dominum, ut peregrinus ducem, ut æger medicum, ut ovicula paſtorem: modò te reputabis, vel cum Simone Cyrenæo crucem poſt illum portare, aut illius ſaltem extremum contingere ac ſuſtinere, vel cum B. Berenice, ſudarium illi, vultui abſtergendo, offerre; vel cum Joſepho & Nicodemo defunctum jam de cruce deponere, tumulóve componere, vel aliud quidpiam pij obſequij vivo mortuóve deferre. Hinc enim naſcetur piorum affectuum varietàs, dulces animi ſuſpirationes, & ſuavia cum Chriſto colloquia: quibus non levis modò, ſed jucundus etiam evadet, ſiquis erit, itineris labor; & refectus tibi ſpiritus, ad adverſa vitæ ſufferenda, mirum in modum roborabitur.

*Quintò demum*, ad ipſa paſſionis Dominicæ monimenta, tanquam ( ut dicebamus ) ad opportuna quædam animæ peregrinantis diverſoriola, ſingulatim deflectens; effundes

des coram amantiſſimo Salvatore cor tuum, gratias agens quòd tua vermis ingratiſſimi causâ, hoc illúdve ſupplicium quod quæque Statio repræſentat, tanto amore ſubire dignatus ſit; commendánsque illi animam tuam, & per hanc paſſionem enixè rogans, ne tantus labor pro te ſuſceptus, caſſus ſit, aut ſanguis ejus tibi in vanum effuſus: quam in rem extant certæ quædam precandi formulæ, unicuique Stationi congruentes. Atque ad idem utiles eſſe poſſunt nonnullæ etiam ad JESUM Endologiæ Bloſianæ, quæ facilè ad propria Stationum myſteria accommodabuntur.

Ad extremum ab eo ſpectaculo percutiens pectus revertere, atque ardenti quodam incenſus deſiderio, propenſiùs ei, qui tuâ causâ tanta paſſus ſit, in poſterum ſerviendi.

## §. 3.

### *Quandam ejusmodi ſacrarum Stationum ſpeciem poſſe ab unoquoque privatim ſibi conſtitui.*

SEd quoniam non ubique locorum, ejusmodi paſſionis Chriſti Stationûm uſus aut copia eſt; facilè erit Crucifixi amatori, rationem aliquam excogitare, quâ eas privatim ſibi conſtituat, in iisque ſeſe pro libitu & affectu exerceat.

*Primùm* enim potes, illas ſolâ ſibi imaginatione conſtruere; ſumptis ad id locis idoneis, quibus has illásve paſſionis Chriſti partes aſſignes, earúmque imaginibus, ſolâ mente effictis atque affixis, loca ſingula inſignias. Nam has ubi ſemel vivâ cogitatione unicuique loco alligaveris, & rei totius conſtructionem uſu aliquo confirmaveris; perinde tibi promptum fuerit, ipſo locorum admonitu in memoriam venire cujusque myſterij, & ſenſus cuique accommodatos accipere, atque ſi reipsâ earum rerum formis aut ſimulacris loca ſingula eſſent inſcripta.

Proinde hac arte invenio virum ſanctum Henricum Suſonem mirificè uſum atque adjutum fuiſſe. Hic etenim, prout

prout in ejus vita ſcriptum eſt, noctibus ſingulis, poſt impletum cum fratribus Matutinum officium, Cœnobij ambitum (quem vocant) eique vicina quædam loca obibat, quibus ipse ſolâ mentis deſignatione, certa paſsionis Chriſti myſteria attribuerat atque impreſſerat, exorſus ab ultima cœna, pérque omnes ſuppliciorum gradus ad montem uſq; Calvariæ progrediens; ubique veluti Chriſtum aſſectans, ac paſſuum ejus veſtigia exoſculans, tam vivâ atque efficaci rerum ſpecie, ut Chriſtum ipſum coràm cernere, ejúsque ad mortem tendentis adhærere lateri videretur. *Vit. c. 15.*

Nec abſimile multùm, tametſi id retruſum magis, nec cuivis ſvadendæ aut uſurpandæ induſtriæ eſt, quod de Venerabili Simone Valentino proditur. Qui nempe ſextis ferijs ſolebat, antelucanis horis aut veſpertino crepuſculo, eam Vrbis viam, quæ facinoroſos ad patibulum duceret, ſolitarius ac mœſtus ingredi, intérque eundum comploratione ac gemitu loca omnia complere, perinde ac ſi Dominum Iesum, ad feralem Calvariæ collem, tractum conſectaretur. Evenítque aliquando, ut piæ ſervi ſui ſedulitati, ſeu approbandæ ſeu memorandæ, ipſe Dominus inter vias ei ſe ſpectandum præberet, eo habitu apparatúque, quo vel reipsâ ad Calvarium ductus eſſet, vel inter ipſa crucis ſupplicia verſatus. *Wier. in vita.*

*Deinde* (quod obviæ magis & facilioris eſt operæ) potes, ſi ita res tulerit, vel intra ſecretum cubiculi tui, hoc quidquid eſt piæ exercitationis exequi; ejus parietes inſtruendo diſpoſitis circùm per intervalla pijs Chriſti paſſi imaginibus: quas deinde quando aut quoties libuerit, nullo obſtrepente, nullo interpellante, nullo (extra Deum & Cœlites) conſcio, animi potiùs quàm pedum paſſibus (quanquam & his etiam) obeas, ad quas pronus accidas, quas prece aliquâ ſeu voce ſeu mente conceptâ, piáque ad extremum oſculatione, devenereris, eóque captando velut ſpirituali refrigerio, partem aliquam temporis transmittas.

Digitized by Google

Et ſimili aliquo exercitij genere, intra cellæ ſuæ ſolitudinem uſam eſſe B. Ritam, indicavimus.

Quæ ſanè privatarum Stationum ratio, his præcipuè conveniet Virginibus, quibus ſive per vitæ conditionem, ſive per parentum arbitrium, ſive per ſexûs verecundiam, morémve patrium, ad publicas illas minùs prodire licuerit. In quas illud quadret verbum B. Hieronymi, S. Virgini Euſtochio, ne viſitandi Martyrum reliquias, aliûsve ſimilis religionis obtentu, foris vagari appetat, in hunc modum præcipientis: *Rarus ſit egreſſus in publico: Martyres tibi* (addo ego, & Stationes) *quærantur in cubiculo tuo.* Ep. 22.

*Poſtremò*, ut alia deſint, nihil eſt ſanè quò minùs, ſaltem ſpirituali ratione, ejuſmodi Chriſti patientis Stationes in corde tuo quodammodo conſtituas & ædifices, animúmque eorum myſteriorum imaginibus inſignitum, tanquam ipſa Chriſti cruciatuum loca, aſſiduè tecum circumferas. Quò item ſpectare videtur, illa antè à nobis memorata religioſiſſimi Abbatis Bloſij hortatio: *Depinge mentem tuam ſuaviſſimis imaginibus paſſionis ejus, & floridam Dominicæ crucis arborem planta in medio cordis tui.* Spec. ſpir. c. 10.

Ita videlicet, ut cor tuum tibi ſit pro colle Calvariæ, pro horto Gethſemani, próque alijs myſteriorum locis, quorum cordi inditis atque infixis imaginibus, animum tuum inſtruxeris.

De B. Coleta Ordinis S. Claræ reformatrice ita ſcribit autor ipſius vitæ: *Loca ſancta quæ Chriſtus ſuâ præſentiâ olim in terris degens mirificè ſacravit & ornavit, cum multa reverentia & devotione habebat impreſſa cordi ſuo.* Eodémque pertinet illud B. Hieronymi: *Felix qui crucem & reſurrectionem & locum Nativitatis Chriſti & locum aſcenſionis portat in pectore ſuo.* Et infrà: *Beatus qui Bethlehem habet in corde ſuo, in cujus corde Chriſtus quotidie naſcitur, &c.* Et nonne paſſionis & nativitatis loca in corde ſuo portabant Vit. c. 36. In pſ. 95.

BB. Virgines, Clara de monte Falco & Margarita de Caſtello? in quarum diſſectis cordibus, hujus quidem Chriſti in ſtabulo naſcentis tribus in lapillis effigies, illius autem paſſionis ejuſdem inſignia omnia, expreſſa inventa fuêre. *Vit. c. 8.*

Tandem quod aliqui cum B. Alberto Magno homini ſpirituali præcipiunt, ut Iesu crucifixo templum in corde ſuo exædificet; hoc in rem nobis propoſitam ita licebit extendere: ut, quod in ſacris Baſilicis fieri aſſolet, in quibus præter aram principem, plura per circuitum Sacella, alijs atque alijs Cœlitibus dedicata conſpicimus; idem nobis in hac interioris templi ædificatione ſervandum exiſtimemus. Erigatur ſanè ara princeps quæ Iesu Chriſto crucifixo ſacra ſit, & ipſum nobis repræſentet Calvariæ montem: at plura per ædis ambitum conſtituantur Sacella, reliquis paſſionis myſterijs accommodata & conſecrata. Ut has domeſticas & penetrales Stationes circumgeſtans, ad eas, ubicunque fueris & quoties volueris, te referas; atque in ijsdem piâ cogitatione colluſtrandis, ſive in quacunque vitæ neceſſitate familiare perfugium, ſive inter occupationes & turbas, jucundum ſeceſſum invenias. *Vit. Franc. Caiet. c. 20.*

*Et ô beatum illud Spiritûs S. templum* (exclamat in argumento ſimili Guilielmus Abbas in ſuis meditationibus) *de quo exaltatum in cruce Chriſtum nulla exterminat oblivio, & recens ſemper decurrit ſanguis in ſalutem credentis & amantis, & jugiter operatur quod poſtulat Propheta: Redime me, & miſerere mei! Toties enim redemptionis noſtræ in nobis celebratur effectus, quoties eam recolit pius ſupplicantis affectus.*

Tale aliquod templum in corde ſuo ædificare ſtudebat, aliàs à nobis memoratus P. Petrus Faber, uti proditur in ejus vita.

# Caput XVI.

## *Quid in actibus vitæ quotidianis, aut nonnullis oblatis occaſionibus, amatori Crucifixi faciendum.*

Congerimus in hoc extremum caput farraginem & quaſi ſilvam minutiorum quorundam exercitiorum, quibus actus vitæ quotidianos excolere, diémque totam Jesu crucifixi memoriâ velut conſignare & conſecrare valeamus.

### §. I.

### *Silvula variarum præceptionum ad uſus vitæ quotidianos attinentium.*

Primò igitur ut à prima luce ac diei exordio rem auſpicemur: Cùm primùm manè evigilas, aut cubitu ſurgis, mente ad divina continuò verſâ, Crucifixum adora, gratias agens, quòd te per eam noctem, & corpore incolumem, & peccati immunem ſervaverit: offer ei teipſum, & futuros ejus diei actus tuos, commendans illi viciſſim animam tuam, eúmque per mortem & paſſionem ſuam obſecrans, ne te eâ die in peccatum labi permittat. Quam in rem utilis eſſe poteſt hæc precatio, ex S. Birgittæ revelationibus deſumpta: *Precor te, pijſſime IESV, ut miſerearis mei, qui in cruce ſtetiſti ſanguineus & doloroſus. Et rogo te, per quinque vulnera tua, & per dolorem qui de venis tuis perforatis ad cor proceſſit, quatenus conſervare me digneris hodie ne cadam in peccata.* L. 4. c. 89.

Eandémque Chriſti patientis memoriam, repetito aliquo ſimili affectu, utiliſsimum erit, ad horas ſingulas (quoad ejus fieri poterit) renovare: ad horæ ſignum cruce te ſignando, & facili aliquâ aſpiratione ad Crucifixum te convertendo; illúdque ſpeciatim animo verſando, quid hac illá-

Digitized by Google

illáve ſuæ paſsionis horâ, Chriſtus egerit aut paſſus ſit: uti jam antea indicavimus.

*Secundò:* cùm cibum ſumis; juxta quod in libro Ruth dicitur, & ſuprà de cibo Euchariſtico monuimus; *intinge buccellam tuam in aceto;* memor eſto, inquam, aceti & fellis, quibus Chriſti guſtatus infectus & cruciatus eſt: omnem eſcam tuam paſsionis ejus memoriâ condire & temperare conſveſce. Aut (quod ſublimius Abbatis Bloſij præceptum eſt) *dum corpus cibo & potu reficis, buccellas quas ſumis, devotâ cogitatione intingas in puriſſimum ſanguinem illius (ſi non impediris) & haurias potum ex roſeis vulneribus ejus.* *Inſtit. ſpir. cap. 6.*

Idémque alibi, tanquam ex Joanne Taulero; cùm illud præmiſiſſet: eum qui Deo placere cupit, etiamſi externis negotijs & exercitijs occupetur, nihilominus amabilem incarnati & crucifixi Filij Dei imaginem animæ ſuæ impreſſam ſervare debere, ad quam identidem internos oculos amanter ac placidè convertat; tum ita ſubdit: *Si comedit, & impedimentum nullum patitur, buccellas amoroſo ac fervido Domini IESU ſanguini intingat. Si bibit, potum ſuum ab illo benedici, & ſe ex ſacris ejus vulneribus potare cogitet. Si dormit, ſuper cor illius ſaucium ac ſuave ſeſe reclinet. Si loquitur, illum ſibi adſtare, verba ſua attendere, & intentionem ſuam inſpicere imaginetur. Atque hoc modo ſe totum in præclaram hanc imaginem immergat.* *Marg. ſpir. p. 1.*

Et his paria tradit Henricus Harphius in Schola Sapientiæ: ubi cùm itidem generatim id præcepiſſet: ubicunque imaginem Jesu Chriſti circumferendam; tum ſimiliter exempli causâ nonnulla ponens: *Si comedis,* inquit, *intinge buccellas ſingulas in plagas ejus. Si bibis, memento fellis, quo in cruce potatus eſt. Si manus aut corpus abluis, memento ſanguinis quo animam tuam lavat. Si cubitum concedis, finge tibi crucis lectulum, & caput tuum ſuper pulvinar coronæ ſpineæ reclina.* *Claſſe 1. c. 5.*

# Caput XVI.

## *Quid in actibus vitæ quotidianis, aut nonnullis oblatis occaſionibus, amatori Crucifixi faciendum.*

Congerimus in hoc extremum caput farraginem & quaſi ſilvam minutiorum quorundam exercitiorum, quibus actus vitæ quotidianos excolere, diémque totam Jesu crucifixi memoriâ velut conſignare & conſecrare valeamus.

### §. I.

### *Silvula variarum præceptionum ad uſus vitæ quotidianos attinentium.*

PRimò igitur ut à prima luce ac diei exordio rem auſpicemur: Cùm primùm manè evigilas, aut cubitu ſurgis, mente ad divina continuò verſâ, Crucifixum adora, gratias agens, quòd te per eam noctem, & corpore incolumem, & peccati immunem ſervaverit: offer ei teipſum, & futuros ejus diei actus tuos, commendans illi viciſſim animam tuam, eúmque per mortem & paſſionem ſuam obſecrans, ne te eâ die in peccatum labi permittat. Quam in rem utilis eſſe poteſt hæc precatio, ex S. Birgittæ revelationibus deſumpta: *Precor te, piiſſime IESV, ut miſerearis mei, qui in cruce ſtetiſti ſanguineus & doloroſus. Et rogo te, per quinque vulnera tua, & per dolorem qui de venis tuis perforatis ad cor proceſſit, quatenus conſervare me digneris hodie ne cadam in peccata.* (*L. 4. c. 89.*)

Eandémque Chriſti patientis memoriam, repetito aliquo ſimili affectu, utiliſsimum erit, ad horas ſingulas (quoad ejus fieri poterit) renovare: ad horæ ſignum cruce te ſignando, & facili aliquâ aſpiratione ad Crucifixum te convertendo; illúdque ſpeciatim animo verſando, quid hac illá-

Digitized by Google

illáve ſuæ paſsionis horâ, Chriſtus egerit aut paſſus ſit: uti jam antea indicavimus.

*Secundò:* cùm cibum ſumis; juxta quod in libro Ruth dicitur, & ſuprà de cibo Euchariſtico monuimus; *intinge buccellam tuam in aceto;* memor eſto, inquam, aceti & fellis, quibus Chriſti guſtatus infectus & cruciatus eſt: omnem eſcam tuam paſsionis ejus memoriâ condire & temperare conſveſce. Aut (quod ſublimius Abbatis Bloſij præceptum eſt) *dum corpus cibo & potu reficis, buccellas quas ſumis, devotâ cogitatione intingas in puriſſimum ſanguinem illius (ſi non impediris) & haurias potum ex roſeis vulneribus ejus.* *Inſtit. ſpir. cap. 6.*

Idémque alibi, tanquam ex Joanne Taulero; cùm illud præmiſiſſet: eum qui Deo placere cupit, etiamſi externis negotijs & exercitijs occupetur, nihilominus amabilem incarnati & crucifixi Filij Dei imaginem animæ ſuæ impreſſam ſervare debere, ad quam identidem internos oculos amanter ac placidè convertat; tum ita ſubdit: *Si comedit, & impedimentum nullum patitur, buccellas amoroſo ac fervido Domini IESU ſanguini intingat. Si bibit, potum ſuum ab illo benedici, & ſe ex ſacris ejus vulneribus potare cogitet. Si dormit, ſuper cor illius ſaucium ac ſuave ſeſe reclinet. Si loquitur, illum ſibi adſtare, verba ſua attendere, & intentionem ſuam inſpicere imaginetur. Atque hoc modo ſe totum in præclaram hanc imaginem immergat.* *Marg. ſpirt p. 1.*

Et his paria tradit Henricus Harphius in Schola Sapientiæ: ubi cùm itidem generatim id præcepiſſet: ubicunque imaginem Jesu Chriſti circumferendam; tum ſimiliter exempli causâ nonnulla ponens: *Si comedis,* inquit, *intinge buccellas ſingulas in plagas ejus. Si bibis, memento fellis, quo in cruce potatus eſt. Si manus aut corpus abluis, memento ſanguinis quo animam tuam lavat. Si cubitum concedis, finge tibi crucis lectulum, & caput tuum ſuper pulvinar coronæ ſpineæ reclina.* *Claſſe 1. c. 5.*

*Prolog. 1. arboris &c.* Demum apud Vbertinum de Caſali, varias item conſiderationes invenies; quibus illi, inter veſcendum, ſeſe Chriſto ejúsve Matri veluti convivam adjungeret; ut, exempli gratiâ: *Die Veneris* (inquit) *comedebam panem doloris cum ipſo, miſcendo ſpinas, clavos, & lanceam & ſanguinem morientis IESU, & bibebam aquam de aperta vena cordis ipſius. Item*: *Die Dominico cum IESU benedicto in medio diſcipulorum comedebam, & dulciter cum Thoma palpabam vulnera reſurgentis.* Et ita per dies reliquos hebdomadæ, quos ſemper aliquâ novi exercitij viciſſitudine variabat.

Cæterùm hîc rectè ad extremum admonet Ludovicus Bloſius: introverſionem hanc (uti appellat) cum diſcretione colendam, ne caput lædatur, & natura deſtruatur. Quod & nos quoque, ubi res poſtulare viſa eſt, nec ſemel (opinor) aſcetam noſtrum admonuimus.

*Tertiò*: quando ſub noctem lecto te committis quietis gratiâ, non ſinè pudore ac verecundia id facito; hiſce temetipſum increpans: Hem! quantum diſſidet torus iſte à lectulo crucis! quàm diſſimili ſtrato cubant Sponſus & Sponſa! quanto molliùs præ Dei Filio & Rege gloriæ, tractor ego vile mancipium! ut qui in molli culcitra aut ſtrato ſuaviter dormiam; ubi ille affixus præduro ligno, neque recubans ſed pendens, non habet ubi caput reclinet.

Aut certè eundem in ſenſum illud Sponſæ uſurpa de ſacro Cantico: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Ego in molli ſtrato ſomnum capio, & indulgeo quieti; interea dum dilectus meus, cor inquam meum, & vita mea, ſive prolixâ prece noctem producit, ſive inter ſævás lictorum manus vigilare cogitur, ſive in ferali cruce diſtentus, non quieti vacat aut ſomno, ſed per ſummos angores animâ agit.

*Cant. 5.*

Cùm veſtes ponis, memento cruentæ veſtium detractionis & ignominioſæ nuditatis Dei tui; primùm flagellationis, ac demum crucifixionis gratiâ; ipſum obſecrans

per

per illam probroſam nuditatem, ut tibi prodigo ad eum revertenti redonet ſtolam primam ſanctitatis & innocentiæ; pòſt verò induat te ſtolâ gloriæ & immortalitatis.

Cùm veſtem reſumis; veniat in mentem vinculorum ejus; item candidi aut purpurei veſtimenti, quibus tuâ causâ per ludibrium obtectus eſt. Ab eo contende ut dignum te reddat, qui ijsdem cum illo veſtibus induaris; hoc eſt, ut opprobrij ſui atque contemptûs, contumeliarúmque & injuriarum, te velit eſſe participem.

Si tibi per noctem ſomnus rumpitur, aut moleſtiore vigiliâ vexaris, fac, eas quas dixi Filij Dei vigilias cogites; & quot ille noctes inſomnes duxit in oratione Dei.

Sed illa præſertim ſubeat animum imago triſtiſsima ſupremæ noctis, quam inter militum & mediaſtinorum convitia, jocóſque petulantes, atque amaras inſectationes, in domo Caiphæ acerbiſſimam expertus eſt.

Imitare B. Gertrudem, quæ cùm noctem quandam pœne duxiſſet inſomnem, & exinde ſeſe multùm debilitatam ac defectam viribus ſentiret, eam virium defectionem Domino Jesu amanter obtulit, ad laudem ipſius æternam, *L. 3. c. 52.* omniúmque ſalutem: quod equidem ſibi fuiſſe acceptiſsimum ipſe Dominus, verbis amantiſsimis, eidem continuò declaravit.

Denique ſuaviſsima eſt illa apud Joannem Lanſpergium, ſomno jam propinquante ſuſpiratio: *Dulciſſime IESV, fac me requieſcere ſuper pectus tuum; da mihi trahere anhelitum ſacrum de ſanctiſſimo corde tuo, ut ſpiritus tuus ſuaviſſimus influat in animam meam, atque rurſum totum ſpiritum meum poſt ſe trahat, in ſe abſorbeat, atque inſeparabiliter ſibi uniat, Amen.* *Pharetra div. am. l. 2. p. 1.*

Conſequenter autem alio quodam in tractatu tibi ſuggerit idem pius Scriptor; ut dormiturus fingas te os tuum ponere ſuper vulnus lateris Jesu Chriſti: *& ibi* (inquit) *ef-* *Enchir. c. 8.*

*flan-*

*flando retrahendóque ſpiritum (hoc eſt, aſpirando & reſpirando) mentaliter dic* IESVS. *Verbi gratiâ, trahendo anhelitum, mente dic* IE, *emittendo verò*, SVS; *& ita ſingulis reſpirationibus toties dicas* IESVS, *quoties anhelitum trahis, donec obdormias.* Sic ille. Cui ſimilem aliquam cogitationem, ſcio etiam quibusdam alijs viris pijs incidiſſe.

Sed neque fortaſſis aſpernandum, ut leve nimis, aut æquo operoſioris induſtriæ, quod hoc loco nonnulli ex quadam amoris ac pietatis in Crucifixum abundantia ſuggerunt; ut, quoad à nobis impetrare poterimus, brachijs aut manibus in crucis modum conformatis ſomnum captemus, & ita cum cruce & ipſo Chriſto, piè ac dulciter obdormiſcamus. Quâ ratione antea à nobis indicatum eſt, Mariam Raggiam, manibus in crucis morem compoſitis, crucem complexam, cum Sponſo ſuo condormiviſſe. *l.1.Vit.c.11.*

## §. 2.

### *Familiares aliæ, pro varijs rerum eventibus, exercitationes.*

JAm quod ad alias occaſiones variè ſubinde oblatas attinet, potes ad hanc formam in earum occurſu exerceri.

Si foras prodis, adjunge te Chriſto comitem: aut illum finge inter vias tibi occurrentem, ſive quo habitu cum diſcipulis Jeroſolymis egreſſus pertranſijt torrentem Cedron, ad clivum Oliveti contendens; ſive qualis onuſtus vinculis & ſatellitum medius, ad Caypham, Herodem, Pilatum raptatus eſt; ſive quâ ſpecie bajulans ſibi crucem conſcendit Calvariæ collem.

Quòd ſi propter viam fortè offendis defixam crucem; dic cum Eccleſia: *Adoramus te, Chriſte, & benedicimus tibi, quia per crucem tuam redemiſti mundum.*

Ad imaginem Crucifixi; dic, vivâ fide & cum animi ſenſu intimo: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*; atque in manus ejus commenda animam tuam.

Si

Si in pauperem incidis, ſi leproſus occurrit aut ulceroſus; agnoſce in viva ſua imagine Jesvm pauperem & vulneratum: & ſubveni, ſi potes; ſi non potes, ſaltem commiſerare.

Si cum aliquo apparatu ornatúque aut pompa prodis; reputa tecum quàm miſerando habitu Chriſtus, Pilato eum producente, coram populo comparuit; & erubeſce, te vilem terræ vermiculum, tam diſſimilem videri Deo tuo.

Si aliquid objectum fuerit quod ſenſus titillet, aut minùs caſtas ſpecies ingerat; continuò oculos revoca ad Chriſtum crucifixum, cujus amabilem ſpeciem menti impreſſam circumferas; & illud ipſe tecum dicito: Amor meus crucifixus eſt; deliciæ meæ, plagæ ſunt Salvatoris mei.

Si in homines incidis indignis vocibus, ſeu quocunque demum offenſæ genere, divinum Numen contumeliâ afficientes; commovere intimis ſenſibus, & dole ex animo, quòd tot hominum ſceleribus multiplicentur flagella Deo tuo. Illacryma, quòd amor non ametur. Opta, vel morte tuâ & ſanguine, redimere poſſe offenſas Dei tui, tam indigna támque acerba pro te paſſi.

Tandem ſi aliquâ injuriâ aut contumeliâ afficeris; recogita eum qui talem ſuſtinuit à peccatoribus adverſus ſemetipſum contradictionem.

Si aliquâ laboras infirmitate: *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit.* *Iſa. 53.* Si caput dolet, recordare coronæ ſpinis conſertæ. Si febri æſtuas; agoniæ & ſanguinei ſudoris.

Quidquid erit denique quod aſperi aut adverſi occurrerit; tibi gratulare, quòd tandem dignus habitus ſis, qui aliquid cum Chriſto patiaris; *gaude* (quæ B. Auguſtini voces ſunt) *In pſ. 54.* *quia inventus es in aliqua ſimilitudine paſſionum Regis tui*; offer illud æterno Patri unà cum doloribus & paſſione Vnigeniti; iſto denique qualicunq; patientiæ tuæ obſequio, Deo tuo illatas injurias ſupplere & compenſare ſtude.

Digitized by Google

Hac arte facili, nec operoſâ (ſi quis ſaltem ad eam devotum animum & bonam voluntatem attulerit) magnum invenies ſolatium in adverſis, robur in tentationibus; peccata vitabis, in virtutum ſtudio multùm proficies, multiplicabis apud Deum merita; & labores tuos operáque omnia, ipsâ ad Chriſti paſsiones adjunctione, conſecrabis & pretioſa facies, eritque vita tua perpetua quædam Chriſti patientis meditatio; eique te gratum exhibebis, & (quod à te expetit) dolores illius certo quodam modo conſolaberis, atque ſancto amore Domini tui crucifixi magis ac magis inardeſces.

Et quamvis ad hujus exercitij rationem ac vim demonſtrandam, ſufficiant fortaſſis ea capita, quæ hîc, loco exempli, & formæ modo, ſigillatim propoſuimus; facere tamen non poſſum, quin & hunc alterum paragraphum adjungam, ad uberiorem ejuſce rei ſeu commendationem ſeu confirmationem.

## §. 3.

### *Affines jam dictis, B. P. Franciſci Borgiæ ad uſus eosdem commentationes.*

INter opuſcula B. Franciſci Borgiæ, quæ etiamnum Dux Gandiæ, ad ſui aliorúmque profectum ſcripſit, invenies exercitium iſti quod proponimus non abſimile, quod ipſe ait appellari poſſe: *Speculum operum Chriſtianorum*; in quo ſingulis diurnis operibus, aut alijs ex occaſione occurrentibus, breves quasdam aſſignat conſiderationes, quibus homo præſertim in vitæ & mortis Chriſti commemoratione ſe exerceat, tria hæc attendens per ſingula: *Primum*: ut ſe in ſingulis rebus confundat. *Secundum*: ut Deo gratias agat. *Tertium*: ut aliquid à Deo petat.

Atque ut nonnulla, quæ potiſsimùm huc pertinent exempli causâ ponamus,

Cùm oras (inquit) cubitum iturus; confundere, quòd cùm Chriſtus in cruce tanto & amore & dolore preces fuderit; tu tamen parùm ames, parúmque doleas. Gratias age, quòd moritur ille, & tu vivas. Pete, ut per eum dolorem, quem ſenſit ipſe quidem moriens, ejus verò Mater morientem aſpiciens, id nobis concedat, ut & in morte noſtra mortis ipſius recordemur, & propter ipſius mortem, noſtra ſit æterno Patri accepta.

Rurſum: Cùm te noctu veſtibus exuis; confundere, quòd requieſcere in lecto vis, idque exutus veſtibus, cùm pro te Chriſtus & indutus veſtibus ſomnum ceperit, & ubi reclinaret caput, non habuerit. Gratias age, quòd ijs quæ pro te paſſus eſt, tibi veterem hominem exuerit. Pete, ut per eum dolorem, quem ſenſit, cùm veſtibus crucifigendus exueretur, nos malis mentis habitibus & moribus exuat, ut nudi rebus terrenis crucem amplectamur, atque in cruce morientes nuptialem veſtem mereamur, quam præparavit æternus Pater diligentibus ſe.

Ad quam ille formam reliqua deinceps exequitur priori Exercitij parte. At in poſteriori, breviori methodo plura conglobat ad pij lectoris informationem: de quibus etiam pauca juvabit apponere.

Cùm ſtat (inquit) meminerit ſtantis ante Judicem Chriſti. Cùm ſedet; ſedentis Chriſti, cùm ei illudentes impij dicerent: *Ave Rex Iudæorum.* Cùm defatigatur; defatigati ex itinere Chriſti, & ſedentis ſupra fontem. Cùm friget; algentis in præſepio Chriſti. Cùm fame premitur; ejus quam in deſerto paſſus eſt. Cùm ſitit; in cruce ſitientis. Cùm dolore aut morbo gravatur; flagellis cæſi ad columnam, ſpiniſque caput cincti, atque in crucem adacti, ubi à planta pedis ad verticem, non erat in eo ſanitas. Denique cùm morti propinquus eſt, morientis Chriſti recordetur, atque in Patris manus ſpiritum commendantis.

Atque ita in omnibus Chriſto, quem ſimilia aut feciſſe aut pati meminit, ſeſe offerat. Ita ex his & ſimilibus affectibus, magnum, qui ſe in charitate hoc modo exercebit, fructum referre poterit. Sic ille.

Quibus plura ſiquis voluerit, nonnulla ejusmodi reperiet etiam apud Joannem Lanſpergium in Pharetra divini amoris lib. 1. parte 3. & 4. & præcipuè lib. 2. parte 2. quæ (ut præſefert titulus) complectitur in ſe exercitia effuſionésque cordis, quibus anima quæcunque devota die noctúque ſeſe ad ſui abſtractionem & introverſionem poſſit exercere, atque ex ſingulis quæ occurrunt invenire vel materiam orandi, vel occaſionem elevandi ſe ad DEUM.

PARS

Digitized by Google

# PARS III.

## Interior animæ circa Chriſtum crucifixum occupatio, per actus potiſsimùm virtutum theologicarum.

## CAPUT I.

### *Magnum eſſe operæ pretium, erga Chriſtum in cruce pendentem crebris fidei actibus exerceri.*

### §. I.

*Exercitationis propoſitæ uſus & fructus exponitur.*

ORdior ab ea virtute, quæ uti cæterarum baſis eſt, ita cæterarum poſtulat exercitio præſtrui; fide videlicet, de qua hoc primum eſto præceptum: Rem eſſe Chriſtiano homine digniſſimam, multique quæſtûs & compendij ſpiritualis atque ad rem præſentem cum primis neceſſariam, adverſus Chriſtum crucifixum fidem ſuam crebrò, neque id leviter aut defunctoriè, ſed accuratè ſtudioséque exercere.

Primùm, quòd niſi oculatam fidem vividámque animi perſvaſionem, ad ea quæ hìc proponuntur exercitia, attulerimus; enerves & fluxi futuri ſint affectus cæteri, & ſterilis, aut frugis exiguæ, omnis circa Chriſti paſſionem aſſumpta mentis exercitatio. Langueſcet quippe fiducia, intepeſcet amor, remittet ardor devotionis: præclara illa patientiæ Chriſti cæterarúmque virtutum ejus exempla, ſuo ſtimulo careant oportet, ſi non eum tibi ob oculos, ut Deum ac Dominum tuum fidei ope propoſueris; & illos in re propoſita omni-

omnium ſanctorum affectuum uberes ac certiſſimos fontes: *Quis, quid, pro quibus, quo amore, quá libentiá patiatur*; crebrá fidei exercitatione promptos atque apertos habueris.

Deinde, quòd is fidei actus, & ipſe per ſeſe magni ſit apud Deum pretij, & propria nota ſit & tanquam character hominis Chriſtiani; ut nempe & corde credamus & ore confiteamur, ipſum verum & unicum Dei Filium, non ex infirmitate aut impotentia, ſed ex ingenti erga nos amore, & ſolo ſalutis humanæ deſiderio, tam acerba támque indigna paſſum, & in crucem actum, latronum medium expiráſſe: quando eum reliqua hominum natio, vel ignorat extitiſſe unquam, vel ſolùm hominem retur fuiſſe, vel deteſtatur ſanè ut furciferum ac patibulatum, ipſóque adeò genere mortis, ſacrum & execrandum.

Uti igitur olim hominibus ſecundùm carnem ſapientibus, aut naturæ ductu, ſenſúque humano, divina metientibus, ad primam vocem evangelicæ prædicationis, nihil tam abſurdum atque à ratione alienum viſum eſt, quàm hominem quondam à ſuis civibus crucifixum, Dei Filium prædicari, próque Deo haberi & coli; quod proinde vulgari & quotidiano convitio ſolebant Gentiles objectare noſtris hominibus: ita è contrario menti, diviniori fidei lumine colluſtratæ, nihil tam magnificum atque divinum apparet, nihil ita dulce & amabile, nihil in quo digniùs occupetur ejus contemplatio, quàm ut Jesvm Chriſtum, & hunc crucifixum, Deum ac Dominum ſuum agnoſcat, adoret, colat, atque eruditiore fidei oculo ſub ipſa crucis ignominia latentem inſpiciat divinitatem. Hæc eſt enim illa ſtultitia prædicationis, continens ſapientiam in myſterio abſconditam, in qua liberè gloriatur Apoſtolus: *Prædicamus*, inquiens, *Chriſtum crucifixum: Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam; ipſis autem vocatis, Iudæis atque Græcis, Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam.*

*1. Cor. 1.*

Poſtre-

Poſtremò, quòd id exercitij ipſi Chriſto Deo ac Salvatori noſtro perquam glorioſum, eóque nomine jucundiſſimum & acceptiſſimum, ſit. Redundat enim ad Redemptoris noſtri magnam gloriam, quòd in illa ſumma infirmitate & abjectione crucis ſuæ, is ut Rex gloriæ & Dominus virtutum agnoſcatur, qui ( ſi oculis carnis credimus ) noviſſimus virorum videatur; immò in quo, ob vultûs atque membrorum, à vibicibus, à plagis, à ſanguine, à ſputis, à livore deformationem, vix hominem poſſis agnoſcere. Hæc nimirum ipſius crucis virtus eſt, hæc potentia Crucifixi, quòd à terra elevatus mortalium corda ad ſe traxerit, arundine crucis, & hamo prædicationis; quòd orbem non ferro, ſed ligno domuerit; quòd rem, in ſpeciem & factu impoſſibilem & Deo indignam, & creditu ſtultam, omni intellectu in captivitatem redacto, univerſo mundo perſvaſerit. 1. Cor. 10. Quapropter Beatus Bernardus, triplicem illam admirans (ut ipſe appellat) mixturam; Dei ſcilicet & hominis, virginis & matris, fidei & cordis humani: *Ergóne credendum eſt*, inquit, *quòd iſte Deus ſit, qui ponitur in præſepio, qui vagit in cunis, qui omnium infantilium neceſſitatum injurias patitur, qui flagellatur, qui conſpuitur, qui crucifigitur? &c.* Serm. 3. in Vig. Nativ. Quod equidem nemo eſt qui fieri poſſe crederet, niſi omni humano ſenſu major autoritas factum doceret; & ſenſus noſtros, cunctabundos licet ac reſiſtentes, ipſa fides ſibi ſubijceret, atque ita in cordibus noſtris, déque ipſis noſtris cordibus, exultans triumpharet.

Præclarum igitur atque glorioſum Chriſto eſt, cùm fidem noſtram circa Crucifixum exercemus. Eo quippe pacto, tanquam triumphanti de cordibus noſtris Salvatori, obſecundamus ac plaudimus, atque ſenſus noſtros quaſi captivos & religatos, ante currum ejus Gloriæ trahentes, divini triumphi ſpeciem ac pompam amplificamus: aut certè ( ut hunc ſenſum meum iſtâ aliâ figurâ exprimam ) ipſum men-

mentis noſtræ & intelligentiæ ſupremum apicem, veluti capitis noſtri coronam, Deo & Agno ſummittentes, prout de Senioribus viginti quatuor in Apocalypſi legimus; ipſi Agno qui occiſus eſt, virtutem, & divinitatem & ſapientiam & gloriam adſcribimus.

*Apoc. 4. & 5.*

## §. 2.

### *Ejusdem exercitij quædam quaſi formula traditur.*

VErumtamen, ut huic exercitio rationem ac formam aliquam noſtris uſibus magis accommodatam præſcribam; poteris, mi Lector, ubi res feret, in hunc ferè modum circa Crucifixum exerceri.

*Primò*: Brevi præmiſsâ præfatiunculâ & cœleſti lumine implorato, conſtitues te in conſpectu Chriſti crucifixi, & fixis in eum tuæ conſiderationis oculis, contemplaberis virum illum dolorum in infami ligno pendentem atque in latronum medio morte turpiſſimâ & acerbiſſimâ occumbentem; ſimúlque extremam miſerrimi hominis nuditatem, abjectionem ſummam, incredibilem dolorem angoresque inexplicabiles recognoſcens, velut admirabundus tecum exquires: quis tandem ille ſit infelicisſimus mortalium, tam indignum in morem affectus opprobrijs, confectus plagis; neque tantùm, ut vitâ indignus, oppreſſus & conculcatus ab hominibus, ſed à Deo quoque (uti ipſe gemens agnoſcit) derelictus atque afflictus.

*Secundò*: Tum verò aperto fidei oculo, & ultra quàm ſenſus aut ratio aſpirare poſſit, contuens; deprehendes, & gratus agnoſces, illam hominis contemptiſſimi miſerandam ſpeciem, illum virorum noviſſimum, illum leproſum & percuſſum à Deo, illum ſeu Gentium fabulam, ſeu Judæorum opprobrium, illum denique vermem & non hominem, eſſe Dei Filium unigenitum, atque adeò & ipſum Deum ac Dominum tuum, qui te omnipotente dexterâ ſuâ,

& olim

& olim è nihilo eduxerit, & etiamnum alat, vegetet, tueatur; in cujus manibus ſortes tuæ ſint, à quo pendeat vita & ſalus tua, quo denique auctore omne bonum & hactenus tibi provenerit, & in poſterùm expectandum ſit. Jámque adeo intendens aciem in illam tot rerum, quæ inter ſe pugnare videantur complexionem, & in ſummâ illâ Crucifixi infirmitate ipſam Dei virtutem ac potentiam, in tanta abjectione & depreſsione tantam excelſitatem ac majeſtatem, in ea demùm extrema miſeria ſupremam gloriam ac felicitatem contemplans, exclamare incipies cum S. Bernardo: *O humilem & ſublimem! ô noviſsimum & altiſsimum! ô opprobrium hominum & gloriam Angelorum!* Quo itidem ſpectant & illa S. Ambroſij: *Potens erat, & deſpiciendum ſe præbuit. Terram movebat, & hærebat in ligno. Cælum obducebat tenebris, mundum crucifigebat, & crucifixus erat. Exinanitus erat, & replebat omnia. Scarabæus audiebatur, & Deus agnoſcebatur.*

*Fer. 4. hebd. pen.*

*Serm. 3. in Pſ. 118.*

*Tertio*: Poſt hæc denique, ad fidem tuam exſuſcitandam conteſtandámve, ad Crucifixum converſus, aut eum etiam ſumens in manus, vel corde vel ore dices cum S. Petro Apoſtolo: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi:* aut cum S. Thoma Crucifixi vulnera contrectante; *Dominus meus & Deus meus!*

Qui te non noverunt, Domine Jesv, quique iſtis carent interioribus oculis, quibus per gratiam tuam me donâſti, in te nihil præter infirmitatem & dolorem, contemptum & abjectionem aſpiciunt, téque duntaxat ut hominem, eúmque miſerrimum attendunt, percuſſum à Deo, & inter ſceleratos reputatum. At ego, cui tuo ſanguine oculos aperire dignatus es, eóſque divino magiſterio tuo erudire, liberè indubitantérque pronuntio: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi. Tu es Dominus ac Deus meus.* Tu es vita, ſalus, dulcedo, gaudium, præſidium,, honor, decus, coronæ feli-

felicitas & omne bonum meum. Adoro te ut Deum, veneror ut Dominum, amplector ut Sponſum. Eundem te contemplor & agnoſco in patibulo, quem agnoverunt Magi in ſtabulo, quem Seraphini adorant in cœlo. Atque illi quidem te ſuſpiciunt plenum gloriâ, paterno in ſinu divinis ſplendoribus refulgentem. At me, dum adhuc exul & peregrinus per fidem ambulo, delectat illa obſcuritas & velut umbra crucis tuæ, ſub qua me juvet interim requieſcere, & fructus ejus dulces carpere; hoc eſt, de tua infirmitate robur, de ignominia gloriam colligere, de morte vitam, de plagis ſalutem, de livore medicinam; donec aſpiret dies, & inclinentur umbræ.

*Quartò:* Aliàs potes variandi gratiâ, ſive felicis illius latronis & (ut eum appellat S. Cyprianus) collegæ martyrij Chriſti, perſonam & affectus induere; ipſúmque JESVM in cruce pendentem, inter blaſphemas convitiantium, inſultantium, inſectantium voces, Dominum gloriæ ac Regem ſæculorum agnoſcendo, ſuppliciter ab eo petere; ut cùm jam in regnum ſuum venerit, meminiſſe dignetur pauperculæ animæ tuæ. Sive centurionis aliorúmque Chriſti cuſtodum, qui viſo terræ motu aliíſque in ejus morte prodigijs, timuerunt valde dicentes: *Verè Filius Dei erat iſte.* Quo loco aptè nos admonet S. Bernardus: *Videte quàm oculata ſit fides, quàm lynceos oculos habeat, conſiderate. Cognoſcit Dei Filium lactentem, cognoſcit in ligno pendentem, cognoſcit morientem. Siquidem latro in patibulo, Magi in ſtabulo cognoſcunt; centurio verò vitam agnoſcit in morte.* Sive denique afflictiſsimæ Matris piorúmque ejus comitum ſenſus capere: quorum uti interno aſpectui longè alia tunc ſpecies occurrebat, atque eſſet in oculis impiorum (qui, uti loquitur Leo Magnus, *nihil in crucifixo Domino, præter facinus ſuum, cogitare potuerunt*) ita & longè diverſis concitabantur affectibus; dum in illa triſti & miſerabili ſervi

*Serm. de Paſſ.* — *Luc. 23.* — *Matt. 27.* — *Serm. 2. de Epiph.* — *Serm. 8. de Paſſ.*

ſpecie

ſpecie occultè latentem introſpicerent incommutabilem Deitatem, atque ad extremæ, illinc indignitatis, hinc dignationis, admirabile commercium, poſt reciprocos amoris & doloris æſtus, velut ſacro quodam horrore perculſi conſiſterent; Vt de ſanctis Angelis nihil jam dicam. Nam & lectulum hunc noſtri Salomonis innumeri Fortes ambiunt è militia cœleſti: qui quidem non fide, ſed apertâ viſione ac ſpecie, divinæ hujus œconomiæ ſacramenta intima obtuentes, hoc profundiori admiratione defixi hærent; id fortaſſe ſecum convolventes, quod in Iſaia ſcriptum eſt: *Verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſraël Salvator.* *Iſa. 45.*

Hîc etenim verè, ſi uſquam, Domine JESV, Deus & abſconditus, & Salvator es; eóque Salvator, quia abſconditus. Neque verò morti pro noſtra ſalute ſuccumberes; niſi Divinitatem tuam iſtâ carnis noſtræ infirmitate obvolveres, & (ut relatas à Tertulliano voces uſurpem) *vim majeſtatis tuæ, intolerabilem utique humanæ mediocritati, humilitate temperares.* *L. 2. cont. Marc. c. 27.*

*Quintò:* Ad extremum ea ſit exercitij clauſula; ut ipſi Chriſto crucifixo ex intimis medullis gratias agas, quòd fidem ſui ac myſteriorum crucis ſuæ tibi inſpiraverit ac donaverit; rémque ad æternam tuam ſalutem tantopere neceſſariam, ſed ab intelligentia ſenſúque noſtro longiſſime disjunctam, & à ſapientibus ac prudentibus abſconditam, tibi parvulo revelaverit: confidens fore (& verò etiam id enixè poſtulans) ut hoc beneficium ſuum velit eſſe perpetuum, animóque tuo inditam fidem in dies augeat, & ad exitum uſque confirmet.

Quo etiam in loco mihi obiter admonendus es: Id quod antea universè ex Patrum ſententia docuimus, recurſum ſcilicet ad Chriſtum crucifixum, efficaciſſimum eſſe adverſus quaslibet tentationes remedium; idem ſpeciatim ac nominatim valere, in obrepentibus obſtrepentibúsque ad-

 verſus

verſus fidem cogitationibus. Quocirca ſi quando animum tuum ejuſce generis tentatio aliqua importuniùs ſolicitet; non omittes illico ad iſtud obvium atque ſolenne præſidium confugere, ſed ſive ad Chriſti crucifixi pedes advolutus, ſive eum complexus & cordi orive apprimens, aliquam pro tuo affectu adhibebis ex ſubjectis aſpirationibus; quæ ex ſcriptura ferè depromptæ ſunt, & ad uſum præſentem accommodatæ.

Dices igitur illi: *Domine, ſalvum me fac. Ecce motus magnus factus eſt in mari; & tenebræ operiunt terram cordis mei. Emitte manum tuam de alto, & eripe me; fulgura coruſcationem, & diſſipa omnes perturbationes inimici. Emitte lucem tuam & veritatem tuam: & illumina vultum tuum ſuper nos. Illumina oculos meos ne unquam obdormiam in morte, & prævaleat adverſus me inimicus; qui intendit arcum ſuum in tenebris, ut ſagittet in occultis immaculatum. Exurge Deus, judica cauſam tuam: Adjutor meus & ſuſceptor meus es tu. Spes mea ab uberibus matris meæ. Non dimittam te, niſi benedixeris mihi.* Et his ſimilia. Quibus id conſequare, ut inter brachia Salvatoris, ſi non continuò optatam pacem animique tranquillitatem invenias, at ſolatium tamen in tribulatione, & lumen ac robur ſingulare adverſus diaboli turbamenta accipias.

# CAPUT II.

## *Varij ſanctæ fiduciæ fontes ex paſſione ac morte IESU Chriſti.*

QUantam fiduciam in Chriſti Salvatoris noſtri paſſione ac morte (quantum ad æternam ſalutem noſtram pertinet) reponere debeamus; non unâ ratione ac viâ demonſtrari poteſt. Sed cùm generatim ejuſce fiduciæ ſe

ſe tres quaſi fontes aperiant; primus ex parte Dei, alter ex parte Chriſti, poſtremus ex parte noſtri: hos exponemus in præſenti capite, pòſt ad nonnulla peculiaria fiduciæ argumenta deſcenſuri.

Porrò ex his quæ hîc & deinceps noſtrâ quadam methodo proponimus, facilè erit unicuique certa capita decerpere, quæ ordine digeſta, ſuæ meditationi ſubijciat; atque ita nunc ad fiduciam, aliàs autem ad Dei amorem, aut malorum patientiam, ſe, accommodatè genio ſuo, exerceat.

## §. I.

### *Æterni Patris Vnigenitum ſuum tradentis ſumma adverſum nos charitas.*

IN primis igitur de ſalute noſtra optimè nos jubet ſperare, immenſa illa Patris cœleſtis adverſum nos charitas; quâ, ne genus noſtrum, infelici in primo parente ruinâ convulſum atque disjectum, irremediabili damnatione periret, & ſpei omnis ac ſalutis exſors jaceret; ſuo quodammodo detractum ſinu Vnigenitum noxæ dedidit, & (quod eam in rem commendat Apoſtolus) *pro nobis omnibus*, nobis inquam omnibus, *tradidit illum.* Cui uni in ſpeciem argumento quàm efficax ineſt, & quàm multiplex fiduciæ ratio! *Rom. 8.*

*Primùm*: quòd ille Pater miſericordiarum, nullâ aliâ re magis, ut maximè vellet, demonſtrare potuerit, quantopere illi curæ & cordi eſſet ſalus noſtra; quàm ſi ex illius quodammodo inſano deſiderio, ad tam difficilem, inſolentem, peregrinum, & non modò ab omni ſenſu & cogitatione noſtra remotum, ſed (ſi noſtro ſenſu rem æſtimemus) dignitati ſuæ parùm conſonum, immò ſibi probroſum ac diſpendioſum, illius quærendæ ac conciliandæ modum deſcenderet: cùm nemo ſapiens ad tam inſolitas & alienas rei cujuſpiam conficiendæ obtinendæve rationes deveniat, niſi qui hanc ſummè & unicè, omnique ſtudio & contentione animi, effectam optaverit.

 Quæ

Quæ ne quis forſitan inſolentiùs à nobis exaggeratiúsve dicta exiſtimet; attendat Beatum Ambroſium, qui, cùm ad illud Apoſtoli reſpiciens; *proprio Filio ſuo non pepercit;* dixiſſet, pulchro verbo uſam eſſe Scripturam, ut Dei Patris erga nos pium propoſitum declararet: *Conſidera* (ſubdit) *affectum patrium. Quod pietatis eſt, quaſi morituri Filij ſuſcepit periculum, quaſi orbitatis hauſit dolorem, ne tibi periret fructus redemptionis. Tantum fuit Domino ſtudium tuæ ſalutis, ut propemodum de ſuo periclitaretur, dum te lucraretur.* Sic Ambroſius.

*L. 1. de Iacob. c. 6.*

*Secundò:* quòd nobis unigenitum Filium tradens (quod ſummum equidem, & immenſum, & donanti æquale donum eſt) nihil jam utique nobis negaturus videatur, ut qui omnia cum illo & in illo nobis conceſſerit. *Qui* enim (ut argumentatur Apoſtolus) *etiam proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Ubi rurſum S. Ambroſius: *Pro quibus igitur quod ſuper omnia eſt, dedit; poteſt fieri ut non in illo univerſa donaverit? Nihil enim excepit, qui omnium conceſſit auctorem.* Unde demum rectè colligit ad noſtrum propoſitum: *Nihil eſt igitur quod negari poſſe nobis vereamur; nihil eſt in quo de munificentia divina diffidere perſeverantia debeamus.*

*Rom. 8.*

*Loco cit.*

*Tertiò:* quòd eundem Filium ſuum dilectiſſimum tam inuſitatæ atque incredibili ſuppliciorum immanitati ſubijciens, & noſtrum ab illo debitum (cujus ille ſe vadem ac fidejuſſorem ſponte dederat) extremâ ſeveritate repoſcens, id ſatagere viſus ſit; ut expetitis de Vnigenito pœnis, juſtitiæ ſuæ cumulatè ſatisfaceret, & omni irâ ſuâ (ſi ita loqui fas) in innocentem illum effusâ, ſolam peccatoribus indulgentiam, ſolam reis miſericordiam reſervaret. Quô facere poteſt quod etiam dixit Apoſtolus; Deum propoſuiſſe Chriſtum, *ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ.*

*Rom. 3.*

Qua-

Quapropter non abs re dicere poſſumus; ut quemadmodum ille nunc vocari amat *Pater miſericordiarum*; ita nos eſſe miſericordiæ filios; neque jam Ipſius reformidare juſtitiam, ſed miſericordiam expectare debere. Jam enim, ſi unquam, proprium ejus opus, miſericordia eſt; ulciſci autem atque punire (quod jam olim dixit Iſaias) opus peregrinum & alienum ab eo. *Iſ. 28.*

*Quartò:* Quocirca & iſtud ſummi quoque amoris fuit, & ingenioſæ in commoda noſtra ſolertiæ. Nam cùm ſalutem nobis vitámque æternam, ſaltèm poſt totius gentis humanæ miſerabilem ab auctore ſuo defectionem, nollet abſque pretio concedere; & de noſtro pauperculi, miſeri, ac rerum omnium egentes inanéſque eſſemus; ne qua nobis eſſet ſalutis diffidentia, ejúsve difficiliùs comparandæ excuſatio, pretium ipſum de ſuo appendit, nobiſque in manum poſuit; monetam probam, à ſe percuſſam, ſibique acceptiſſimam, Filium, inquam, ſuum prædilectum nobis contradidit, quo tanquam pretio ſalutis noſtræ, ipſi Patri cœleſti repræſentato ac redhibito, negotio facili ipſam comparemus atque adipiſcamur beatam immortalitatem. In quem utique ſenſum non difficulter, opinor, adducemus verba illa dilecti diſcipuli; dum Deum ait ſic dilexiſſe mundum, *ut Filium ſuum unigenitum daret*, vel (ut Arabicus legit) *dono daret*; nimirum ut eo tanquam condigno libertatis noſtræ ſalutiſque pretio, ab ipſo Deo id oppidè avente ac percupiente, vitam nobis commercemur æternam. *Ioan. 3.*

Atque ad hunc locum illa pertinet S. Anſelmi perappoſita meditatio: qui Deum Patrem miſello homini, & unde ſe redimat non habenti, ſic inducit loquentem: *Accipe Vnigenitum meum, & da pro te.* Juxta ac ſi diceret: Non permittunt equidem juſtitiæ meæ leges, ut te gratis liberem ac ſalvem. Sed cùm unde te redimas, non habeas, providebit tibi miſericordia mea, unde ſatisfacias juſtitiæ meæ, *L. 2. Cur Deus homo, c. 20.*

Acci-

*Accipe Vnigenitum meum, & da pro te.* Quo quidem præclaro & admirabili divinæ erga nos dilectionis invento; ſive ad incenſum in ipſo Deo felicitatis noſtræ ſtudium conteſtandum, ſive ad ipſam æternam ſalutem, non ſperabilem duntaxat, ſed promptam etiam ac parabilem nobis reddendam; neſcio an quicquam non dicam à nobis cogitatione fingi, ſed ab ipſa etiam Dei ſapientia adinveniri poſſit accommodatius.

Tanta igitur fuit in Deo Patre támque inflammata ſalutis noſtræ cupiditas; ut debito noſtro diſſolvendo, de viſceribus ſuis (ut dicitur) ſatisfaceret; & æternæ vitæ comparandæ, de ſuo quoque, ſive de medullis Divinitatis ſuæ, unde quodammodo in manu eſſet noſtra ſalus, nobis amantiſſimè condonaret.

*Quintò:* Quid ſi iſti Patris noſtri cœleſtis deſiderio exaggerando, iſtud etiam adjunxerimus? Eò hunc videlicet, in iſto tanquam ſalutis noſtræ commercio, Filij ſui dilecti meritis devinciri & obligari voluiſſe; quò nempe, ita jam exigente juſtitiâ, chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, cancellaret ac induceret; & emptam Vnigeniti ſanguine perennem nobis beatitatem, ſi non nobis, at certò Filio, immò & nobis (in quos ille jus iſtud, velut in membra ſua, transtulerit) juſtitiæ nomine deberet.

Igitur ſalutem humano generi cùm gratis omnino donare poſſet, debere maluit: non ullo ſui tanquam compendij reſpectu (quippe qui hoc ipſum unde debitor exiſteret, gratis donârit) ſed ut eâ obligatione ſuſceptâ, (ut juxta humanos mores loquamur) in ſalutis noſtræ voluntate, obfirmatum ſe ac fixum oſtenderet; atque hinc affirmaret ſpem noſtram; dum aſpicientibus allegantibúsque nobis immenſa Filij merita, iiſque partam mercedem ab ipſo Patre repoſcentibus, audentior ſperandi animus, majórque poſtulandi fiducia intercederet.

Au-

Audiamus hic rurſum Doctorem Ambroſium, ſed alio loco, in hanc ipſam rem verba facientem. Is enim Symbolum Apoſtolorum exponens, cùm præmiſiſſet; *nunquam magis quantâ clementiâ, quantâque potentiâ Redemptor noſter abundaret, apparuiſſe; quàm cùm myſterij hujus aggreſſus officium eſt*; ſubdit, eam ob rem *divinam atque humanam naturam in Redemptoris noſtri perſonâ quoddam inter ſe ſacrum iniſſe commercium; ut teſtimonium ab humanitate Divinitas, præmium à Divinitate ferret humanitas: hoc eſt, ut ſui vulneribus corporis magnitudinem erga nos Deus amoris oſtenderet, & conſortio Divinitatis recompenſari ſibi obedientiæ gratiam, & animus noſter & corpus agnoſceret.* Hæc ſcitè Ambroſius. *In Symb. Apoſt. c. 15.*

Ad extremum id libet adjungere; quod quemadmodum Deus, noſtri miſereſcendi gratiâ, identìdem reſpicit in faciem Chriſti ſui: ita optet nos quoque diligentiùs in eam intendere, ut hinc ſpem divinæ miſericordiæ concipiamus. Eſtque proclive creditu; eum intus cum animo noſtro occultè agere, quod pijs paſſim imaginibus expreſſum aſpicimus: amabilem nimirum Filij ſui crucifixi ſpeciem, ut ſalutis arrham, & aram miſericordiæ, oculis noſtris ſubijcere, eóque ſpectaculo ad certam ſalutis fiduciam nos provocare. Quam in rem præſertim efficax apparet illa figura, quæ Patrem æternum repræſentat in ſolio, vitâ defunctum Filij corpus manibus ac gremio complexum, admotâque ad ejus pectus dexterâ, hians lateris vulnus & adhuc ſtillans cruentis guttis (quod etiam pollice indicéque divinæ manûs interceptum, tanquam comprimi cernitur) ſive ad dolorem commiſerationémve, ſive ad fiduciam atque amorem, oſtentantem.

Ex quibus omnibus illud efficiemus denique: Deum ac Patrem noſtrum modis omnibus ſalutem noſtram deſiderare; eámque adeò (ex immenſa ejus miſericordia, & Chriſti

ſti meritis) in manu noſtra eſſe: niſi fortè ſumus ita vecordes, aut tam faſtidioſi oſores felicitatis noſtræ, ut, cùm ille nobis per omnia bene cupiat, ipſi miſeri & infelices, quàm beati & felices, eſſe malimus.

## §. 2.

### *Filij Dei, ſeipſum totum in cruce profundentis, incredibilis noſtri dilectio.*

JAm ex parte Chriſti Domini ac Salvatoris noſtri, quanta rurſum nobis naſcitur ſalutis fiducia?

*Primò* enim qui ita dilexit nos, ut nobis à morte ſempiterna redimendis, ſeipſum daret in pretium, & venarum ſuarum ac cordis ſui omnem ſanguinem eâ causâ profunderet, & ipſam denique dilectam animam ſuam traderet in manus inimicorum ejus; non deſeret utique ſub umbram alarum ejus confugientes, & in ejus paſſione ac morte ſpem omnem ſuam reponentes. Nimirum in manibus ſuis deſcripſit nos; neque oblivisci poterit filiorum uteri ſui; eorum inquam, quos in cruce moriens, per ſummos dolores & anguſtias viſcerum ſuorum, Deo cœlóque quodammodo parturierit: ut ijdem ſcilicet illi ſint filij dexteræ ſive felicitatis, quos ut filios aſpicit ſupremi doloris ſui.

*Secundò*: Atque huic confirmando exaugendóque fiduciæ argumento, plurimùm id confert: quòd idem amantiſſimus Salvator, non utcunque pro omnibus nobis, ſed pro ſingulis noſtrûm privatim & quaſi ſeparatim mortuus ſit; ut cuique liceat fidenter cum Apoſtolo dicere: *In fide*
Gal. 2. *vivo Filij Dei: qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* Eò videlicet, quòd (ut quidem ſentit S. Joannes Chryſoſtomus, atque ex alijs idem licebit colligere) mors ejus & paſſio ſingulis noſtrûm perinde valuerit, atque ſi duntaxat pro uno quolibet noſtrûm illam ſubijſſet; atque ita quemlibet dilexerit, ut vel pro unius cujuslibet ſalute, ſemetipſum

prom-

promptè atque libenter tradidiſſet. Hæc enim ſunt Chryſoſtomi verba locum illum Apoſtoli exponentis: *Declarat hoc quoque par eſſe, ut quuque noſtrûm non minùs agat gratias Chriſto, quàm ſi ob ipſum ſolum adveniſſet. Non enim recuſaturus erat, vel ob unum tantùm exhibere diſpenſationem: adeò ſingulum quemque hominem pari charitatis modo dilexit; quo dilexit orbem univerſum.* Quibus affinia ſunt illa S. Ambroſij in loco ſuperiùs laudato, de ipſo Patre ita loquentis: *Mirè etiam addidit*, ſcilicet Apoſtolus: *Pro nobis omnibus tradidit illum: ut oſtenderet* (inquit) *quòd ita omnes diligat, ut dilectiſſimum ſibi Filium pro ſingulis traderet.* *L. 1. de Jacob. c. 6.*

*Tertiò*: Hinc verò etiam (de quo equidem dubitare non poſſum; traditque expreſsè Abbas Bloſius, & noſter Alphonſus Rodriques) in cruce pendens ſeſe pro ſingulis obtulit Patri, de noſtrum ſingulis, de te, de me nominatim recogitans, tuæque ac meæ ſalutis negotium (ut vel ſic oſtenderet, quantopere ea ipſi cordi eſſet) ſpecialiter Patri commendans. Quod quidem ei non erat difficile, ob ſingularem rerum omnium comprehenſionem, omnes perpetuò ob mentis oculos habenti, & ob immenſum amorem ſuum, ad ſingulos eorum, pro quorum ſalute moreretur libenter animum attendenti. *Bloſ. ſpec. ſpir. c. 10. Rodriqu. tract. de Paſſ. c. 6.*

Proinde ut olim ſummus Sacerdos, qui Chriſti figuram gerebat, ſanctuarium ingrediens portabat ſupra pectus ſuum, vel (ut in Hebræo eſt) ſupra cor ſuum, certis gemmis inſculpta nomina filiorum Iſraël; ut ad Deum accedens eorum memor exiſteret, ac tribus omnes ſigillatim Deo repræſentaret: *Portabit Aaron* (inquit ſacer textus) *nomina filiorum Iſraël in rationali judicij ſuper pectus ſuum, quando ingredietur ſanctuarium, memoriale coram Domino in æternum.* Ita dicere poſſumus in rem noſtram: Summum noſtrum Pontificem JESVM, dum in ara crucis ſeſe hoſtiam Deo pro mundi ſalute obtulit, omnium noſtrum nomina *Exod. 28.*

 por-

portâſſe ſupra cor ſuum, uniuscujusque in illo ſummo ac generali ſacrificio commeminiſſe, omnes nos Patri ſuo amantiſſimo, velut ſanguine ſuo, quem eo momento reipsâ pro nobis effunderet, conſperſos repræſentâſſe. Neque aliter ſanè nunc facere, ingreſſum in ſancta non manu facta, ut appareat vultui Dei pro nobis; pro ſalute noſtrâ ſuſcepta ac recenta vulnera eidem aſſiduè exhibentem, in iisque nos omnes nominatim deſcriptos, imò in ipſo corde ſuo, tanquam in rationali pectoris ſui, ad indelebilem memoriam inſculptos, repræſentantem.

*Quartò:* Ex quo rurſus nova ſuboritur acuendæ ſpei ac fiduciæ ratio: cùm attendimus Agnum illum immaculatum perpetuò in Patris oculis tanquam occiſum aſſiſtere, eóque vulnerum ſuorum notas ac cicatrices, etiam in carne ſua glorioſa, retinuiſſe ac cœlo intuliſſe, ut in Patris conſpectu ſemper quaſi crucifixus appareat, & ſalutem nobis efficaciùs exoret, noſtræ pretium libertatis oſtendens, & ſanguinis ſui ſtipendia de paterna manu repoſcens. Sic enim præclarè autor ſermonis de baptiſmo Chriſti apud S. Cyprianum: *Sacrificium* (inquit) *quod in carne obtulit, ſic in beneplacito Dei conſtat acceptabile, ut non minùs hodie in conſpectu Patris oblatio illa ſit efficax, quàm eâ die quâ de ſaucio latere ſanguis & aqua exivit; & ſemper reſervatæ in corpore Chriſti plagæ, ſalutis humanæ exigunt pretium, & obedientiæ donativum requirunt.*

Itaque qui ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, ſemper vivit ad interpellandum pro nobis; eóque impreſſas plagarum notas, velut vivam quandam mortis ſuæ imaginem, reſervat in ſuo corpore; ut eo tanquam immolati habitu, penetrans in Sancta Sanctorum, in intima quaſi Divinitatis adyta, paternum cor admoneat, urgeat, ſolicitet; dum cauſam noſtram expediat, noſtræque ſalutis negotium in tuto ponat. Quâ contemplatione non uno loco ad fi-

duciam

Digitized by Google

duciam nos hortatur Apoſtolus. Quippe qui ad Hebræos ſcribens, ex eo quòd habeamus Pontificem magnum, JESUM Filium Dei, qui & infirmitates noſtras in ſe ſuſceperit eáſq; expertus ſit, & jam cœlos Patrem pro nobis exoraturus penetraverit; continuò infert: *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ; ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* Et alio in loco ejusdem epiſtolæ: *Habentes* (inquit) *fiduciam in introitu Sanctorum in ſanguine Chriſti, quam initiavit nobis viam novam, & viventem per velamen, id eſt carnem ſuam, & Sacerdotem magnum ſuper domum Dei: accedamus cum vero corde, in plenitudine fidei &c.* Et ad Romanos etiam expreſſiùs: *Quis accuſabit*, inquit, *adverſus electos Dei? Deus qui juſtificat; quis eſt qui condemnet? Chriſtus JESUS; qui mortuus eſt, immò qui & reſurrexit, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Quis ergo nos ſeparabit à charitate Chriſti?* & quæ ſequuntur. Heb. 4. Heb. 10. Rom. 8.

*Ultimo loco:* ponderari poſſunt & illa ejusdem S. Pauli verba ad Corinthios ſcribentis: *Quoniam quidem Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, non reputans illis delicta ipſorum; & poſuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Chriſto ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo.* Quibus quidem verbis, ingens, ſive in Deo Patre, ſive in ipſo Filio, nos ad ſalutem adducendi deſiderium, & tanquam ardor elucet, cum anxia cura & ſolicitudine conjunctus. Nam in illis primis: *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi*; equidem mihi intueri videor, per omnes ſacræ œconomiæ partes, pro ſalute noſtra in ipſo Chriſto operoſam, ſatagentem, & quaſi ſolicitam divinitatem. At poſtremis verbis Chriſtum ipſum induci video, non quomodocunque ſalutem noſtram cupientem, aut ipſam reconciliationis gratiam ultrò nobis offerentem; verùm etiam, ut recon- 2. Cor. 5.

ciliari Deo & Salvatori velimus, quodammodo obſecrantem. Quid enim aliud eſt: *Obſecramus pro Chriſto*; niſi; vice Chriſti, cujus ad hoc legatione fungimur, & quaſi ipſo Chriſto obſecrante per nos? Prorſus ut in ipſum injurius eſſe convincatur, qui ei diffidat tanquam ſalvare nolenti; qui præ ſtudio noſtræ ſalutis, velut oblitus dignitatis ſuæ, etiam deſcendit ad preces, etiam obſecrat, ut ſalvari velimus.

Verùm hic facere non poſſum, quin huic loco confirmando præclara quædam ſæpe in hoc capite laudati Mediolanenſium Antiſtitis ſanctiſſimi, verba ſubijciam, eodem argumento nos in hunc modum ad fiduciam erigentis: *Conſidera quem Iudicem habeas. Nempe Chriſto dedit Pater omne judicium. Poterit te ergo ille damnare, quem redemit à morte, pro quo ſe obtulit, cujus vitam ſuæ mortis mercedem eſſe cognoſcit? Nonne dicet: Quæ utilitas in ſanguine meo, ſi damno quem ipſe ſalvavi? deinde conſideras judicem, non conſideras advocatum. Poteſt iſte ſeviorem ferre ſententiam, qui interpellare non deſinit, ut paternæ reconciliationis in nos conferatur gratia?* Hæc Ambroſius ſanè quàm præclarè.

*L. 1. de Jacob c. 6.*

## §. 3.

### *Nonnulla ſanctæ ſpei ſemina, ex donata nobis à Deo bona voluntate.*

POſſumus denique nonnullo habito ad nos ipſos reſpectu, eam quam in Chriſti Salvatoris morte collocatam habemus ſalutis fiduciam, non parum accendere & corroborare: non quaſi in nobiſmetipſis, extra divinam miſericordiam Chriſtique merita, ſpem ullam debeamus reponere; ſed quòd Dei gratiâ ac beneficio ij jam ſimus, ut ſalutem nobis Unigeniti ſanguine partam, congruenter à Deo ſperare atque expectare poſſimus.

*Primò* enim ei, qui, abdicatis prioris ætatis flagitijs, ita

ita ſe ad Deum converterit, ut ſeſe jam in amicorum ejus numero cenſeri, non vanè conjectet: quantam ſpem & ſolatium addit, illa ex Apoſtolo ad Romanos ſcribente deſumpta ratiocinatio? Si, ex ſumma & incredibili Dei adverſum nos charitate, cùm adhuc peccatores eſſemus, adeóque filij iræ & Dei inimici, Chriſtus pro nobis mortuus eſt: nunc cùm juſtificati ſumus in ſanguine ipſius, multò magis per ipſum eſſe ſalvandos. *Si enim* (ut ibi ſubjungit) *cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem Filij ejus: multò magis reconciliati, ſalvi erimus in vita ipſius.* Eodémque pacto juſtum quemlibet ad fiduciam rurſum hortatur S. Ambroſius: *Accepiſti*, inquit, *pignus Chriſti charitatis: quoniam qui pro te mortuus eſt, advocatus eſt tibi, & ſanguinis ſui mercem te ſervat. Et qui peccatorem reconciliavit Patri, multo magis commendat innocentem, & tuetur ſubditum, quia ſcit innoxium.* *Rom. 5.* *Loco cit.*

Nec abſimilis eſt S. Bernardi in quodam ſermone collatio: qui illam admirans divini cordis dulcedinem, quâ in cruce pendens ac moriens, orabat pro crucifigentibus ſe, eorúmque qui per ſummum ſcelus atque immanitatem ſuum ipſius ſanguinem haurirent, ſitiebat curabátque ſalutem: *Quomodo*, inquit, *potabis, Domine, deſiderantes te torrente voluptatis; qui ſic perfundis crucifigentes te oleo miſericordia tua?* *Fer. 4. hebd. pœn.*

*Secundò:* Si de tuorum vitiorum cæno nequedum totus emerſiſti, attamen bonæ voluntatis es, & reipsâ cum Deo in gratiam redire deſideras: eſt vel inde quod valde confidas Salvatoris meritis, ac propenſæ ejus erga peccatores voluntati. Itaque ad ſpem te confirmet ſuperiori affinis cogitatio. Si enim tanta eſt multitudo dulcedinis ejus, ut inter extrema crucis ſupplicia & mortis angores etiam pro execrantibus & excarnificantibus ſe exoret Patrem: quâ libentiâ complectetur & cordi apprimet peccatorem ad

eum redeuntem, ductum ſcelerum ſuorum pœnitentiâ, & cæcitatem ſuam ac vecordiam deteſtantem? Qui etiam idcirco Latroni ad ſe converſo, & ſui ſolam memoriam, cùm in regni ſui poſſeſſionem veniſſet, verecundè poſcenti, confeſtim ipſum Paradiſum, hoc eſt gloriæ ſuæ atque gaudij communionem, benigniſsimè pollicitus eſt: ne quiſquam deſperet ſcelerum veniam, ſi tantùm pertæſus errores ſuos, ad eum recurrat cum fiducia, ejúſque gratiam ac miſericordiam exquirat. Quocirca & tu in Chriſtum crucifixum aſpiciens, eúmque Regem ac Deum tuum agnoſcens, fideliter ſubinde rogabis, ut ijs te dignetur miſericordiæ oculis reſpicere, quibus olim felicem latronem ad ſe confugientem attenderit; téque ſimiliter anteactæ vitæ lapſus exoſum ac deplorantem, pretioſo ſuo cruore mundare, & in gratiam clementer receptum, denique in partem gloriæ ſuæ, ac felicitatis ſocietatem, admittere.

*Tertiò:* Quòd ſi, præter bonam voluntatem Deo ſerviendi, eique placendi, ac tandem ſalvandi animam tuam; erga acerbiſſimos amariſsimóſque Domini tui cruciatus tenerum quendam ſenſum animi, affectúmve non vulgarem in temetipſo experiare; hinc nova naſcetur & propria fiduciæ ratio: cùm & æquitati conſentaneum ſit, & multiplici experimento compertum, cum ijs præſertim ac propenſiùs Chriſtum ſalutares paſsionis ſuæ fructus communicare, qui illam crebrò ac libenter recogitant, & piâ ſaltem condolentiâ in ejus conſortium venire ſtudent. Quemadmodum etiam demonſtratum eſt in ſuperioribus: in Chriſti paſsionem propenſum ac devotum animum, peculiarem eſſe Redemptoris amicorum notam, & non obſcurum indicium divinæ ad ſalutem deſtinationis; nihilque admodum proinde formidandum ei, qui pio ſtudio JESVM crucifixum quæſierit. Quam in rem fortaſſis nonnihil conferet, quæ mihi iſta commentanti ſuccurrit cogitatio: Dominum noſtrum

Digitized by Google

ſtrum Jesvm, poſtquam amore noſtri mortem ſubijt, & de hoſtibus communibus per crucem ſuam triumphavit, ad hanc ſuam gloriam, ſuámque erga nos charitatem perpetuò conteſtandam, & quod hinc ſequitur, ſpem noſtram ac fiduciam alendam, novum ſibi *Crucifixi* tanquam cognomen adoptâſſe. Unde etiam illico poſt paſsionem ejus, Angelus mulieres alloquens; non jam, uti priùs, eum ſimpliciter Jesvm Nazarenum appellavit; ſed *IESUM* (inquit) *Nazarenum crucifixum.* *Marc. 16.* Quaſi videlicet, ut olim Scipionibus, Africani & Aſiatici cognomina ab gentibus illis devictis; ita Salvatori, poſt crucis certamen & victoriam, Crucifixi agnomen ad ipſius gloriam, & ſolatium noſtrum, ſpeíque noſtræ novum argumentum, adhæſerit.

*Quartò:* Vel ab ipſo timore noſtro, quo, omnia quaſi circumſpectantes atque paventes, ſuſpecta habemus ſalutis noſtræ negotia, ſumere poſſumus etiam amplioris fiduciæ cauſam. Hic enim ſagacis ſolicitudinis tanquam aculeus, non initium tantùm, ſed etiam quoddam argumentum ſalutis eſt: cùm id electorum proprium ſit, ſemper eſſe pavidos, & ſalutem ſuam cum timore operari. Unde eſt illud S. Auguſtini: *Diſcat timere, qui non vult timere: diſcat eſſe ſolicitus, qui ſemper vult eſſe ſecurus.* *Serm. 214. de temp.* Iſte tamen timor moderatus ſemper eſſe debet, & temperatus fiduciâ; neque qualis eſt ſervi timentis plagas, ſed magis ut filij aut Sponſæ, ipſam per ſe parentis aut Sponſi offenſam reformidantis.

*Poſtremò:* Et illud infixum hæreat animo: Deum magis noſtrâ in ejus bonitate fiduciâ, quàm pavore timido atque anxio delectari: ipſique Chriſto multò eſſe jucundius, ſi hilarè atque amanter in ejus morte ac meritis ſpem omnem noſtram conſtituere aſſveſcamus. Ipſius ſiquidem præ cæteris honorat bonitatem inexplicabilem, qui amore ac fiduciâ ducitur: quippe qui hoc ipſo demonſtret, ampliùs ſibi perſpectam eſſe paſſionis ejus efficaciam, & divini cordis dulcedinem penitiùs introſpexiſſe atque guſtâſſe.

Quamobrem etiam idem Redemptor noſter, ſub ſuæ paſſionis initia, pavores noſtros atque angores in ſemet ſuſcipere voluit; non eò duntaxat, quò ipſius exemplo eruditi, irruentes in nos ejuſmodi anxios affectus, cum patientia & magnanimi ſub Dei nutus ſubjectione, ſufferre condiſceremus; ſed hoc vel maximè, ut eâ noſtrarum infirmitatum ſuſceptione, paventia ſuorum corda confirmaret ad fiduciam, iiſque curis & angoribus animi, quos à nobis in ſe transtuliſſet, tandem aliquando careremus. Quemadmodum ait Beatus Ambroſius; Chriſtum imminente paſsione, triſtitiam noſtram & tædia humanæ infirmitatis ſuſcepiſſe: *Ut quia in carne ſua, peccata noſtra perimebat, mærorem quoque animæ noſtræ, ſuæ animæ mærore aboleret.* Et S. Leo ſermone 3. de paſsione: *Noſtræ,* inquit, *infirmitatis affectus participando curabat, & pœnalis experientiæ metum ſubeundo pellebat. In nobis ergo Dominus noſtro pavore trepidabat, ut ſuſceptionem noſtræ infirmitatis indueret, & noſtram inconſtantiam ſuæ virtutis ſoliditate veſtiret.* Quibus ſimilia habet S. Auguſtinus & alij.

*L. 10. in Luc. 22.*

Quæ tametſi præſerim in illo regno pacis æternæ implenda ſunt, intra cujus fines, neque dolor ullus aut gemitus, neque timor aut terror futurus ſit: attamen etiam in hac convalle plorationis, horum uſum aliquem ac fructum poſſumus perſentiſcere, ut videre licet in Sanctis quamplurimis, qui in pœnis ſuis pro dolore ingentem lætitiam, & in periculis pro timore ſummam ſecuritatem, præferebant: id illo agente in membris ſuis, qui (ut ait S. Petrus Chryſologus) *venit ſuſcipere noſtras infirmitates, & ſuas conferre virtutes.*

*Serm. 50.*

## §. 4.

### *Dictorum hoc capite concluſio.*

TOt igitur & tantas fiduciæ cauſas habentes, magnum animo robur aſſumere, & quod nautæ ſolent in naufra-

fragij periculo, ſi qua in nobis oboritur deſperationis tempeſtas, ſpei noſtræ anchoram, (quod etiam Joannis Thauleri monitum eſt) in abyſſum divinæ Bonitatis, & in mare paſsionis Chriſti abijcere debemus: certi, nullâ re magis mulceri ac devinciri cor Dei, & ſalutem noſtram in tuto conſtitui; quàm ſi nullâ rei noſtræ aut commodi, & ne ipſius quidem æternæ mercedis, ſed ſolùm Deo ſerviendi ſolicitudine, totos nos ipſius amabili & adorandæ providentiæ commiſerimus, atque in expanſa Crucifixi brachia, inq; ipſum divinitatis ſinum, amanter fidentérque projecerimus; prompti de paterna ipſius manu accipere, quidquid ille de nobis, ſive pro tempore ſive pro æternitate conſtituerit. Eum interim obnixè rogantes, per Chriſti vulnera & viſcera miſericordiæ ſuæ, ne unquam nos ſinat ſeparari à ſe, aut excidere ab amore & gratia ſua.

Iſtæc enim plena amoris ac fiduciæ, hominis in Dei manus (ut appellant) reſignatio, mirificè divinam promeretur miſericordiam, eúmque homini adeò obſtringit, ut pati non poſsit eum perire, qui Deo unicè confidens, ſéque totum (ex S. Bonaventuræ phraſi) ipſius miſericordiâ involvens, omnem ſui curam ac ſolicitudinem in eum tranſtulerit, ſeſéque integrè ejus arbitrio ac voluntati permiſerit. *P. 3. Stim. c. 10.*

Omittantur ergo de occultis Dei judicijs, prædeſtinatione, perſeverantiâ anxij timores & curæ ſuperfluæ, quæ etiam Chriſto peculiariter dilectas animas ſubinde exercent & ſolicitant: illúdque potiùs provideatur in præſentia, ne dum carnis noſtræ aut virium noſtrarum infirmitatem timiditati noſtræ obtendimus, non tam de nobiſmetipſis, quàm de divina bonitate aut potentia diffidere videamur; & tanquam Dei in nos accuſare parum propenſum animum, qui cùm ſe totum in cruce nobis profuderit, etiam ſe totum in cœlo donare paratus ſit. Unde meritò quærit, increpanti ſimilis ſanctus Ambroſius: *Vereris dubios vitæ* *Loco ſuprà cit.*

 *anfra-*

*anfractus, & adverſarij inſidias, cùm habeas auxilium Dei, habeas tantam ejus dignationem, ut Filio proprio pro te non pepercerit?* Denique in vita B. Lyduvinæ legimus, Sacerdotem quendam eâ causâ poſt mortem detentum flammis purgantibus; quia non pro eo ac par fuerat, ſalutis ſuæ fiduciam in Chriſti paſsione collocaverit.

*Parte 3. c. 3.*

Sed pergamus porrò ſpem noſtram ſpecialiùs acuere, ex ipſa Chriſti in cruce pendentis contemplatione.

# CAPUT III.

## *Ipſum Chriſti crucifixi aſpectum varia fiduciæ argumenta ſuppeditare.*

IESU crucifixi mæſta ſimul amabiliſque ſpecies, quemadmodum piæ menti objecta, magnam [uti poſtea oſtendemus] ad divinum amorem in nobis excitandum vim obtinet: ita ſubjecta fidelibus oculis non exiguum eſt ſanctæ fiduciæ incitamentum.

Ecquis enim, amabo, ſalutis æternæ ſpem abijciat, quantumvis multa & gravia peccaverit; cùm Deum attendit amore ſui pendentem in infami patibulo, & pro ſalute ſua laceratum flagris, confectum vulneribus, verbo uno, per ſummos dolores atque extrema opprobria, inter crucis brachia expirantem: tantùm ut infelicem atque ingratum homuncionem, ſuo mundet divino ſanguine, Patrémque ei placet iratum eundémque demum effectum ſibi cohæredem, ſecum introducat in regnum ſuum?

Ut igitur, quiſquis es, qui anxiâ fortaſſis laboras ſalutis diffidentiâ, aut ſpem inter metúmque variè fluctuans, non pro eo ac par eſt, de Deo in bonitate ſentis, ſuperfluum metum vanúmque terrorem abijcias; potes ſi volueris, in hanc ſimilémve piæ commentationis formam in præſentia exerceri.

§. I.

## §. I.

### *Crucifixi vultus ad nos propenſus, ad fiduciam nos invitat.*

PRimò: Conjectis in Chriſti crucifixi effigiem diligentibus oculis, atque exorſus à vertice; contemplaberis inprimis divinam frontem ſpinarum aculeis compunctam ac deformatam, & guttis ſanguineis adhuc rorantem, vultum illum decore ac dignitate conſpicuum, benignos ac mites oculos, faciem ipſis etiam Angelis amabilem, cruore ſuffuſam, infuſam lacrymis, ſputis infectam, livore decoloratam, demum ad oſcula pœnitentis animæ clementiſsimè inclinatam: tum illam reliquam miſerandam formam crucifixi corporis; terebratas manus, transfixos pedes, latus percuſſum atque apertum, protenſa violenter brachia; totum ipſum corpus in vivam compoſitum doloris imaginem, & velut in quandam miſerationis ac pietatis ſcenam expanſum. Atque hoc aſpectu miſerabili in ſpem ac fiduciam erectus, age, ipſum JESUM in cruce ſuffixum in iſtius modi ſenſum affare.

Reum quidem me fateor, ô bone JESU, & tot tantorúmque criminum reum, ut ſit quod de mea ſalute deſperem, ſi in furore tuo, & non ex miſericordia tua judicare me volueris. Veruntamen ad te, quem in iſto doloris atque ignominiæ patibulo miſerabiliter pendentem ac pro me morientem intueor, ad hanc tuam crucem [ quæ inſtar aſyli certiſſimi reis omnibus ad tutelam ac præſidium propoſita eſt ] dum adhuc tempus eſt miſerendi, confugio; hanc ſalutis aram apprehendo. Nolo cauſam meam in diem Domini reſerves, extremam illam ac decretoriam, diem magnam atque amaram: verùm in hac die, quam ſimul & tuam & noſtram eſſe dixiſti, de ſalutis meæ ſummâ decerni deſidero. *De vultu tuo judicium meum prodeat*, ſed illo crucifixi, non Judicis; non de illo, inquam, vultu mi- *Ioan. 8. v. 56. Luc. 19. v. 42.*

naci & terribili [ qualem ſe impijs in die extremo exhibiturus eſt ] ſed iſto clemente atque benigno, atque ad parcendum & miſerandum adhuc propenſo. Ad tribunal ſto miſericordiæ tuæ: ibi me [ pace tuâ loquar audentius ] ibi me oportet judicari. Ab illa præluſtri ac fulgurante nube, quam inſtar ſolij judiciarij olim inſeſſurus es, ad hanc alarum tuarum umbram, ad hunc thronum gratiæ, ad indulgentiæ tribunal appello: à te Judice olim implacabili & inexorabili, ad te modò patronum & miſerorum advocatum provoco.

Magna quippe iſto ſeu loco ſeu tempore, oboritur mihi ſalutis fiducia, cùm te de roſtris & ſuggeſto crucis tuæ cauſam meam orantem video, & pro ſalute mea, uſque ad ſudorem, ad ſanguinem, ad mortem, laborantem; neque linguâ duntaxat, ſed membris omnibus paternam mihi gratiam exorantem. In hoc tribunali ſi à te judicer; ſalvus ſum. Quid enim formidem, aut cauſæ diffidam, quantumvis reus; quando idem & judex & patronus mihi futurus es? Neque jam verebor ultimi judicij ſeveritatem, præſenti ſecurus præjudicio: nec enim in illo extremo die ea retractabitur ſententia, quam tu unus idémque utroque foro judex, ſemel de crucis tribunali pro me dixeris, & ſanguine tuo, tanquam gratiæ ſignaturâ, muniveris.

Atque hac præſertim ex vultûs Chriſti crucifixi contemplatione.

## §. 2.

### *Chriſti brachia in cruce protenſa peccatores expectant ad veniam.*

SEcundò: Deinde conſiderabis eam quam dixi, ſacroſancti corporis per crucis membra diffuſi formam amabilem, & velut ad peccatores recipiendos compoſitam, & ad pacis oſcula & amoris amplexus extentam. Ex ea quippe con-

contemplatione, nova tibi addetur fiducia, & animo in ſpem confirmato novum quoddam robur accreſcet.

Igitur, quando ad hoc invitat ipſe Crucifixi in eam ſpeciem conformatus habitus; infer te piâ cogitatione in ulnas Patris amantiſsimi, in illum ſinum inexhauſtæ miſericordiæ, in illa brachia ampliſsimæ, immenſæ, & interminatæ charitatis. Expectat enim te paſſis brachijs, paratus te vel ad cor apprimere, vel in ſuum etiam quodammodo pectus admittere, ſi tantùm fidenter atque amanter ipſius affectaveris amplexus. *Proijce te ſecurus in eum*, (inquiebat ſe ſe adhortans S. Auguſtinus) *noli metuere: non ſe ſubtrahet, ut cadas.* Quod quidem hoc loco, quando de Chriſto crucifixo ſermo eſt, vim præſertim habere videtur, non enim ſe tibi ſubtrahet, qui idcirco à terra exaltatus eſt, & per ipſam crucem latè diſtentus; ut omnia trahat ad ſeipſum: & ne ſe ſubtrahat, ecce ut fixus inhæret cruci, neque tam clavis furoris noſtri, quàm vinculis ſuæ charitatis adſtrictus. *L. 8. Conf. c. 11.*

Quò referri poſſunt & illa ejuſdem S. Auguſtini, ad eum verſum Pſalmi 90. *Scapulis ſuis obumbrabit tibi: id eſt* (inquit) *ante pectus ſuum te ponet, ut alis ſuis te protegat.* Quod ipſe exponit de Sapientia incarnata; quæ nimirum infirmata eſt propter nos, & expandit alas ſuas in cruce, ut ei amanter dicamus & nos: *In velamento alarum tuarum ſperabo.*

Quamobrem reſumptis ijſdem animi fidentioris affectibus, potes in has voces iſti loco aptas erumpere: Inter brachia tua, ô bone Jesu, & vivere volo, & mori deſidero. Nec enim me unum repelles, qui omnes complecti paratus es: & qui totâ die in cruce expandiſti manus tuas ad populum non credentem & contradicentem; non reijcies infelicem ſervulum, & filium quondam erronem ac prodigum, nunc tamen ad te revertentem, & paternam veniam ac gratiam ex toto corde requirentem. Tu, Domine, *qui amas* *Sap. 11.*

*ani-*

Digitized by Google

*animas*, ſuſcipe hanc peccatricem animam, inter brachia tua totam ſe proijcientem, atque in te uno ſpes omnes ſuas collocantem. *Domine Pater & dominator vitæ meæ: in manus tuas commendo ſpiritum meum.* In has, inquam, mi Jesv, manus tuas: non jam fulminatrices illas, & triſulcis telis & igni inextinguibili adverſus ſceleratos armatas, ſed pro me paſſas & clavis confixas in cruce, neque furorem ultionémve prætendentes, ſed ad impendendam miſericordiam extenſas: non in illas manus Dei viventis & vindicis, in quas horrendum eſt incidere, ſed in manus Dei in crucis patibulo mortui, & in ipſa morte amorem duntaxat & miſericordiam ſpirantis.

Eccli: 23. Pſal. 30.

Clementiſsime Jesv, *in manibus tuis ſortes meæ* ſunt, vita utique & mors, ſalus & perditio mea. Veruntamen ſi de lineamentis, quibus manus tuas nunc inſignitas atque inſcriptas in cruce conſpicor, conjectare aliquid, & (ut ita dicam) ſortem meam divinare liceat, non niſi omnia fortunata ac felicia de ſalute mea mihi appromittere poſſum. Ecce enim in manibus tuis deſcripſiſti me; anima mea in conſpectu tuo ſemper, &c.

Pſal. 30.

Adjungi poteſt & illa eodem pertinens S. Auguſtini in ſoliloquijs ad Jesvm crucifixum ſuſpiratio: *Manus tuæ fecerunt me & plaſmaverunt me: manus, inquam, illæ quæ affixæ ſunt clavis pro me. Opus manuum tuarum ne deſpicias: vulnera manuum tuarum precor ut aſpicias. Ecce in manibus tuis, Domine Deus, deſcripſiſti me; lege ipſam ſcripturam, & ſalva me. En ad te ſuſpiro creatura tua;* & quæ ſequuntur. Quæ ſanè S. Patris oratio, tum ad Salvatoris benigniſſimi pectus ad miſericordiam commovendum, tum proinde etiam ad animos noſtros, angore, ſcrupulis, diffidentiâ ſalutis dejectos, in ſpem ac fiduciam divinæ pietatis erigendos, eſt aptiſsima: ideóque erit in eos uſus crebriùs ac familiariùs adhibenda.

Soliloq. c. 2.

§. 3.

## §. 3.

### *In Salvatoris vulneribus ſumma ratio ſpei noſtræ.*

TErtiò: Attendes diligentiùs, & particulatim contemplaberis ſacratiſsima Domini tui vulnera, eáque veluti non ſacro cruore duntaxat, ſed oleo divinæ miſericordiæ, aut gratiæ balſamo & charitatis melle manantia: ex quibus proinde non dubia ſpei tuæ fomenta & fiduciæ argumenta ſumere poſſis. Præcipuè autem ex amabili vulnere divini lateris, quod, ut meditantur Sancti, Auguſtinus, Bernardus, Bonaventura, aliíque, idcirco lanceâ militis apertum eſt, ut non juſtis modò, ſed etiam peccatoribus via pateat ad cor ejus, atque ut loquitur Guilielmus Abbas, S. Bernardi æqualis & intimus; *ut in latus ejus jam non digitum mittamus aut manum, ſicut Thomas; ſed in apertum oſtium toti intremus uſque ad cor tuum, IESU, certam ſedem miſericordiæ, uſque ad animam tuam ſanctam, plenam omnis plenitudinis Dei, plenam gratiæ & veritatis, ſalutis & conſolationis noſtræ.* Qui proinde geſtiens atque exultans, ita mox Dominum alloquitur: *Aperi, Domine, oſtium lateris arcæ tuæ, ut ingrediantur omnes, ſalvandi tui à facie diluvij hujus inundantis ſuper terram. Aperi nobis latus corporis tui, ut ingrediantur, qui deſiderant videre occulta, Filij tui, & ſuſcipiant profluentia ex eo ſacramenta, & pretium redemptionis ſuæ. Aperi oſtium cœli tui, ut videant bona Domini in terra viventium redempti tui, &c.* *In medit.*

Quibus pluſcula addemus haud multò pòſt, cùm quanta ſint nobis in corde Chriſti vulnerati bona repoſita. conſiderabimus, quámque utile ſit ac dulce pijs mentibus in eo aſſiduè commorari.

Si igitur ea eſt fortaſſis multitudo iniquitatum tuarum, ut præ timore judiciorum Dei, vel ipſum morientis vultum reformides, vel extentas manus, quantumvis jam

cruci

cruci ſuffixas: en certum aſylum, quò te denique recipias. *Ingredere in petram* ( hortatur Iſaias) *& abſcondere in foſſa* *Iſai. 2.* *humo, à facie timoris Domini.* Ingredere, inquam, amanter in cor ejus, & ſecurè latita in vulneribus ejus.

Sanè ipſi Sancti, ſiqua illis fortaſſis de ſuis peccatis diffidentia obreperet, non alium tutiorem receptum, quàm *Man. c. 21.* ad Chriſti vulnera habuere. S. Auguſtinum ſuprà audivimus; quoties aliquâ tentatione pulſaretur, recurriſſe extemplo ad Chriſti vulnera, & ſecurum in illis inveniſſe perfugium, atque intrepidum in illis requieviſſe. Unde etiam *Ibid. c. 23.* ſubdit ibidem: *Peccavi peccatum grande, & multorum ſum mihi conſcius delictorum: nec tamen ſic deſpero, quoniam ubi abundaverunt delicta, ſuperabundavit & gratia. Clavi & lancea clamant mihi; quòd verè reconciliatus ſum Chriſto, ſi eum amavero.*

Eodémque modo S. Bernardus ſermone quodam in *Serm. 61. in Cant.* Cantica: *Peccavi*, inquit, *peccatum grande, turbatur conſcientia, ſed non perturbabitur, quoniam vulnerum Domini recordabor.* Ibidémque huc illa transferens Pſalmi 103. verba: *Petra refugium herinaciјs: Et revera* ( ſubdit ) *ubi tuta infirmis ſecuritas & requies, niſi in vulneribus Salvatoris? Nempe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras. Quid tam* *Serm. 62. in Cant.* *ad mortem, quod non Chriſti morte ſalvetur?* Itaque & ſermone ſequenti infirmum quemlibet ad eadem illa divinæ petræ foramina, velut ad tutum perfugium invitans: *Nec verendum*, inquit, *quòd patiatur repulſam, qui & vocatur ut intret. Ingredere*, inquit, *in petram; abſcondere in foſſa humo*: prout ex Propheta jam retulimus. Quem Magiſtri ſui locum imitatus Guaricus Abbas, in rem eandem ita præclarè loquitur: *Ingredere igitur in petram, ó homo, abſcon-* *Serm. 4. in Ramis palm.* *dere in foſſa humo, pone tibi latibulum in Crucifixo. Abſcondere*, inquit, *in foſſa humo, à facie timoris Domini: hoc eſt, ab ipſo fuge ad ipſum, à Iudice ad Redemptorem, à tribunali ad*

cru-

*ſtructum, à juſto ad miſericordem, ab eo qui percutiet terram virgâ oris ſui, ad eum qui inebriat terram ſtillicidijs cruoris ſui; ab eo qui ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium, ad eum, qui ſanguine vulnerum ſuorum vivificat extinctum. Quin imò non ad ipſum tantùm, ſed in ipſum fuge, in foramina petræ ingredere, in foſſa humo abſcondere, in ipſis manibus foratis, in foſſo latere te ipſum reconde. Vulnus enim in latere Chriſti, quid niſi oſtium in latere arcæ ſalvandis à facie diluvij?* Hæc ille.

S. Catharina Senenſis, cùm ei diabolus neſcio quas umbras aut deſperationis anſam obijceret, hac ipſa confeſtim cogitatione illum repulit: *Ego*, ajebat, *apertè Creatori meo confiteor, me quotidie in tenebris fuiſſe, maléq; vixiſſe: verumtamen fiducialiter latitabo in plagis Domini mei JESU Chriſti; ut omnium iniquitatum mearum maculas pretioſo ſanguine ejus abluam, atq; cum ſancto deſiderio jugiter gaudebo in ipſo Creatore & Redemptore meo.* Tandem B. Bonaventura adverſus infeſtas, & divinæ prædeſtinationis arcanas cogitationes, eodem ſibi nobiſq; recurrendum cenſebat: *Scio*, inquiens, *quid faciam: in cavernis vulnerum ſuorum me abſcondam; ibiq; quietius latitabo.* Et ea quæ ſequuntur.

Bloſ. monit. ſpir. c. 1.

P. 3. ſtim. c. 13.

## §. 4.

### *Idem ſpecialim de Chriſti ſanguine oſtenditur.*

Ipſe porrò ſanguis benigniſſimi Redemptoris pro ſalute noſtra tam amanter & largiter, immò tam prodigè, & tot modis ac vijs effuſus, quantam tibi debet adferre fiduciam? cùm illud attendens pretium magnum atq; immenſum, quo redemptus es, ſimul recognoſcis, quantum te DEUS amaverit, & quanti fecerit animam, pro qua vindicanda & aſſerenda totum ſe impenderit, ac profuderit. Ut enim rectè argumentatur Tertullianus: *amavit utique, quos magno pretio redemit.*

L. de carne Chriſti c. 4.



Digitized by Google

Et verò etiam S. Auguſtinus in illa verba Pſalmi 102. *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, &c.* eodem argumento ſeſe alióſq; ad fiduciam ſalutis concitans: *Redempta eſt*, inquit, *de corruptione vita tua: jam ſecurus eſto. Irritus eſt bona fidei contractus; nemo fallit Redemptorem tuum, nemo circumvenit, nemo premit. Egit hic commercium, jam pretium ſolutum eſt, ſanguinem fudit: ſanguinem, inquam, fudit unicus filius DEI pro nobis. O anima, erige te; tanti vales: redimet de corruptione vitam tuam.* Idémq; rurſus in ſuis Con-

L. 10. c. 43. feſſionibus: *Quomodo nos amaſti, Pater bone, qui filio tuo unico non pepercisti, ſed pro nobis impijs tradidiſti eum! Quomodo nos amaſti!* Et mox: *Ille tuus unicus, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi, redemit me ſanguine ſuo. Non calumnientur mihi ſuperbi, quoniam cogito pretium meum.* Hæc S. Auguſtinus.

Et ego igitur pretium meum cogitans, & quòd Deo chara ſit ſalus mea, & quàm pretioſa in oculis ejus anima mea, recognoſcens; quæcunq; tandem ſit rerum facies, quæcunq; tempeſtas aut puſillanimitas ſpiritus, quæcunque tenebræ mentem occupent atq; offuſcent, nunquam de ſalute deſperabo. Non enim tam fatuus es negotiator, ô bone Jesu, ut tanto labore quæſitam, tanto pretio emptam animam meam ſervare negligas, aut niſi ſponte & obſtinatè perire volentem, abijcias. In tuto igitur eſt ſalus mea, ſi tantùm, te ſervare volente, & ipſe ſervari voluero. ſecurus ſum tot acceptis pignoribus. Arrham ſalutis teneo amorem tuum; & pignus amoris ſanguinem tuum. Si enim Judæi qui Chriſto Lazari ſepulchrum conviſenti aderant, ſingularem ipſius in defunctum amorem ex eo non vanè conjectarunt, quòd illius funeri eum viderent illacrymantem: *Ecce,*

Joann. 11. inquiunt, *quomodo amabat* eum: quid me de ejuſdem adverſum me amore par eſt credere; poſtquam eum video, non lacrymas modò, ſed ſanguinem ſuum univerſum meâ

causâ

cauſâ fundentem, & toto quodammodo corpore ſanguineis guttis mihi plorantem?

Pro me lacrymatus eſt unigenitus Dei, pro me in agonia ſudavit, pro me ſanguinem ſuum fudit, *propter me mortem* (inquit S. Ambroſius) *Chriſtus guſtavit.* Hæc eſt ſpes mea ab uberibus matris meæ; hæc fiducia in finẽ vitæ meæ. Offendere poſſum, concuti poſſum, labi poſſum, deſperare non poſſum. Nam quæcunq; ſit cauſa mea: potentem habeo Advocatum apud Patrem, ſanguinem, inquam, Unigeniti; per quem ille defunctus adhuc loquitur, & cujus vox melior quàm illa ſanguinis juſti Abel, non ultionem expetit, ſed implorat miſericordiam. Proijciam ergo me inter brachia Crucifixi, & omnem ſpem meam in ejus ſanguine ac vulneribus collocabo. L. 1. de Jacob. c. 6.

Rectè enim ad Crucifixi diſcipulum Doctor Seraphicus: *Hoc ſemper*, inquit, *pro Regula generali habeas: Quandocunq; DEUM volueris ad te profundè inclinare, in corde tuo vulnera Chriſti porta, & ejus conſperſus ſanguine, te Patri quaſi Unigenitum præſtabis; & ipſe tanquam Pater dulciſſimus tibi plenariè providebit. Non enim* (ut ait alibi) *poteſt ſe DEUS negare ſanguine Chriſti perfuſo.* Audiatur hic etiam S. Bonaventurâ antiquior & Bernardo coætaneus Arnoldus Carnotenſis: *Convenerunt itaq;* (inquit de hoc ipſo eleganter differens) *juſtitia & pax, & pro captivo ſuo vadem fidelem liberator ſe poſuit; tantáq; autoritate firmatum eſt hujus indulgentiæ privilegium, ut in ipſius Crucifixi membrana, proprio ſanguine conſcriptæ ſint illius abſolutionis litteræ, maneátq; infixum uſq; bodie ſigillum, plaga lateris, quam ſemper oculis Patris exhibet præſentia Salvatoris.* P. 3. ſtim. c. 12. P. 1. c. 7. Serm. 5. de ultim. verb. Dom.

Corollarij & clauſulæ vice, placet hoc extremum iſti capiti attexere.

Si enim de ijs, quæ ad neceſſitates pertinent animalis vitæ, quæ interim nobis eſt cum culicibus muſcisq; commu-

nis, jubemur non eſſe ſoliciti, ſed omnem noſtram ſolicitudinem in DEUM proijcere, *quoniam ipſi cura eſt de nobis*: quantò id potiùs de divina nobis providentia pollicebimur, cùm de bonis agitur adminiculisq; æternæ vitæ: quippe quæ ut iſtis immenſùm præſtabiliora ſunt, ita probè pernôrit nimio plus nobis eſſe neceſſaria; neq; nos profectò illa bonitas ad iſta caduca & peritura, ſed ad hæc æterna fruenda condiderit, neque pro eſca, opinor, aut veſtimento nobis quærendo mortuus ſit Chriſtus, ſed immortalium bonorum fructum ſuo nobis ſanguine promeruerit.

*Matth. 7. 1. Pet. 5.*

# CAPUT IV.

## *Ex Chriſti boni Paſtoris contemplatione, ſpeciale concipiendæ fiduciæ argumentum.*

### §. I.

### *Ovis errabunda boni Paſtoris humeris revecta.*

AFficit me ſubinde ea quam dicam cogitatio; eandémq; credo pijs mentibus, ſi eam quidem uſurpare voluerint, non inutilem neq; injucundam futuram. Ea autem eſt hujusmodi.

Propoſitâ mihi ob oculos illâ boni Paſtoris effigie, qua tum ex Tertulliano (qui eam docet ſuo tempore in ſacris calicibus pingi ſolitam) tum ex priſcis ſubterraneorum in urbe Roma cæmeteriorum monumentis (ubi eandem effigiem pluribus locis invenire eſt) veteres Chriſtianos conſtat multùm delectatos fuiſſe: in hujus, inquam, piæ imaginis contemplatione, fingo me ovem illam eſſe palabundam & perditam, ſed à bono Paſtore, lacerato vepribus, ſpinis coronato, ſudore undiq; guttisq; ſanguineis diffluente, per invia & aſpera requiſitam, inventam deniq;, humeriſq; gaudentis impoſitam ac revectam.

*L. de pud. c. 7. & 10.*

*Boſius Rom. ſubter.*



Digitized by Google

Tum verò plenus fiduciæ, illis è pſalmo verbis ad Patrem cœlorum converſus: *Reſpice*, inquam, Pater optime atq; amantiſſime, *reſpice in faciem Chriſti tui.* Ego pecus illud ſeductum & erraticum, indignus ſum, quem aſpicias oculis miſericordiæ tuæ. Sed averſari nequis faciem unigeniti: neq; illum potes placido lumine contueri, quin ijsdē oculis me ipſius collo circumfuſum aſpicias. Atque eo aſpectu commovebuntur, ſcio, tibi viſcera; dum manſuetiſſimū divini Paſtoris vultum ad me blandè converſum intuebere, ipſúmq; benigniſſimum Paſtorem, ſuper ovem ſibi dilectam, & tanto quæſitam impendio, prono capite reclinatum & acquieſcentem, eámq; ſtillantibus de ſacro vertice cruoris guttis reſpergentem. Ita propter filium parces ſervulo, & ovem recipies propter Paſtorem. *Pſal. 83.*

## §. 2.

### *Ex eodem ſchemate multiplex fiduciæ ratio.*

ENimverò in hac boni Paſtoris figura (quæ in Chriſto Jesu Salvatore noſtro exactè re ipsâ impleta eſt) tria præſertim eſſe videntur, quæ particulatim conſiderata, multiplicem nobis fiduciæ cauſam ſuggerant. *Lucæ 15.*

*Primùm*: magna illa & ſolicita boni Paſtoris erga ovē perditam charitas: quippe qui relictis in deſerto, & velut neglectis reliquis ovibus, vel unius requirendæ gratiâ, per aſpera montium, obſcura vallium, invia nemorum, denſa dumorum, horrida veprium vagetur, nec cruentatus ſpinis, ſudore perfuſus, anhelus curſu, æſtu, ſiti, clamore deficiens, perquirendi ſtudio abſiſtat, donec inveniat eam. Multùm enim ſibi charam oſtendit, quam tanto quærit impendio; quia, ut ſanctus ait Auguſtinus: *ſi peccatores DEUS non amaret, de cælo ad terram non deſcenderet.* *Tract. 49. in Joan.*

*Deinde*: Benigna ejusdem amantiſsimi Paſtoris in inventam denique erroneam ovem indulgentia: quam non

ſatis

ſatis habeat præ ſe agere, aut virgâ pedóve paſtoritio ad reliquum gregem compellere; ſed primùm ſinu ac complexu ſuo dignatam, tum in humeros ſublatam reportet, ne vel per vecordiam aut laſciviam rurſum fugiat, vel per infirmitatem in via deficiat: quaſi illi majorem dilationem, atque impenſiorem ſolicitudinem debeat, cui requirendæ ampliorem laborem impenderit.

*Poſtremò*: Attende, quàm libens ac gaudens id faciat, de inventa ove ſibi gratulans, eámq; ut fructum laboris ſui amicis oſtentans. Ut verendum non ſit, ne tædio victus aliquando abijciat, quam cum tanto gaudio reportet, & ijs, quæ non erraverant, quodammodo chariorem habeat. *ſerm. 6. in Cant.* *Quid ergo?* inquirit S. Bernardus: *proprijs humeris dignatus eſt illam reportare; & curam illius non habebit?*

Cujus igitur cor non emolliat, aut quem ad fiduciam non commoveat hujusmodi cogitatio? *Pſ. 118.* *Erravi ſicut ovis quæ perijt:* ſed amantem mei Paſtorem habeo, qui quantumvis longiùs errantem, ſummo ſtudio requirit me. Errando laſſus, inedia confectus, inſuper & beſtiarum dentibus tantùm non conſumptus ſum: at ille ereptum ac reſtitutum, in ſinu amanter fovet, paſcit, ac reficit me. Infirmus ſum & imbecillis: ſed potens eſt, qui portat me.

O ovicula Chriſti, paupercula, languens, viribus defecta, emaciata, ſed (quod ſatis eſt) Deo ac Chriſto dilecta, ſed æſtimata tanto ſanguine; quid trepidas? quid times? quid turbaris, eum paſtorem ſequens, qui non utcunque te quæſivit errantem, ſed poſuit pro te animam ſuam? Tantùm convertere ad Paſtorem animæ tuæ; ut ille regat te, & ſalvabit te. Nam qui tantopere quæſivit etiam fugientem, & averſantem, minùs utiq; abijciet cum bona voluntate ad ſe revertentem.

Ponderentur deniq; verba S. Hieronymi, ad Pammachium ita ſcribentis: *Epiſt. 61. c. 2.* *DEI Filius propter unam morbidam ovem*

*ovem, nonaginta novem in montibus derelictis, alapas, crucem, flagella ſuſtinuit, & ſuis humeris portavit ad cælos, bajulans delicatam peccatricem.* Quibus imitari videtur, quod antè dixerat Tertullianus: *Erroneam ovem patientia Paſtoris requirit, invenit, & humeris inſuper advehit bajulus patiens peccatricem derelictam.* Verùm delicatam peccatricem appellat Hieronymus; ſive priùs aſſuetam delicijs, eóq; laborum rudem & inexpertam, ſive etiam infirmam jam ac imbecillam: quippe longis fatigatam erroribus, & laſſatam in via iniquitatis. *Multùm enim errando laboraverat*; ut ait alio in loco Tertullianus.

*l. 2. de pat. c. 12.*

*l. 2. de pœnit. c. 8.*

Ex quibus & illud intelligi poteſt: cuilibet, quamvis deſperato, magnam ſumendam eſſe de boni Paſtoris benignitate fiduciam: quippe qui longiùs errantes eò requirat ſtudioſiùs; eóq; ſibi gratuletur ampliùs, quò magis perditam & deſperatam ovem, ad ovile ſuum, & vitalia paſcua reduxerit. *Venit enim quærere, & ſalvum facere, quod perierat.*

*Luc: 19.*

## §. 3.

### *Sanctorum Patrum in hunc ipſum ſenſum atq; affectum conſpiratio.*

NOn abſimili ratione, ad fiduciam ac ſpem divinæ miſericordiæ, ex contemplatione boni Paſtoris, ovem perditam requirentis ac revehentis, concipiendam; invenio pleroſq; Sanctorum Patrum familiariter uſos fuiſſe: quorum verba, ad ejus exercitij non confirmationem modò, aut commendationem, ſed uſum etiam ac praxim faciliorem, hoc loco juvabit apponere.

In primis enim eodem ſenſu video fuiſſe S. Ambroſiũ; dum ad illa verba pſalmi 118. *Erravi ſicut ovis quæ perijt: quære ſervum tuum*; ita ſcribit: *Veni ergo, Domine JESU; quære laſſam ovem tuam: veni Paſtor, quære, ſicut oves, Joſeph. Erra-*

*In pſal. 118. ſerm: 22.*

*Erravit ovis tua, dum tu moraris in montibus. Quære me, quia ego te requiro; quære me, inveni me, porta me. Potes invenire quem tu requiris, dignaris ſuſcipere quem inveneris, imponere humeris, quem ſuſceperis. Non eſt tibi pium onus faſtidio, non tibi oneri eſt vectura juſtitiæ.* Et infrà: *Porta me in cruce, quæ ſalutaris errantibus eſt, in qua ſola eſt requies fatigatis, in qua ſola vivunt; quicunque moriuntur.* Et alio in loco: *In Luc. c. 15.* *Gaudeamus igitur* (inquit) *quoniam ovis illa, quæ perierat in Adam, levatur in Chriſto. Humeri Chriſti, crucis brachia ſunt: Illic peccata mea depoſui; in illa patibuli nobilis cervice requievi.* Hactenus S. Ambroſius.

Nec minùs appoſitè S. Gregorius Nyſſenus; qui ad illud Canticorum primo: *Indica mihi ubi paſcas, ubi cubes;* (hoc eſt, ubi paſcas gregem tuum, eúmq; accubare facias) *in meridie;* fiduciæ plenus, ita bonum Paſtorem alloquitur: *Ubi paſcis, ô Paſtor bone, qui ſuper humeros tollis totum gregem? Una enim eſt ovis univerſa humana natura, quam ſuſcepiſti ſuper humeros. Oſtende mihi paſcua virentia; indica mihi aquam refectionis; deduc me ad herbam bonam ad nutriendum: voca me ex nomine meo, ut egô qui ovis ſum, audiam vocem tuam; & propter vocem tuam, da mihi vitam æternam.*

*Medit. c. 8.* Sed dulcis ſanè eſt inter Auguſtini meditationes, ejuſdem argumenti illa ad Patrem æternum oratio: *Hic attende pius quem genueris filium, & quem redemeris ſervum. Hic aſpice factorem, & ne deſpicias factum. Amplectere ſerenus Paſtorem, & reſpice miſeratus allatam propriis humeris ovem. Hic eſt fideliſſimus Paſtor ille, qui dudum errabundam per abrupta montium, per præcipitia vallium, multis variiſq; quæſierat laboribus, quamq; jam morienti, jam per longa exilia deficienti, tamen inventæ gaudens ſe ſuppoſuit, & miro ſibi anniſu charitatis à profundæ confuſionis abyſſo levavit; piiſq; adſtrictam complexibus, ad nonaginta novem, unam quæ perierat, reportavit. Ecce, Domine mi Rex, DEUS omnipotens, ecce Paſtor bonus refert tibi, quod commiſiſti ei, &c.*

Ad

Ad Chriſtum autem ita paucis S. Bonaventura: *ô bone Paſtor, ego ſum ovis illa, quæ perijt & erravit, pro qua in cruce poſuiſti animam tuam. Ecce ego ſum, agnoſce eam, introduc me in caulas vulnerum tuorum.* Et alibi: *Recognoſce in me imaginem tuam, quamvis deturpatam; & deduc me ovē, quamvis errantem, ad te pium Paſtorem. Gratulatur dulciſſimus Pater de redeunte prodigo filio; Paſtor bonus de inventa ove; & pijſſima mater de drachma reperta. ô quàm felix erit dies & hora, quando ſuper collum meum corrues, & oſcula exhibebis!* *Stim. p. 1. c. 15.* *Ibid. c. 7.*

Ejuſdem deniq; ſalivæ ac ſenſus eſt, B. Laurentij Juſtiniani illa ſub mortem precatio; ubi in ſingulari atq; divina boni Paſtoris charitate ſpem omnem conſtituens, inter cætera his illum alloquitur: *Illa ego ovis amiſſa ad te Paſtorem redeo. Vocem tuam novi, non alienorum: peto, Domine, ut ad ovile me reducas. Potéſne ſpernere vocem clamantis, & confugientis ad te?* Legi poſſunt reliqua in ejus vita: eſt enim oratio referta pijs ſenſibus, & digniſſima, quam homo Chriſtianus eo in articulo uſurpet. Verùm de his hactenus. *Vit. c. 11.*

# CAPUT V.

## *Quos adhuc peccare delectat, hos terroris potiùs quàm fiduciæ, in Chriſto crucifixo cauſas habere.*

QVæ de fiducia in Chriſti paſſione ac morte collocanda aliquot capitibus diſputata ſunt, ea ad hos præſertim pertinent, quibus ſua ſalus ita eſt ſolicitudini, ut ejus reſpectu noxijs ſeſe gravioribus abſtineant, vel, ſi quando labi humanæ ſortis imbecillitate contigerit, continuò ſeſe reſpicientes, deplorent infælicitatem ſuam, atque ſpe veniæ & emen-

emendatioris vitæ ſtudio concepto, remedij gratiâ ad ipſum Chriſtum crucifixum abſq; dilatione confugiant.

Qui enim è contrà, ſalutis curâ depoſitâ, indomitis ſuis cupiditatibus libenter obſequuntur, vitiiſq; totos ſe tradunt, & inolitâ jam vivendi licentiâ, nihil penſi habent ſuſcipere gravem ſummæ Majeſtatis offenſam; tametſi neque his deſperanda ſit ſua ſalus (cùm nemo ſit tam enormis peccator, cui non in Salvatoris meritis ſpes aliqua veniæ relicta ſit) tamen quàm diu ſic ſunt, & peccata peccatis cumu-
*Heb. 10. & 6.* lando, divinum ſanguinem (quo ſalvari debent) ipſúmque Dei filium tanquam conculcant, & ſibimet ipſis rurſum ac rurſum crucifigunt; hos adeò in paſſione Domini timoris potiùs quàm fiduciæ cauſas habere intelligo. His enim meritò formidanda videtur terrifica illa Apoſtoli Pauli ſenten-
*Heb. 10.* tia. *Voluntariè peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hoſtia, terribilis autem quædam expectatio judicij, & ignis æmulatio, quæ conſumptura eſt adverſarios.*

Quò etiam pertinet illa Guilielmi Abbatis meditatio: qui cùm præmiſiſſet, Chriſtum tempore paſſionis, & quaſi in illo generali (uti loqimur) eventi ſacrificij *Memento*, pro triplici perſonarum genere orationem Patri obtuliſſe; pro ſe, pro amicis ſecum in tentatione permanentibus, & pro inimicis ac crucifigentibus ſe, ſed neſcientibus quid facerent: *Ubi eſt*, ait, *oratio pro ſcienter peccantibus?* Et ſeriò graviterq; reſpondet: *Quàmdiu ſic ſunt, extra amplexum Crucifixi ſunt, qui expanſis in cruce manibus, etiam formâ patibuli amplecti videbatur omnes, pro quibus patiebatur. Itaq; ſicut dicit Apoſtolus: Voluntariè peccantibus nobis jam non relinquitur pro peccatis hoſtia. quæ niſi pœnitentia deleat, niſi ſanguineus ſudor exſudet, & crux excruciet; voluntariè & ſcienter peccantem, non invenio partem habere in oratione ſanguinem ſudantis, vel in ſacrificio in cruce pendentis.* Sic ille.

Deni-

Deniq; his meritò ſolicitum timorem incutit hæc ipſa paſſionis ac mortis, per extremam pœnarum acerbitatem, in ſcelerum noſtrorum vindictam, Dei filio illatæ, memoria; & illa dolentis Salvatoris, cùm ad ipſum crucis ſupplicium raperetur, non vana comminatio: *ſi in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* hoc eſt: ſi Deus humanis offenſus ſceleribus, de Filio ſuo dilectiſſimo, quòd ea in ſeſe luenda ſuſceperat, pœnas tam atroces expetit: qua ſeveritate tractabit ingratiſſima mancipia, quæ deliberatâ peccandi libidine cœleſtes iras in ſe accerſere & accendere non ceſſant, & oblata ſibi divinæ indulgentiæ pignora, convertunt in damnationis argumenta? Aut ſi in homine ſanctiſſimo & innocentiſſimo, quiq; inſtar erat ligni virentis ac floridi, atque omnigenis virtutum fructibus exuberantis, tamen quòd is Rei perſonam gereret, divina vindicta eum in morem exarſit: lignum aridum, exſuccum, inutile, arborem infructuoſam, nec bis tantùm (quod ait S. Judas) ſed millies mortuam & eradicatam, qua celeritate corripiet, atq; abſumet? Demum, ſi vel ſolum nomen, & quandam quaſi umbram peccati in Unigenito Deus ſic exhorruit: quid te fiet, homule infælix, qui non veri vacuam portas peccatoris imaginem, ſed veris ac meris coopertus es ſceleribus, & ex nequitia, fraude, malignitate tantùm non concretus, ac coagmentatus.

Veruntamen, ut dixi; quemadmodum proborum fiducia aliquo ſemper timore temperanda eſt: ita etiam impiorum formido, dum adhuc miſerendi tempus eſt, ſemper eſſe debet cum aliqua ſpei inductione & temperatione conjuncta.

# CAPVT VI.

## *Chriſti Incarnationem ac mortem piè recogitatam, ad divinum amorem in nobis excitandum atque colendum, vim permagnam habere.*

QVanquam nemini obſcurum eſſe poteſt, quod etiam initio præſentis opuſculi indicatum eſt, Chriſti paſſionem piè recogitatam, fontem eſſe ſancti amoris uberrimum; ídq; aſſiduè experiantur animæ ſanctæ, quæ hauriunt aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, & vel ad ſolum Crucifixi conſpectum amore inflammantur ac liqueſcunt, ínq; dulces lacrymas, amoris indices, ſolvuntur; juvat tamen hoc ipſũ paulò pluribus oſtendere, & in argumento ſummè ſuavi aliquantiſper, nec injucundè immorari. Ordiemur autem velut à capite, & à demonſtrata Verbi incarnati amabilitate mirabili, ad eas quas in Chriſto paſſo habemus amoris illecebras, gradum molliùs commodiúsq; faciemus.

### §. I.

### *Magna Divini Amoris illecebra, Verbum caro factum.*

IPſa quidem per ſe Divinitas, infinita eſt amoris illecebra; quippe quæ per ſeſe purum eſt, & ſummum ac infinitum bonum, dulce theatrum ipſiusmet divinæ mentis, ſpectaculum omnis admirabilitatis, & (ut Auguſtinus appellat) *pulchritudo inſatiabilis.* In cujus proinde claro ac felici intuitu, æterno ſtupore defixæ hærent beatæ mentes; cujus contemplatione ſatiari nequeunt Seraphinorum oculi; qui eos exinde ardores ac flammas concipiunt, quos (velut ſi eos ferre non poſſent) irrequieto alarũ ſuccuſſu, non tam temperant

*in Pſ. 83.*

perant quàm alunt, & aſſiduâ quaſi ventilatione, ijsdem novam ſemper animam, æternúmq; vigorem aſpirant.

Verumtamen, uti nunc ſe habet infirmitas iſta vitæ mortalis, útq; eſt animæ corpori inſitæ atq; concretæ, & adhuc à Deo peregrinantis conditio; admirabilis illa & ineffabilis pulchritudo divinitatis, non jam per ſe ipſam nobis propoſita, ſed per interpoſitam aſſumptæ noſtræ humanitatis tanquam nubem apparens, neſcio quo modo animos noſtros ad amorem ſui blandiùs allicit, potentiùs trahit, retinétq; jucundiùs. Sive id fortaſſis efficit, ex ipſa ejusdem naturæ conſortione, ſimilitudo major, & velut cognatio cum Deo; quippe ea ſolet blanda eſſe amoris conciliatrix: ſive etiam ipſa Divinitas, per ſuſceptam carnem nobis propior atq; familiarior effecta, vim ſuam intendit & magis exerit è proximo: ſive (quæ ſuavior eſt, & S. Auguſtino valdè amica cogitatio) ille ipſe nativus Divinitatis fulgor, qui plenâ luce incurrens in ſenſus mortalium, eorum aciem præſtringeret, hebetarétq;; idem per eam humanitatis nubem tanquam refractus & attemperatus humanis oculis, eos blandiùs rapit ad ſeſe, afficitq; familiariùs. *Nube* enim *tegitur* (inquit S. Auguſtinus) *non ut obſcuretur, ſed ut temperetur.* *Tract. 34. in Joan.*

Magna igitur eſt ac potens amoris illecebra, per ſuſceptam carnem quaſi translucens & intermicans Divinitas. Itaq; illa divina ſapientia, cujus jam olim fuêre deliciæ, eſſe cum filijs hominum, tunc maximè viſa eſt hominibus delicias facere, & arcanis miriſq; modis mirabiles ſui amores excitare, cùm (ex ejusdem S. Doctoris phraſi) commixta eſt carni, *ut infantiæ noſtræ lacteſceret*; eóq; facta eſt ad amoris tela potentior, quò ſibi injecto carnis noſtræ velamine, fieri videbatur occultior. Habent enim vim certiorem diſſimulatæ, nec prorſus apertæ blanditiæ; magíſq; oculis lenocinatur, per veli ſubtilis raritatem, partim abdita, partim prodita pulchritudo. *In Pſ. 30. l. 7. Conf. c. 18.*

Sic

Sic enim & Beatus Gregorius, Deum omnipotentem ait, in præſenti vita dulcem nobis fieri per effecta quædam mirabilia, & tamen in ſua celſitudine manere occultum: L. 16. Moral. c. 13. *ut & quadam monſtrando de ſe, occultâ nos inſpiratione in ſuo amore ſuccendat; & tamen abſcondendo Majeſtatis ſuæ gloriam, amoris ſui vim per æſtum deſiderij augeat.*

## §. 2.

### *Nonnulla de re propoſita S. Auguſtini cogitationes.*

VErùm audiamus S. Auguſtinum, eleganter ac dulciter ut ſolet, ſuper ea re diſſerentem. Is enim in libris Confeſſionum ſuarum de Filio Dei incarnato verba faciens, ita L. 13. c. 15. loquitur in rem noſtram: *Attendit per retia carnis, & blanditus eſt, & inflammavit, & cucurrimus poſt odorem ejus.* Loquitur expertus ſanctas illas delicias, & blandè ruminat quod cum voluptate guſtavit. At inſpiciamus (ſi placet) propinquiùs ipſam S. Doctoris mentem, & ſub iſto verborum involucro latentem ſenſum enucleemus.

*Attendit*, inquit, *per retia carnis, & blanditus eſt.* Quemadmodum enim ſponſus ſubinde alludit ſponſæ atq; blanditur, dum eam per ſemirecluſæ feneſtræ rimam, aut cancellorum intervalla reſpectat, videre amans, & videre diſſimulans: ita, ex S. Auguſtini ſenſu, Dei filius per ſuſceptam humanitatem, tanquam per feneſtrarum retia, cancellóſve proſpiciens, & nobis adhuc ex occulto quidem, ſed magis de propinquo blandiens, amore ſui corda noſtra ſuccendit. Etenim ſi S. Doctoris mentem propiùs inſpicimus; retium nomine, non quod vulgò ſolet, intelligit; ſed eas quas dixi feneſtras cancellatas aut reticulatas; ſecutus receptam tunc verſionẽ ſeptuaginta Interpretum Canticorum II. ubi pro eo quod habet vulgata noſtra: *proſpiciens per cancellos;* ipſi vertunt: *proſpiciens per retia;* ad quem equidem locum non dubito S. Auguſtinum, dum iſta ſcriberet, reſpexiſſe.

Quan-

Quanquam & fortaſſis ambiguo vocis, eò non illibenter uſus eſt; quòd membra ipſa, actúsq; Deo conjunctæ humanitatis, etiam retia ſint & plagæ, quibus ille corda noſtra captet, iiſq; demum nos circumventos ac comprehenſos, amoris ſui captivos efficiat. Quamobrem ipſi filij Adæ, qui priusquam Verbum caro fieret, artes omnes eludebant amantis Dei, neq; quibusvis propoſitis illecebris teneri aut capi poterant, ſed ibant vagi in viam cordis ſui: poſtquam Dei filius hominis filius factus eſt, & cordibus hominum capiendis, extremo tanquam divinæ artis experimento, blandum iſtud amoris rete expanſum, ceſſere nimirum ei ſuavi violentiæ, ſéq; ultro in plagas induentes, & inexplicabilibus atq; ineluctabilibus illecebris conſtricti, præda deniq; amantis atq; venantis Dei facti ſunt, impletúmq; eſt quod olim prædixerat per Prophetam: *In funiculis Adam trabam eos, in vinculis charitatis.* *Blanditus* quippe *eſt*, ut ait S. Auguſtinus, *& inflammavit, & cucurrimus poſt odorem ejus.* Oſeæ 11.

Idem S. Doctor alio quodam loco, ejus verbi Dei, quod Scripturis ſanctis continetur, tametſi tot umbris & figuris obtecti, vim & efficaciam admirans: *Magna*, inquit, *Sacramenta fratres. Quomodo loquitur nobiſcum ſpiritus DEI? quomodo nobis facit in hac nocte delicias? quid eſt hoc, rogamus vos fratres? Inde dulciora, quò obſcuriora. Conficit nobis potionem ad amorem ſuum, quibusdam modis ſuis miris.* Quæ quidem à S. Auguſtino de verbo Dei temporali ſacris litteris expreſſo prolata, ad ipſum ſempiternum Dei Verbum carne noſtrâ obtectum, etiam ex ſui authoris mente, meritiſſimè transferri poſſunt. Quippe quod iſti verbo Dei ſcripto ſunt illæ formoſæ allegoriarum & figurarum umbræ, quibus quodammodo conveſtitur & opacatur: hoc, Verbo æterno, eſt tegmen illud & umbraculum ei circumfuſæ humanitatis noſtræ. Et veluti illa (ut alibi idem S. Doctor appellat) *tot paginarum opaca ſecreta* legentium animos magis oblectant ac de- In pſ. 138. L. 11. Conf. c. 3.

ac detinent; *inde* (ut ait) *dulciora, quò obſcuriora*: ita æternus ille paternæ ſubſtantiæ ſplendor, carnis noſtræ tegmine obumbratus, eò ſe dulciùs ſenſibus noſtris inſinuat, quò blanditur occultiùs.

Quod verò philtrum, aut quæ potio amatoria potuit excogitari potentior, ad animos noſtros divino amore afflandos & capiendos, quàm Verbum caro factum; quàm *Epiſt. 3.* illa, ut loquitur Auguſtinus, *mixtura DEI & hominis*, quàm illud in unam hypoſtaſim temperamentum divinitatis & humanitatis?

Sanè quemadmodum ardenter atq; inſanè amantes interdum ſolent; qui ubi ſucceſſum non habent conſuetæ & innocentes illecebræ, ad improbas artes & amatoria medicamenta deveniunt, ut quem aliter non obtinent, vel venenis amorem extorqueant: ita hujus Patris phraſim ſecuti, dicere poſſumus; ingenti noſtri amore captum, ſimile quiddam (ſed piâ fraude) feciſſe DEUM. *De medullis* quippe *Di-* *In Pſ. 109.* *vinitatis ſuæ* (ut S. ait Hieronymus) confecit nobis potionem ad amorẽ ſuum, Verbum ſcilicet ac ſapientiam ſuam, quodammodo carni infundens atque commiſcens, ut eâ noſtræ infirmitati dulceſceret; atq; ita charitate ſua in cordibus noſtris, velut potenti ſucco, diffusâ, immutaret affectiones noſtras, tandémq; nos in ſe, ſuiq; amorem converteret. Tanti fuit ſupremæ illi hominúmq; amatrici bonitati nos ſibi adjungere, & noſtrum deniq; vermium viliſſimorum amorem, ſive ab odiosè faſtidioſis impetrare, ſive de præfractè contumacibus extorquere. Atq; hæc ferè ex Beato Auguſtino.

## §. 3.

*Concluditur caput hoc, quibusdam locis eodem pertinentibus à S. Bernardo adductis.*

At

AT priuſquam hoc caput finiam, in quo fortè abducor longiùs ipsâ argumenti ſuavitate: delectat ex mellifluo Bernardo nonnulla ad extremum adducere, & ijs quæ dicta ſunt confirmandis, ita ex ejus mente philoſophari.

Deus quidem amabilitas ſumma eſt, ſed hoc tamen nomen majeſtatis eſt ac potentiæ; ideóq; ſacrum quendam horrorem mentibus ingerit, timorem incutit, extorquet venerationem. At Jesus, tametſi Deus eſt, tamen benignitatem, philanthrophiam, humanitatem ſonat, nec terrorem infert, ſed provocat amorem. Itaq; mellitus ille Doctor ad illud è Canticis: *Oleum effuſum nomen tuum*; hoc ipſum argumentum verſans: *Profectò* (inquit) *majeſtatis & potentiæ nomen, in id quod eſt pietatis & gratiæ quodammodo transfunditur. Nomen verbi causâ, quod DEUS eſt, nonne in id, quod eſt nobiſcum DEUS, hoc eſt, in Emmanuel, liqueſcit & deficit?* Quid enim iſtud eſt: Dei nomen in Jesum ſeu Emmanuel liqueſcere, reſolvi, & quodammodo deficere? niſi hoc illi comparatum, mollius eſſe atq; amabilius; & Deum per Emmanuelis noſtri humanitatem transfuſum (veluti ſubinde in ijs, quæ percolantur, evenit) ſuâ quaſi auſteritate poſitâ, mollioris jam eſſe ingenij, & in quandam noſtris magis attemperatam ſenſibus liquari ſuavitatem. *ſerm: 15. in Cant.*

Quod ipſum alio in ſermone, non minùs eleganter, nec minùs dulciter exprimens; cùm eundem Dominum noſtrum conſideraret, & ut regnantem ſuper ſidera, & ut inter lilia (hoc eſt, inter mortales) commorantem: *Qui in altiſſimis eſt Dominus* (ait) *in imis eſt dilectus; ſuper ſidera regnans, & inter lilia amans. Amabat & ſuper ſidera, quia nuſquam & nunquam non amare potuit, quia amor eſt: ſed donec ad lilia deſcendit, & paſci inter lilia compertus eſt, nec amatus eſt, nec factus dilectus.* Quaſi antea amaret quidem, ſed amari non poſſet; niſi poſteaquàm, majeſtate poſitâ, & noſtrâ ſuſceptâ humanitate, in terris viſus eſt, & familiariter cum homi- *ſerm. 70. in Cant.*

 mini-

Digitized by Google

minibus converſatus, atq; inter illos mira patrando, & acerba pro illis ſuſtinendo, quantopere illos diligeret, evidentiùs oſtendit; ut immenſus ejus erga nos amor, non dicam uſurpari oculis, ſed manu tangi atq; palpari quodammodo videretur. Ergo nunc gratiæ, miſerationis atq; indulgentiæ tempus eſt; neq; in Verbo humanato, & (ut loquitur S. Hilarius) concarnato propter nos, terroris cauſas, ſed amoris duntaxat habeamus. *L. 6. de Trinit.*

Olim cùm DEUS juſtitiæ ſuæ indulgens, vindictæ omnia, miſericordiæ perparum concederet, & nonniſi fulmina meditans, tonitrua loquens, cœdes tantùm ſpiraret & ſanguinem; & vel igne immiſſo de cœlo, vel terræ hiatu, vel ignitis ſerpentibus in rebelles ſibi populos mortaléſve ſæviret, meritò audiebat, DEUS magnus, & fortis, & terribilis in conſilijs ſuper filios hominum, Dominus exercituum, & DEUS ultionum. Quâ cogitatione perculſus exclamat quidam Propheta: *Quis non timebit te, ô Rex gentium?* Nunc autem cùm amiſſo furore, idem ipſe humanitatem induit, neq; jam DEUS ultionum dicitur, ſed Pater miſericordiarum, nec jam manus habet armatas fulmine, ſed clavis confixas in cruce, nobis nimirum commutandæ ſunt voces, atq; dicendum: *Quis non amabit te, ô Rex cordium?* Hoc quippe jam regnum in nobis affectat, amans amari, non timeri deſiderans: quemadmodum magis manifeſtum erit in ſequenti capite, ubi jam ſpeciatim de Chriſti crucifixi amabilitate diſquirimus. *Jerem. 10.*

# CAPUT VII.

## *Chriſtus crucifixus ſupremum amoris incitamentum.*

UT igitur ad illud quod nobis erat propoſitum, & cujus gratiâ reliqua iſta præmiſſa ſunt, aliquando deveniã:

Si tan-

ſi tanta eſt amoris illecebra, Verbum abbreviatum in carne: quid erit Deus propter nos exhauſtus & exinanitus in cruce? ſi tanta dulcedine nos afficit Verbum infans, in præſepi jacens, in ſtipula vagiens, Deus homo factus in terris viſus, & cum hominibus converſans: quid faciet Deus conſciſſus flagris, vulneribus hians, ſanguine defluens; Deus percuſſus & humiliatus; Deus in cruce pendens, in patibulo moriens, & moriens amore noſtri? Præclarè ſiquidem hîc dixit B. Catharina Senenſis: *animam venire ad perfectam cognitionem Divinæ charitatis, in paſſione Chriſti; quia tunc* (inquit) *ignis latens ſub cinere noſtro cœpit ſe planè manifeſtare.* Etenim, ut indicavimus, idcirco Verbum caro factum eſt, ut ignem in terram mitteret, & mortalium corda magis è propinquo, ardore ſuæ charitatis incenderet. Quemadmodum enim, ex Peripateticorum ſententia, elementum ignis in Sphæra ſua, ſive in lunaris cœli concavo exiſtens, ob nimiam ſuam raritatem non urit, ſed alligari debet & concorporari cum noſtrate materia, ut vim habeat urendi: ita Verbum Divinum, quod in ſinu paternæ æternitatis velut in propria ſphæra conſiſtens, ex S. Bernardi ſuprà poſita cogitatione, à nobis amari vix poterat; materiæ noſtræ illigari debuit, & in carnem quaſi craſſeſcere, ut ardoris ſui vim exerceret, & nos deniq; in amorem ſui, ſuámq; naturã converteret. Verumtamen (quæ eſt iſtius Virginis Theodidactæ commentatio) in reliqua vita fuit inſtar ignis latentis ſub noſtro cinere, debuítq; in paſſione ſua, per flagella, tormenta, cruciatus, tanquam exagitari ac ſuccuti, quò fulgorem ſuum vehementiùs explicaret, & vim ac copiam divinæ ſuæ charitatis oſtenderet.

*In quad. orat.*

Rectè igitur etiam Beatus Laurentius Juſtinianus, qui cùm ita de Verbo incarnato prælocutus eſſet: *Quis autem non langueſceret, quis non jucundo inebriaretur amore, ſi videret ambulans Verbum, ſapientiam loquentem, Unigenitum*

*De caſt. conn. c. 5.*

*DEI cum peccatoribus converſantem, lacrymantem, orantem, ſpiritu frementem, in carne patientem, carníſq; languorem ſuſtinentem?* Deinde ad Chriſti paſſiones ſpeciatim ſermone converſo: *Prorumpant nunc* (ſubdit) *in medium, probra, contumeliæ, blaſphemiæ, illuſiones, ſputa, alapæ, flagella, corona ſpinea, ſceptrum arundineum, purpureâ veſtis, effuſio ſanguinis, poculum fellis, apertio lateris, dolor matris, & cruciatus ignominioſæ ac diræ mortis. Omnia hæc habent voces ſuas: Amoris.* Sic ille.

Inſiſtamus ergo huic argumento otioſiùs; & quando triplex eſt præſertim amoris illecebra; bonitas conjuncta cum inſigni beneficentia, pulchritudo, atque ſuavitas; oſtendamus hæc tria Chriſto crucifixo præcipuâ ratione convenire, nullúmq; adeò incitamentum ad ſui amorem conciliandum, & corda noſtra rapienda illi deeſſe.

## §. I.

### *Singularis IESV Chriſti bonitas ac beneficentia, in ejus paſſione commendatur.*

CErtè bonitas ac beneficentia præcipuum amoris incitamentũ eſt: amor quippe ad amorem trahit, philtrúmq; innocens, ſed potentiſſimum eſt, amare, à quo cupias amari. *Sed ubi quæſo* (inquit alibi citatus Doctor Seraphicus) *magis apparet diffuſio bonitatis divinæ, & benigniſſimæ Clementiæ dulciſſimi & amantiſſimi DEI & Domini noſtri JESU Chriſti, quàm in paſſione ſua? ubi talia, tanta, tam turpia & gravia ſuſtinere voluit, pro inimico ſuo liberando & glorificando?* Et rectè Beatus Ambroſius ſummam in hoc Chriſti erga nos charitatem agnoſcit, quòd non carnem modò, ſed crucem etiam pro nobis ſuſceperit. *Corpus enim ſuſcipiens* (inquit) *Dominus JESUS Chriſtus charitatis ſe vinculis illigavit, & non ſolùm ſe membris noſtris & paſſionibus naturalibus, ſed etiam cruci vinxit.* Rurſúmq; S. Bonaventura ipſum Chri-

*P. 1. ſtim. ſ. 4.*

*ſerm. 3. in pſal. 118.*

Digitized by Google

Chriſtum crucifixum alloquens: *Nimia fuit* (inquit) *dilectio tua: & in hoc apparet abyſſus tuæ immenſæ pietatis. Non enim in te video cauſam mortis, niſi ſuperabundantiã charitatis.* [*P. 1. ſtim. c. 2.*] Quò jam magis placeat hoc loco, quod quidam Noſtrorum ingenioſè commentus eſt: quemadmodum in morbis ignotis & inſolitis aperiri ſolet in defuncti corpore membrum illud, in quo mali origo latuiſſe creditur, quò morbi ratio ad extremum deprehendatur: ita fortè Chriſto poſt mortẽ lanceâ cor apertum fuiſſe, quaſi indicaretur leti cauſam in eo latère, & prodigioſa illa ſymptomata mortíſq; genus adeò inſolens, non niſi à nimio cordis ardore, ab amoris inquam erga nos exceſſu, ortum habuiſſe. Sic enim Doctorem Seraphicum jam audivimus, poſt accuratam Crucifixi contemplationem, velut quadam factâ interiorum ejus anatome, dilertè pronunciantem: *Non invenio in te cauſam mortis, niſi ſuperabundantiam charitatis.* Quam cogitationem tanquam calculo ſuo confirmans S. Bernardus: *Nam in opere quidem* (inquit) *patientia, in modo humilitas, in cauſa charitas commendatur.* [*ſer. 4. hebd. pæn.*]

Ne verò in iſto amoris exceſſu commemorando aut commendando prolixior exiſtam, de quo & multa jam diximus, & plura dicendi ſæpiùs recurret occaſio; id modò nunc dicam: iſtam charitatis Chriſti abyſſum aliquouſque penetrare volenti, attendendum duntaxat; in quod ille profundum, ſive doloris, ſive ignominiæ, & uſquequo demum indignitatis, amore noſtri in paſſione deſcenderit: euſq; nimirum, ut & inſtar vermis conculcati atq; contriti, ſuorum tabe vulnerum per omne corpus oblitus atq; fœdatus ſit; & inſtar viliſſimi ſcarabæi, in luto probrorum & dedecorum volutatus. Sic enim de Chriſto rurſum Beatus Ambroſius: *Vermis in cruce*, inquit, *Scarabæus in cruce*: quorum prius habetur ex pſalmo 21. poſterius autem deſumpſit ex Habacuc cap: 2. ubi juxta verſionem ſeptuaginta Interpretum [*l. 10. in Luc. 23.*]

pretum

pretum, ſic legitur: *Scarabæus de ligno clamabit*; quod ipſe de Chriſto in cruce clamante interpretatur.

Huc nempe impulit Dominum JESUM amor ſuus, ut noſtrâ cauſâ velut vermis & ſcarabæus, hoc eſt, miſerrimus & abjectiſſimus factus ſit. Ut proinde iſtam divini amoris adverſum nos magnitudinem, & (velut Alphonſo Madritenſi, & Florentio Carthuſiano, aliiſq; apud Bloſium, loqui viſum eſt) intemperantiam, non alia meliùs loquendi figurâ exprimere liceat, quàm ſi cum Scriptura & Patribus dixerimus, infinitam illam majeſtatem ac bonitatem, ad ſpeciē quandam inſaniæ nos deamaſſe. Non quaſi in DEUM re ipſa cadere poſſit inſipientia; ſed quòd amore noſtri, ad ea deſcenderit & abjecerit ſe, quæ (ut principio partis iſtius dicebamus) humano ſenſu divina metientibus, abſurda prorſus & DEO indigna viſa ſint, & quandam adeò ſtultitiæ imaginem præſeferre. Sic enim, Apoſtolo teſte, *verbum crucis pereuntibus ſtultitia eſt*; ibidémq; legimus, *ſtultum DEI* (ſeu DEI ſtultitiam.) Et ipſe Chriſtus in pſalmo ad Patrem: *Tu ſcis* (inquit) *inſipientiam meam*: quòd nempe (ut interpretatur Sanctus Auguſtinus) nihil tam inſipientiæ ſimile videretur; *quàm cùm haberet in poteſtate, unâ voce ſuos perſecutores proſternere, pateretur ſe teneri, flagellari, conſpui, colaphizari, ſpinis coronari, ligno affigi*: idq; amore noſtri, quos non modò hactenus habuiſſet ſibi inimiciſſimos, ſed (ut in pleriſq; quidem videre eſt) adverſus hunc ſuum tantum amorem ſenſurus eſſet ingratos. *Hoc imprudentiæ ſimile & ſtultum videtur*, inquit S. Auguſtinus: quanquam ut idem ait alibi, *ſtultum ipſius, ſapientia noſtra eſt*. Deniq; S. Hieronymus, Commentarijs in Iſaiam, ijsdem allegatis Scripturæ locis, non dubitat Chriſtum, ſtultorum principem appellare, eorum ſcilicet, qui *ſtulti propter Chriſtum* facti ſunt, ſicut ipſe Chriſtus tanquam ſtultus factus eſt amore noſtri.

*Expl. paſſ. c. 9. Dicta Patrū c. 2.*

*1. Cor. 1.*

*Pſal. 68.*

*in Pſ. 40.*

*Iſai. 35.*

Adeo

Adeò hic quoq; quodammodo verum eſt vetus illud: *Amare & ſapere vix ipſi DEO concedi.* *Publ. Syrus.*

## §. 2.

### *IESV crucifixi rara & eximia pulchritudo.*

IAm pulchritudo, quæ potentiſſima eſt humanorum cordium amorúmq; prædatrix, quanta tibi in Chriſto crucifixo eſſe videtur? Cave enim putes, tunc ſolùm ſpecioſum fuiſſe præ filijs hominum, cùm vel infans materno in gremio luderet, vel adoleſcens proficeret gratiâ apud DEUM & homines, vel virili dignitate florens inter populos verſaretur: at per tormenta jam atq; flagella, per livorem vulnerum, ſputorum dedecora, cruoris lituras, pallorem mortis, omnẽ illam priſtinam ſpeciem, vultúsq; decorem ac dignitatem intercidiſſe: quaſi ille quidem pulcher admodum ſit in ſinu Patris, pulcher in ſinu Virginis, at deformis ac fædus in ſinu crucis. Siquidem & Chriſtus crucifixus, etiam ad miraculum pulcher eſt: ſed ijs profectò qui ad id acutos & exercitatos ſenſus habeant, quiq; etiam per hæc dedecora, intermicantis cujusdam arcanæ pulchritudinis lineamenta ac formam internoſcere poſſint; non ijs qui duntaxat hæreant in externa ſpecie, & ultra ea, quæ in ſenſus carnis incurrunt, aciem nequeant mentis intendere. Quorum vox illa eſt in Iſaia: *Non eſt ſpecies ei, neq; decor. Et vidimus eum, & non erat aſpectus.* Etenim, ſi S. Auguſtino credimus, *Judaeorum perſonam gerebat Propheta, cùm diceret: Vidimus eum, & non habebat ſpeciem neq; decorem. Intelligentibus autem* (inquit) *& Verbum caro factum* (utiq; & Chriſtus crucifixus) *magna pulchritudo eſt.* Unde ſubdit: *Mihi autem abſit gloriari, dixit unus amicorum ſponſi, niſi in cruce Domini noſtri JESU Chriſti.* Atq; ſubinde rem magis explicans: *Nobis ergo jam credentibus* (ait) *ubiq; Sponſus pulcher occurrat. Pulcher in cælo,*

*Iſai. 53.*

*In pſal. 44.*

pretum, ſic legitur: *Scarabæus de ligno clamabit*; quod ipſe de Chriſto in cruce clamante interpretatur.

Huc nempe impulit Dominum JESUM amor ſuus, ut noſtrâ cauſâ velut vermis & ſcarabæus, hoc eſt, miſerrimus & abjectiſſimus factus ſit. Ut proinde iſtam divini amoris adverſum nos magnitudinem, & (velut Alphonſo Madritenſi, & Florentio Carthuſiano, aliiſq; apud Bloſium, loqui viſum eſt) intemperantiam, non alia meliùs loquendi figurâ exprimere liceat, quàm ſi cum Scriptura & Patribus dixerimus, infinitam illam majeſtatem ac bonitatem, ad ſpeciē quandam inſaniæ nos deamaſſe. Non quaſi in DEUM re ipſa cadere poſſit inſipientia; ſed quòd amore noſtri, ad ea deſcenderit & abjecerit ſe, quæ (ut principio partis iſtius dicebamus) humano ſenſu divina metientibus, abſurda prorſus & DEO indigna viſa ſint, & quandam adeò ſtultitiæ imaginem præſeferre. Sic enim, Apoſtolo teſte, *verbum crucis pereuntibus ſtultitia eſt;* ibidémq; legimus, *ſtultum DEI* (ſeu DEI ſtultitiam.) Et ipſe Chriſtus in pſalmo ad Patrem: *Tu ſcis* (inquit) *inſipientiam meam:* quòd nempe (ut interpretatur Sanctus Auguſtinus) nihil tam inſipientiæ ſimile videretur; *quàm cùm haberet in poteſtate, unâ voce ſuos perſecutores proſternere, pateretur ſe teneri, flagellari, conſpui, colaphizari, ſpinis coronari, ligno affigi*: idq; amore noſtri, quos non modò hactenus habuiſſet ſibi inimiciſſimos, ſed (ut in pleriſq; quidem videre eſt) adverſus hunc ſuum tantum amorem ſenſurus eſſet ingratos. *Hoc imprudentiæ ſimile & ſtultum videtur*, inquit S. Auguſtinus: quanquam ut idem ait alibi, *ſtultum ipſius, ſapientia noſtra eſt.* Deniq; S. Hieronymus, Commentarijs in Iſaiam, ijsdem allegatis Scripturæ locis, non dubitat Chriſtum, ſtultorum principem appellare, eorum ſcilicet, qui *ſtulti propter Chriſtum facti ſunt*, ſicut ipſe Chriſtus tanquam ſtultus factus eſt amore noſtri.

*Expl. paſſ. c. 9. Dicta Patrū c. 2.*

*1. Cor. 1.*

*Pſal. 68.*

*in Pſ. 40.*

*Iſai. 35.*

Adeo

Adeò hic quoq; quodammodo verum eſt vetus illud: *Amare & ſapere vix ipſi DEO concedi.* *Publ. Syrus.*

## §. 2.

### *IESV crucifixi rara & eximia pulchritudo.*

IAm pulchritudo, quæ potentiſſima eſt humanorum cordium amorúmq; prædatrix, quanta tibi in Chriſto crucifixo eſſe videtur? Cave enim putes, tunc ſolùm ſpecioſum fuiſſe præ filijs hominum, cùm vel infans materno in gremio luderet, vel adoleſcens proficeret gratiâ apud DEUM & homines, vel virili dignitate florens inter populos verſaretur: at per tormenta jam atq; flagella, per livorem vulnerum, ſputorum dedecora, cruoris lituras, pallorem mortis, omnẽ illam priſtinam ſpeciem, vultúsq; decorem ac dignitatem intercidiſſe: quaſi ille quidem pulcher admodum ſit in ſinu Patris, pulcher in ſinu Virginis, at deformis ac fædus in ſinu crucis. Siquidem & Chriſtus crucifixus, etiam ad miraculum pulcher eſt: ſed ijs profectò qui ad id acutos & exercitatos ſenſus habeant, quiq; etiam per hæc dedecora, intermicantis cujusdam arcanæ pulchritudinis lineamenta ac formam internoſcere poſſint; non ijs qui duntaxat hæreant in externa ſpecie, & ultra ea, quæ in ſenſus carnis incurrunt, aciem nequeant mentis intendere. Quorum vox illa eſt in Iſaia: *Non eſt ſpecies ei, neq; decor. Et vidimus eum, & non erat aſpectus.* *Iſai. 53.* Etenim, ſi S. Auguſtino credimus, *Judæorum perſonam gerebat Propheta, cùm diceret: Vidimus eum, & non habebat ſpeciem neq; decorem.* *In pſal. 44.* *Intelligentibus autem* (inquit) *& Verbum caro factum* (utiq; & Chriſtus crucifixus) *magna pulchritudo eſt.* Unde ſubdit: *Mihi autem abſit gloriari, dixit unus amicorum ſponſi, niſi in cruce Domini noſtri JESU Chriſti.* Atq; ſubinde rem magis explicans: *Nobis ergo jam credentibus* (ait) *ubiq; Sponſus pulcher occurrat. Pulcher in*

*cælo,*

*cælo, pulcher in terra, pulcher in utero, pulcher in manibus parentum, pulcher in miraculis, pulcher in flagellis; pulcher invitans ad vitam, pulcher non curans mortem, pulcher deponens animam, pulcher recipiens, pulcher in ligno, pulcher in ſepulchro.* Vidésne quòd ait: etiam in flagellis, etiam in ligno atq; ſepulchro pulchrum eſſe? quia nempe, ut ibi ſubjungit, *ſumma & vera pulchritudo juſtitia eſt:* cujus utiq; juſtitiæ partium omnium apta inter ſe ſe, ſummâ cum dignitate atque ſuavitate, conſenſio inter cruciatus & opprobria in Chriſto præſertim emicuit, divinóſq; etiam rapuit oculos. ut jam non verear, favente S. Ambroſio, nec ipſo opinor repugnante Auguſtino dicere: Pulcher in utero, ſed pulchrior in ligno: pulcher in faſcijs, pulchrior in flagellis; pulcher in miraculis, pulchrior in opprobrijs; pulcher in monte Thabor, pulchrior in colle Calvariæ; pulcher in gremio Matris, pulchrior inter brachia crucis.

Audi Ambroſium, ita pulchrè de Chriſto crucifixo, & appoſitè in rem noſtram: *Ego flos campi, & lilium convallium. Flos odorem ſuum & ſucciſus reſervat, & contritus accumulat, nec avulſus amittit. Ita & Dominus JESUS in illo patibulo crucis, nec contritus emarcuit, nec avulſus evanuit, & illâ lanceæ punctione ſucciſus, ſacro ſpecioſior fuſi cruoris colore vernavit, mori ipſe neſcius, & mortuis æternæ vitæ munus exhalans.* (L. 2. de Spir. S. c. 5.)

Ergo ex S. Ambroſij mente, ſpecioſior fuit flos ille divinus, cùm in ſtipite crucis velut ſucciſus atq; contritus, externâ ſpecie in hominum oculis emarcuit; neque fuſi cruoris infectione decolorari viſus eſt, ſed novum decorem accipere, & tanquam tincturam ſpecioſiſſimæ charitatis.

Aptè quippe idem Auguſtinus alium pſalmum exponens, exquiſitam illam divini Sponſi pulchritudinem, quâ ad ſe rapit animas ſanctas, docet præſertim in charitate (quæ etiam eidem vera eſt juſtitia) conſiſtere, quæ quoniam in

Chriſto

Chriſto nuſquam excellentiùs, quàm cùm crucifixus eſt, apparuit; conſequens eſt eum, haud uſquam alibi ſpecioſiorem, quàm in ipſa crucis deformitate fuiſſe. Sed juvabit ipſa S. Doctoris verba ponere: *Sponſus eſt ille*, inquit, *quo nihil eſt pulchrius: qui quaſi fœdus apparuit inter manus perſequentium; de quo paulò antè dicebat Iſaias: Et vidimus eum, & non habebat ſpeciem, neq; decorem. Ergo Sponſus noſter fœdus eſt? abſit. Quomodo enim illum Virgines amarent, quæ in terra maritos non quæſierunt? Ergo perſequentibus fœdus apparuit. Non enim habebant oculos, unde Chriſtus pulcher videretur. Nam ut noveritis, quia pulcher eſt Chriſtus, qui amatur, audi Prophetam: Specioſus formâ præ filijs hominum. omnes homines ſuperat illius pulchritudo.* Tum iſtud præclarè ſubijcit, cujus gratiâ reliqua poſuimus: *Quam rem amamus in Chriſto? membra crucifixa, latus vulneratum, an charitatem? Quando audimus, quia paſſus eſt pro nobis, quid amamus? Charitas amatur. Amavit nos, ut redamaremus eum.* Et quæ ſequuntur. *In Pſal. 127.*

Ille igitur quaſi leproſus, ille vermis, atq; hominum incredulorum opprobrium, etiam per ſputorum dehoneſtamenta, per vulnerum livorem, per laceros artus, & membra confuſa ſuo ſanguine, credentium oculis divinam oſtentat atq; ingerit pulchritudinem, eóq; etiam animabus ſanctis ſpecioſior apparet atq; amabilior, quòd eum intelligant, amore ſui ad tam indigna ac deformia deveniſſe.

Adſcribamus deniq; verba S. Bernardi, de hac Sponſi noſtri pulchritudine, etiam in infirmitate carnis & abjectione paſſionis, ita philoſophantis: *Quàm pulcher es Angelis tuis, Domine JESU, in forma DEI, in die æternitatis tuæ, in ſplendoribus Sanctorum ante Luciferum genitus, ſplendor & figura ſubſtantiæ Patris! Quàm mihi decorus es, Domine mi, in ipſa tui hujus poſitione decoris! Etenim ubi te exinaniviſti, ubi naturalibus radijs lumen indeficiens exuiſti* (quod in Incar- *ſer. 45. in Cant.*

 natio-

Digitized by Google

natione & præſertim in paſſione contigit) *ibi pietas magis enituit, ibi charitas plus effulſit, ibi ampliùs gratia radiavit.* Hæc de ſecundo.

## §. 3.

### *De ejuſdem Salvatoris noſtri, inter amara paſſionis ſuæ, incredibili ſuavitate.*

PORrò ſi ſuavitas quæritur, ſi dulcedo ſpiritûs, ſi ſancti amoris blanditiæ, audeo dicere, nuſpiam Dominum JESUM Chriſtum, quàm in ipſa cruce, in eo tormentorum horrore, in ea tanta támq; incredibili paſſionis ſuæ ac mortis amaritudine, amantium ſenſibus dulciorem ac blandiorem eſſe. Pulchrè ſiquidem S. Auguſtinus, in illa verba Pſalmi 117. *Circumdederunt me ſicut apes favum* (nam poſtremam vocem addit ex græca verſione) de hoc ipſo diſſerens, ita loquitur: *Neſcientes perſecutores, fecerunt eum nobis ipſâ paſſione dulciorem, ut guſtemus & videamus, quàm ſuavis eſt Dominus, qui mortuus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram.*

*ſerm: 61. in Cant:* Sanctus porrò Bernardus ſermone quodam in Cantica, cùm illa S. Auguſtino paria dixiſſet: *Per has rimas* (hoc eſt, per aperta Salvatoris vulnera) *licet mihi ſugere mel de petra, oleúmq; de ſaxo duriſſimo; id eſt, guſtare & videre, quoniam ſuavis eſt Dominus.* Et iſta: *Patet arcanum cordis per foramina corporis; patet magnum illud pietatis Sacramentum; patent viſcera miſericordiæ DEI, in quibus viſitavit nos oriens ex alto.* Tum verò ſubjungit, quod præſertim huc pertinet: *Quidni viſcera per vulnera pateant? in quo enim clariùs, quàm in vulneribus tuis eluxiſſet, quòd tu Domine, ſuavis & mitis es, & multæ miſericordiæ?* Rurſum autem Chriſtum crucifixum, cum eo quem ſeſe demonſtraturus eſt in gloria, quodammodo comparans: *ſublimis*, inquit, *in Regno, ſed ſuavior in cruce.* Quod non ita dictum putabimus, quaſi etiam in re-

gno

Digitized by Google

gno, atque ibi in primis, ſuaviſſimus non ſit: alioqui enim unde illa Sanctorum ebrietas ab ubertate Domûs Dei? unde illi dulciſſimi ſenſus, æternáq; gaudia? unde illi torrentes voluptatis? Verumtamen Chriſto, in regno ſedenti ſublimitatem, in cruce pendenti ſuavitatem attribuit: quòd animæ in terra peregrinanti, & ſub crucis umbra requieſcenti, neſcio quomodo dulciùs ſapiat ſponſus ſuus, in illo florido amoris lectulo extenſus. Nam illa dulcedo cœleſtis fluminis, cujus impetus inundat & lætificat civitatem Dei, longè omninò ab illa eſt, & non niſi paucas illius ſtillas delibat in hac ſolitudine: ut ſanè regnantis in cœlo ſponſi ſublimitatem agnoſcat, vix ſentiat ſuavitatem. At in cruce pendens vir ille dolorum, tametſi fructus eſt terræ ſublimis, & profunda crucis humilitas mentes etiam angelicas ipsâ myſterij excelſitate tranſcendit: per illa tamen dehoneſtamenta, & paſſionis ignominiam, obumbrari videtur atque occultari ſublimitas, & ſola apparere & allicere ſuavitas. Sic igitur ex S. Bernardi ſenſu, hic pallor præ illo ſplendore magis attemperatur noſtris ſenſibus; terret ille, hic mulcet; & regni majeſtas ſublimitatem habet, crucis humilitas ſuavitatem.

Sed reſiſtamus in his paululùm: & quando ſuavitate ac blanditiâ adeò ducimur, Crucifixi dulcitudinem, quâ ad ſui amorem nos ineſcat, otioſiùs reguſtemus. Hic enim ſi uſpiam, dulcis ille ſponſus animarum noſtrarum amat nobis facere delicias, attendens per retia carnis, & amorem noſtrum quodammodo eblandiens, ut ipſius deſiderio inflammati, curramus in odorem ejus. *En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum*; luteam, inquam, carnis noſtræ maceriam: ut enim eleganter S. Auguſtinus: *ædificavit ſibi humilem domum de limo noſtro, per quam ſubdendos deprimeret à ſe ipſis, ſanans tumorem, & nutriens amorem.* Inde nobis velut diſſimulanter, ſed oppidò dulciter blanditur, *reſpiciens per feneſtras,*

Cant: 2.

l. 7. Conf. c 18.

*neſtras, proſpiciens per cancellos;* hoc eſt, per vulnerum aperturas & ſulcos verberum, quibus jam feneſtrata apparet, & velut cancellatim diſſecta, ſacratiſſima ejus humanitas, Iſtæ enim ſunt dulces tranſennæ, iſta arcana reticula, per quæ quodammodo ex occulto proſpiciens amor tuus, ô bone Jesu, ſatis tamen eminens ac ſe prodens amabilibus inſidijs, furtivis blanditijs corda noſtra prædatur. O felices plagas! amabilia retia! quibus utinam ſic capiatur & irretiatur cor meum, ut jam inde ſeſe extricare nequeat, incautâ libidine pernicioſæ libertatis.

Ecce jam à terra exaltatus es, Domine Jesu; jam in ſummo ſphæræ tuæ vertice, in fervore diei, in amoris meridie conſtitutus. Trahe me ad te ipſum, ex verbo tuo; & inter tot corda te amantium, quæ de trophæo crucis tuæ religata dependent, cor iſtud miſellum, de luto ſublatum, & à terra avulſum, tuis deniq; militaturũ amoribus, tuis ignibus arſurum, ſuſpende. Ut enim piè ac dulciter quidam amator tuus: ſi ejusmodi cor haberem, ut majus eſſet quàm omnia corda filiorum hominum, atq; in ſe uno Angelorum omnium amores ardoréſq; complecteretur; illud tibi integrè tribuere deberem; eſſétq; munus exile & quaſi nihilum, præ dignitatis ac bonitatis tuæ magnitudine: *quantò magis* P.1.ſtim.c.3. *ergo illam parvam ſcintillam cordis quam habeo, tibi dabo, & totaliter in te ponam?* Ita Seraphicus Bonaventura.

# CAPUT VIII.

## *Ad amorem JESU Chriſti crucifixi parænetica invitatio.*

IStis porrò in univerſum de Jesu crucifixi amabilitate propoſitis, deſcendendum nobis eſt ad particularia ejus amoris exercitia: quod quidem deinceps facturi ſumus, ſi tamen

tamen priùs in hoc capite, ad animos noſtros ad id officij efficaciùs invitandos, noſtram in hoc ipſum obligationem paucis expoſuerimus, & quaſi artis Crucifixum amandi generale præceptum tradiderimus.

Rectè etenim Cornelius noſter: *Crux*, inquit, *eſt Academia divinæ bonitatis, & amoris puriſſimi æquè ac immenſi: ut in ea Chriſtum contemplans, cogaris ex ſtupore exclamare: ô bonitas! ô amor! quantum me amâſti! quàm caro pretio me redemiſti! quanta bona tuis malis mihi contuliſti!* Rectè, inquam, ille. Nam, ſi expertis credendum eſt, quæ brevi methodo & efficaci artem DEUM amandi doceat, profectò nulla eſt Crucifixi ſcholâ præſtantior. *In Prov. c. 1.*

Adeſte igitur quotquot Chriſtum amatis, & qui non amatis, adeſte tamen, ut ametis. Si adhuc neſcitis, quid ſit amare: en magna divini amoris ſchola in Calvariæ monte aperta eſt, *JESUS crucifixus.* Intrate tantùm in cor ejus, quod eam ob rem apertum eſt; & ibi palpate amorem ejus, guſtate ſuavitates ejus. Reddite tandem amorem amori: nam ſi amare non delectat, tot alijs titulis dignum amari; pudor ſit ſaltem non redamare ſic amantem. *Illum ergo amemus, quem amare debitum eſt.* Et ſi non habemus, quod illi de noſtro reddamus; de ipſius corde amantiſſimo ſumamus licet, quod ei denique refundamus. *Paulin. ubi infrà.*

Aptè in hunc locum Sancti Præſules Paulinus atq; Ambroſius, eodémq; non tantùm ſenſu, ſed ijsdem propemodum verbis: *Quid ergo illi pro malis meis quæ pertulit, quid pro bonis ſuis quæ contulit, referam? quid pro ſuſceptæ carnis injuria, quid pro alapis, pro opprobrijs? quid pro flagellis, cruce, obitu, ſepulturâ? Eſto reddamus crucem pro cruce, funus pro funere: nunquid poterimus reddere, quod ex ipſo & per ipſum, & in ipſo habemus omnia. Reddamus ergo amorem pro debito, charitatem pro munere, gratiam pro ſanguinis pretio. Væ enim nobis, ſi non dilexerimus.* Sic illi. *Paulin. Ep. 1. ad Sev. Ambr: l. 6. in Luc. c. 7.*

Verum

Verùm nos deniq; non verbis modò, ſed etiam exemplo, inflammet Seraphicus Bonaventura: qui in tanti myſterij contemplatione amore æſtuans, tamen velut frigidè amare ſe credens, in omnes ſeſe verſat affectus, & in has demum ſuſpirationes erumpit ad Amorem ſuum Crucifixum: *O amor & deſiderium cordis! ô dulcedo & ſuavitas mentis! ô ardor & inflammatio pectoris! ô lux & claritas oculorum! ô aurium pulchra Symphonia! ô hoſtia DEO Patri odorifera! ô melliflua guſtatio fluxûs ſanguinis! ô amantiſſima palpatio lateris! ô anima mea, ô vita mea, ô viſcera cordis mei, ô medulla oſſium, vegetatio carnium, ſenſificatio organorum, intellectûs inſpiratio, & exultatio mea! Cur ego non ſum converſus totus in amorem tuum? Quare aliquid eſt in me, niſi amor? Quomodo poſſum aliud cogitare vel meditari? Et quid amore tuo dulcius? quid ampliùs cupio? cur ergo non ſum illo illaqueatus & captus? Undiq; me circumdat amor tuus, & neſcio quid ſit amor.* Hæc & plura S. Bonaventura: vulneratus utique, & affectus intimis ſenſibus, ac velut ebrius ac diffluens eâ quam in Deo Jesu ſuo crucifixo experiebatur ſuavitate.

*P.2.ſtim.c.2.*

# CAPUT IX.

## *Contemplatio JESU Chriſti crucifixi, ad ejus amorem in nobis excitandum.*

### §. I.

#### *Ejus exercitij ex SS. Patribus commendatio.*

QVanquam ex ijs, quæ hac parte partim prædiximus, partim proximè ſubjuncturi ſumus, ſibi quisque facilè conformare poſſit rationem aliquam, aut modum, hujus utilis nec minùs dulcis exercitij; ipſáque experientiâ compertum ſit, Salvatoris de cruce pendentis attentiori contemplatione, vulnerari ſolere piorum corda, illánq;

illámq; triſtem ac doloris plenam imaginem, abſquè arte aut præceptis alijs, per ſe ſufficere ad ſenſus noſtros amore Chriſti vehementiùs inflammandos: quia tamen non inutile fuerit, Patrum quorundam ſenſum ea ſuper re cognoſcere, poſſúntq; nonnullis præceptionibus ad id juvari, qui ejus rei uſum adhuc nullum habeant; idcirco ei exercitio viſum eſt hoc caput addicere.

S. Auguſtinus in libro de ſancta Virginitate, Virgines DEO dicatas ad hoc amoris exercitium provocans: *Illud ipſum* (inquit) *quod in eo* (Chriſto videlicet ſponſo veſtro) *derident ſuperbi, inſpicite quàm pulchrum ſit. Internis luminibus inſpicite vulnera pendentis, cicatrices reſurgentis, ſanguinem morientis. Hæc quanti valeant, cogitate; hæc in ſtatera charitatis appendite: & quidquid amoris nuptijs veſtris* (hoc eſt, terreno ſponſo) *impendendum habebatis, illi rependite.* Et infrà: *Toto vobis figatur in corde, qui pro vobis fixus eſt in cruce.* *c. 54. & 55.*

Similiter S. Bonaventura hortatur itidem Virginem Chriſti, ut ſancti amoris fervorem in ſe aſſiduè nutrire curet, ex ejuſdem Chriſti crucifixi contemplatione. *Semper ergo*, ait, *oculis cordis ſui Chriſtum in cruce tanquam morientem videat, qui devotionem vult conſervare inextinguibilem. Propter hoc Dominus dicit in Levitico: ignis in altari meo ſemper ardebit, quem nutriet Sacerdos, ſubjiciens ligna per ſingulos dies. Audi ſoror ſanctiſſima: Altare DEI eſt cor tuum; in hoc altari debet ſemper ardere ignis fervidæ devotionis, quem ſingulis diebus debes nutrire per ligna crucis Chriſti, & memoriam paſſionis ipſius.* *L. de perf. vit. c. 6.*

S. Bernardus libro de diligendo DEO cap. 1. de hoc ipſo affectu ſponſæ crucifixum Sponſum contemplantis, ita loquitur: *Cernit Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum Mater ſua. Cernit unicum Patris crucem ſibi bajulantem. Cernit cæſum & conſputum Dominum Majeſtatis. Cernit auctorem vitæ, & gloriæ, confixum clavis, percuſſum lanceâ,*

*oppro-*

*opprobrijs ſaturatum, tandem illam dilectam animam ſuam, ponere pro amicis ſuis. Cernit hæc, & ſuam magis ipſius animam gladius amoris transverberat, & dicit: fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.* Plura ex Patribus ſuggeremus paragrapho ſequenti.

## §. 2.

### *Ejuſdem exercitij ratio & forma quædam proponitur.*

IN hac igitur contemplatione quiſquis ſe exercere voluerit; is ante Crucifixi effigiem in genua abjectus, primùm pronâ capitis inclinatione ab ipſo Chriſto crucifixo veniam gratiámq; ad id quod agitur opportunam efflagitet: tum verò manibus ad pectus in crucis modum conformatis, & ſublatis in Chriſtum ac defixis reverènter oculis, univerſo quodam ac generali intuitu colluſtret præclaram imaginem illam atq; prædulcem, & divinâ arte prorſus compoſitam ad amorem. Contempletur, inquam, amantiſſimi JESU corpus exangue, pallore, livore, vibicibus, & ipſo ſuo cruore confuſum, contuſione deformatum, verberibus lacerum, vulneribus hians, pérq; præduri ſtipitis membra dirè diſtentum atq; confixum. En ut ſacrum caput inclinat, obſitum ſpinis, ſputis illitum, cæſarie diſtractâ atque convulsâ, liventibus genis, ore diducto, & ſuo undiq; rorans ſanguine. Ecce ut dehoneſtatus eſt amabilis ille vultus, dulce ſpectaculum beatarum mentium: ut obſcurati divini oculi, ſedes amoris ac clementiæ: ut de patulo cordis vulnere torrens ſanguinis & aquæ egreditur, velut fluvius de loco voluptatis.

Hîc verò perculſus admiratione ſpectaculi, ita apud animum ſuum exclamet: Ecce ut præ amoris vehementia, exinanivit ſemet ipſum, atq; exhauſit DEUS tuus! En quò amore tui redactus eſt Sponſus tuus, anima, amator tuus, dilectus tuus, Redemptor tuus, & DEUS cordis tui. Quò deniq;

deniq; devenit lux tua, ſalus tua, gloria tua, dulcedo tua, amor, deliciæ, gaudium, & omne bonum tuum! *Quid dilexiſti Domine in me* (exclamat hic S. Auguſtinus) *& tantùm dilexiſti, ut morereris pro me? Quid tale in me inveniſti, pro quo tanta & tam dura ſuſtinere voluiſti?* Itémq; ad Chriſtum Guilielmus Abbas: *Cùm attentiùs reſpicimus imaginem paſſionis tuæ, ſilente ipſâ, videris nobis de cruce dicere: Cùm dilexiſſem vos, in finem dilexi vos.* Ita enim res eſt, Domine Jesu; in finem amoris, extremo inquam & ſummo amore, dilexiſti nos. *Opus ſine exemplo*, inquit S. Bernardus, *gratia ſine merito, charitas ſine modo.* *Medit. c. 6.* *In medit.* *Thom. Hibern.*

Poſt hæc ad ſingula Crucifixi membra particulatim contemplanda deſcendens; attendat ut illa ipſo ſuo habitu amorem ſpirent, & vim habeant permagnam ad dulciter afficiendos animos noſtros, & ſancto Chriſti amore inflammandos. Unde & id genus ſpiritualis exercitij pleriſq; Sanctorum animadverto placuiſſe. S. Bonaventura loco ſuprà citato hæc refert tanquam ex S. Bernardo: *Vide* (inquit) *caput Chriſti inclinatum ad te oſculandum; manus perfoſſas ad largiendum; latus apertum ad diligendum; totius corporis extenſionem ad ſe totum impendendum.* Quibus affinia ſunt, quæ alij ex S. Auguſtino referunt: *Caput habet inclinatum ad parcendum; cor apertum ad diligendum; brachia extenſa ad amplexandum; totum corpus expoſitum ad redimendum*; quæ partim habentur in Manuali, hoc modo: *Extendit brachia ſua in cruce, & expandit manus ſuas, paratus in amplexus peccatorum.* Et infrà. *Salvator noſter caput inclinavit in mortem, ut oſcula daret dilectis ſuis, &c.* *ad fratr. de eremo ſer. 32* *Manual. c. 23.*

At Joannes Thaulerus hæc, ut ipſe appellat, amoris argumenta & indicia, quibus nos ſimiliter ad amorem ſuum Chriſtus provocat, paulò pluribus ſic proſequitur: *Eſt ſublatus in altum, ut ab omnibus videretur, latè ſua extendens brachia, ut nos omnes amplexaretur. Duris rigidiſq; ad crucem*

*clavis affixus eſt, ut nos ad pœnitentiam longanimiter præſtolaretur. Ex omni corpore ſuo manavit ſanguinem, ut largiter nobis potandam præberet præcipuam ſui pretioſi ſanguinis medicinam. Ingentia vaſtáq; ſuſcepit vulnera, ut patulum acceſſum ſecurúmq; latibulum in illis ſemper habeamus, ab omni tentationum afflictionúmq; impulſu. Latus ſuum confodi permiſit, quò viam nobis ad cor ſuum patefaceret. Demiſit caput, quò pacis nobis reconciliationisq; & amoris præberet oſculum. Quis igitur poſt hæc* (ſubdit idem author) *tam in vitijs obduratus ſit, ut cuncta hæc amoris ſigna eum non excitent, ad reddendam vicem quantam poterit, amori huic incomprehenſibili?* Quæ ferè omnia ex eodem authore refert Bloſius in Dominicæ Paſſionis explicatione.

*Vit. & paſſ. Chriſti c. 36.*

*c. 16.*

## §. 3.

### *Exactior rerum propoſitarum & uſui propior contemplatio.*

ADes igitur fidelis anima, & ex horum Patrum imitatione, ſi quando id tibi exercitij allubuerit, tria hæc præſertim in Amore tuo crucifixo, *caput inclinatum, corpus extenſum, latus apertum*, velut præcipuas ſancti amoris illecebras, attentiùs contemplare.

Moribundus nimirum caput inclinat, ut tibi amoris & pacis oſculum figat; ut oppreſſam cervicem in te reclinet ad quietem; ut coronam ſpineam, velut causâ mortis, tibi condonet; ut diſceſſurus è mundo tibi valedicat, ſuíq; commendet mémoriam, ut pauca hæc ad aurem cordis tibi inſuſurret: dilecta anima, ego DEUS tuus en morior amore tui. Attende & vide, ſi eſt dolor, ſi amor, ſicut dolor, ſicut amor meus. Tandem moritur inclinato & propenſo in te capite, ut tu ſpiritum morientis excipias, ejúsq; ſpiritu concepto, jam non tibi, ſed ei qui ita te amavit, & pro te mortuus eſt, vivas.

Porrò

Digitized by Google

Porrò quòd diſtentis in cruce brachijs, & manibus item ac pedibus ligno confixis, toto expanſus eſt corpore: quid, niſi ad ſeſe invitat, præſtolaturq; pœnitentem animã, genua etiam protendens, ut aram ſalutis & thronum miſericordiæ, promptus deniq; & expoſitus, ad omnium ad ſeſe confugientium & ſe ex animo requirentium amplexus?

Niſi fortè eum hic contemplemur (cum B. Jacopono) *L.5.Cant.17.*
veluti divinum ſagittarium, cujus arcus ſint ſacratiſſima ejus brachia in arcus morem in cruce curvata, pharetra autem non alia quàm apertum cor ejus, capax illud quidem, & telis refertum innumerabilibus, iisdémq; acutis & ignitis, inflammatiſſimæ charitatis. Hic enim ſi uſpiam valet illud S. Auguſtini: *Novit Dominus ſagittam ad amorem.* *In pſal.119.*
Ipſe utiq; ſagittarius, ipſe arcus, ipſe ſagitta: Unde Ambroſius: *Pulchrè ergo dicit Eccleſia: quia vulnerata charitatis ego* *Serm. 5. in*
*ſum. Nudemus membra noſtra bono vulneri, nudemus ſagittæ* *Pſal. 118.*
*electæ, ſagitta hæc Chriſtus eſt, qui dixit: Poſuit me ſicut ſagittam electam. Bonum eſt ergo hac vulnerari ſagittâ, &c.* Quanquam & ipſe viciſſim in cruce videtur nudare pectus noſtro vulneri. Quippe poſitus in ſignum, cui adhuc à multis contradicitur: nobis autem factus ſcopus amoris; ut gratâ viciſſitudine vulneremus ſimul & vulneremur, atque ita amore mutuo ac deſiderio langueamus.

Tandémq; (quod erat extremum) grandi vulnere hians atq; diductum latus oſtentat, ut aperto aditu ſubingrediaris, ac pervenias ad cor ejus, ad libera amoris ultro citróq; commercia; ibiq; amanter fidentérq; loquaris ad cor ejus; ibi paſcas, ibi cubes in meridie, demum ut in illa exæſtuante divinæ charitatis fornace, proſpicias tandem & quaſi palpes magnitudinem amoris ejus, qui dilexit te, & tradidit ſemet ipſum pro te; ſimúlq; accuſes torporem & inertiam cordis tui, ut qui tantæ támq; incenſæ charitati, tam malignè hactenus támq; frigidè reſponderis.

Harum contemplatione rerum, ubi ad extremum commoveri animo ſeſe ſenſerit Aſcæta, tum ipſam Crucifixi effigiem ſumat in manus, & vulnera aut membra Chriſti ſingula deoſculari occipiat, ſanctis affectibus & amori præſertim indulgens, inq; ſingulorum complexu aut oſculatione moroſiùs inſiſtens.

Complectatur, exempli gratiâ, ſpecioſos pedes, tot fatigatos itineribus, ad ſe ovem perditam requirendam. Amplexetur genua, pro ſe toties in oratione ſubmiſſa. Stringat manus illas beneficas, & mortalibus omnibus ſalutares. Exoſculetur cor, nunc crudeli compunctum lanceâ, ſed antea ſemper amore noſtri doloréq; amariſſimo vulneratum. Et ita de alijs.

Quibus addi poteſt reliquorum ſenſuum interiorum applicatio, ſecundùm formulam capite ſequenti ſubjectam. Inter quæ ea proloquatur, quæ ſuus cuiq; ſuggeret animus, ipsâ contemplationis dulcedine atq; efficientiâ commotus. Eſt enim iſtius exercitationis ratio ſanè quàm prona & obvia, neq; multo diſcurſu aut operoſa agitatione mentis indigens; ſed ſimplici quodam intuitu, varios per ſeſe animi motus affectúsq; conciens atq; progignens; uti mox ampliùs declarabitur.

# CAPUT X.

## *Interiorum ſenſuum circa Chriſtum Crucifixum applicatio.*

### §. I.

*De ejus exercitij ratione generatim.*

HOc genus facilis, atq; ad pios animi ſenſus conducibilis exercitij ſuggerit nobis S. Ignatius in ſuorum exercitiorum hebdomadâ ſecundâ, ubi poſt alicujus myſte- rij,

*Prim. die contempl. 5.*

Digitized by

rij, exempli cauſâ: Nativitatis Chriſti, ſemel iterúmq; repetitam contemplationem, præcipit circa illud quinq; ſenſus imaginarios exerceri; inſpiciendo imaginariè perſonas quæ in eo occurrunt, quid rerum agant, &c. audiendo deinde quid loquantur; & ita de reliquis ſenſibus. Sive id ita fiat, cujusdam varietatis gratiâ, atq; ut animus à ſua contentione nonnihil relaxetur; ſive quod eo pacto, res quæ jam antea meditationi ſubjectæ ſunt, altiùs porrò infigantur animo, ipſáq; mens ijs informata prænotionibus, ſuum in illis paſtum ac guſtum faciliùs inveniat.

Quanquam cauſa nulla eſt, opinor, quin idem genus exercitij, etiam cùm ad rem quampiam commeditandam primùm aggredimur, utiliter adhibeatur; cùm vel id permittet, poſtulabitve ſuſcepti argumenti ratio (quo modo videmus S. Ignatium in 1. hebdomada contemplationem de inferno ſub ea ſenſuum applicatione propoſuiſſe) vel ipſe ſanè meditantis animus, quacunq; ex cauſa, ad profundiorem & operoſiorem de re propoſita commentationem minùs aptus ſit, ideóq; faciliori aliquâ, & ad humanæ mentis indolem magis accommodatâ exercitatione detinendus. *Exercit: 5.* Qua de re non ſemel à nobis laudatus Guilielmus Abbas, ut erat modeſtè humiliterq; de ſe ſentiens, in ſuis meditationibus ita Dominum Jesum affatur: *Cùm enim ſenſualis imaginationis meæ rudimenta necdum ſupergreſſus ſim; permittes & gratum habebis, ipſa mentis imaginatione, circa humilia tua infirmam adhuc animam meam, ſuam indolem exercere; naſcentis ſcilicet amplecti præſepia, ac primam adorare infantiam, tenere & deoſculari pedes reſurgentis, mittere manum in loca clavorum, & exclamare: Dominus meus, & DEUS meus!* Hæc ille;

Atque de his quoq; interioribus & ſpiritualibus (ut ipſe appellat) ſenſibus, alia ex occaſione agit S. Bonaventura in opuſculo de ſeptem itineribus æternitatis; poſt autorem *Itin. 6. diſt. 1. 2. 6. c. 9. & 49.*

rem libri de ſpiritu & anima inter opera S. Auguſtini, & Bernardum libro de natura & dignitate amoris divini, cap: 9.

## §. 2.

### *Qua ratione circa Crucifixum ea adhibeatur exercitatio.*

HAc igitur arte ſubinde te juvet, interiores ſenſus tuos circa Salvatorem in cruce pendentem exercere: ut nimirum.

*Primò:* tanquam ſi oculis præſentem illum intuearis, ita ex deſcripta modò à nobis imagine, accuratiùs contemplare divini oris & corporis habitum; quid rerum gerat, patiatúrve; quæ ſive perſonæ, ſive res eum circumſtent, & cætera modi ejusdem; ex ſingulis compendium aliquod fructúmve ſpiritualem captando.

*Secundò:* ut attentiùs per imaginationem audias, quæ vel voce externâ, vel tacitâ intus cogitatione dicat ad Patrem; quibus circumſtantes affatur; quid à te poſtulet, quid ſuggerat, quid queratur. Itémq; vocem ſanguinis ejus, *l. 5. c. 14.* è toto corpore largè manantis. *Vocalis eſt enim ſanguis Chriſti*; ut conſentaneè B. Paulo loquitur S. Irenæus.

*Tertiò:* ut interiori olfactu, hinc ſputorum & reliquæ fœditatis, quâ ſacer ejus vultus contaminatus eſt, putorem; aut loci etiam, in quo patiebatur, graveolentiam; inde ex adverſo divinæ charitatis ejus, manſuetudinis, patientiæ, cæterarúmq; virtutum, quarum tunc actibus anima ejus amœniſſimè effloruit, cœleſtem fragrantiam, imaginariè perſentiſcas.

*Quartò:* ut ſimiliter interiorem guſtatum exerceas, ſive circa fellei potûs amarorem, quo ſitientis Salvatoris os infectum eſt; ſive in ſpirituali experienda amaritudine, quâ imbuta erat ejus anima, in vicinæ mortis angoribus conſti-

tuta;

tuta; ſive demum in illa guſtanda ſuavitate mirabili, ex mellifluis ejus plagis manante; præſertim autem os applicando ad vulnus amantiſſimi cordis, unde (uti diximus) S. Lutgardis aliiq;, dulcitudinem inenarrabilem aliquando percepêre.

*Poſtremò:* ut per internum tactum tanquam manibus attrectes Verbum vitæ, complectaris ipſius membra, deoſculeris vulnera: ſimúlq; perſentias quodammodo punctus ſpinarum, adactionem clavorum, cæterámq; plagarum ejus acerbitatem; earúmq; ſenſum perinde in temet transferas, atq; ſi in tuo corpore, ijsdémq; in membris, quibus Chriſtus illas excepit, eos dolores experiare.

Concludat rem omnem pium cum Crucifixo colloquium, velut quémq; ſuus impulerit affectus.

Atque hæc ipſa exercitij ratio, etiam circa Chriſtum in Euchariſtia receptum, uti aliàs ſubindicavimus, utiliter adhiberi poterit.

## §. 3.

### *Adjungitur quoddam ejus exercitij corollarium.*

VErùm ad calcem hujus capitis, quod ad aſpectum perſonarum, quæ myſterio interveniunt, attinet, id addere liceat: ad ſanctos affectus variandos non inutile fore, ſi noſmet etiam inter illas conſtituerimus, velut quid agatur ſpectantes, aut aliquid obſequij vel operæ, pro exercitij propoſiti ratione, ſedulò exhibentes. Quo modo S. Ignatius in contemplatione de Nativitate, cùm ejus myſterij perſonas, Virginem Deiparam, Joſephum, infantem recens natum, &c. mentis oculis ſubijciendos admonuiſſet, ita ſubdit: *Inter quos me adeſſe fingam, tanquam pauperculum & ſervulum indignum, eos ſpectantem, contemplantem, & eorum neceſſitatibus cum reverentia maximâ famulantem.* Quod facilè erit, ad ſingula Chriſti patientis myſteria transferre.

Sed

Sed audiamus hîc Ubertinum de Caſali in prologo primo ſæpiùs citato: ubi & aliam artem ſuggerit, noſmet videlicet in ipſas perſonas, quas contemplamur transformandi, eorúmq; ſenſus atq; affectus ſuſcipiendi: quam equidem piam myſteria vitæ ac paſſionis Chriſti contemplandi rationem, ait ſe in primo religioſæ vitæ tirocinio, interiùs docente & manuducente Chriſti ſpiritu, didiciſſe. Ita enim loquitur: *Fateor quòd me tantâ unione jungebat ſibi* (ſcilicet Spiritus Chriſti) *ut non tam præterita recolere, quàm præſentia jugiter mihi viderer inſpicere. Et nunc me aſinum* (inquit) *nunc bovem, nunc præſepium ſuper quod jacebat, nunc ſibi aſſiſtentem famulum, nunc ſibi congenitum uterinum, nunc ipſum parvulum JESUM faciebat, me mirâ transformatione ſentire, in omnibus actibus vitæ ſuæ. Tandem juxta paſſionis ſuæ ſupplicia ſic me transformativè ſibi faciebat aſſiſtere; ut nunc mihi viderer Magdalena peccatrix, nunc quædam ab ipſo electa ſponſa, nunc frater & diſcipulus electus Joannes ille, nunc pia Mater lamentans, quæ ipſum genuit, nunc Latro dexter ſibi confixus, nunc ipſe purus JESUS in ligno crucis clamans & expirans.* Hæc omnia de ſe Ubertinus. Quorum tamen uſus non niſi prudenti cum diſcretione aſſumendus eſt; & cuique ſequenda tum directio Sancti Spiritus, tum genij ſui propenſio; ne alioquin nos in ſenſus abſurdos, & vel indecoros ipſi myſterio, vel noſtræ perſonæ aut indoli incongruentes induamus, & pro lucro fortè diſpendium reportemus.

# CAPUT XI.

## *Chriſtum perfectè amare cupienti, amorem ſuum proprium unà cum Chriſto eſſe crucifigendum.*

§. I.

## §. I.

### *Quod hoc capite propoſitum eſt, variâ authoritate ſtabilitur.*

OLim jam celebris, & alijs ſubinde Patribus uſurpata eſt, illa S. Ignatij Epiſcopi & Martyris ad Romanos ſcribentis, ſententia: *Amor meus crucifixus eſt.* Quod tametſi paſſim ita ab eo dictum accipiant, quaſi eò ſeſe ad cruciatuum mortiſq; patientiam exſtimulet, quòd Amorem ſuũ, Chriſtum inquam, quem medullitùs amaret, pro ſe crucifixum meminiſſet; iſq; ſenſus uti ad pietatem facit, ita Martyris contextui ſatis congruenter aptari poteſt: ſi tamen ad ea reſpiciamus, quæ laudatis verbis, velut ſe explicans, S. Martyr adjungit: *Amor*, inquiens, *meus crucifixus eſt; nec eſt in me ignis ullius rei terrenæ amans; ſed aqua viva in me ſaliens intus mihi dicit: age, ad Patrem:* non malè dicemus cum eruditis nonnullis, magis eſſe, ut per amorem ſuum videatur illum intelligere, quem jam nos proprium ſive privatum, aut Græcâ voce philautiam, dicere ſolemus; quo nimirum perversè ac præpoſterè ad nos reflexi, & quæ noſtra ſunt, non quæ Dei, quærentes, impurè quidpiam & inordinatè diligimus. Quem ille amorem ſuum, mutuatâ ab Apoſtolo voce, propterea Crucifixum eſſe dicat; quòd in ſe extinctum ſentiret ignem ſeu cupiditatem, quâ rem ullam terrenam, aut omnino aliquid extra Deum concupiſceret; ſolámq; in ſe ſubſilire aquam vivam, hoc eſt, ſolius ſe Divinæ gratiæ ac charitatis metu agitari, quo impulſus ſpiritu, identidem anhelaret & contenderet ad Patrem. In quem etiam ſenſum poſt pauca ſubdit: *Nolo amplius ſecundùm homines vivere. Cum Chriſto crucifixus ſum: vivo enim non ampliùs ego, quandoquidem in me vivit Chriſtus.*

Quamobrem quod olim, ingenioſo commento, pictor neſcio quis coloribus expreſſit in tabella, ſuiſq; verſibus

repræſentavit Auſonius: puerum Cupidinem (quem inſani amoris præſidem DEUM fabulabantur) aliquando ab Heroidibus deprehenſum, in arbore myrto ſuſpenſum ac crucifixum fuiſſe, quò expertam illius improbitatē ulciſcerentur: hoc citra fabulam, ab animabus ſanctis, aut Chriſtum perfectè amare cupientibus, faciendum eſt; ut amorem ſui privatum (quo nullum hoſtem infeſtiorem, tyrannúmve ſæviorem ſentiant) condignis excruciatum modis, non dicam ex veteri formula, arbore infelici ſuſpendant, ſed ex Apoſtoli Pauli monito, in ipſa Salvatoris cruce, unà cum ipſo

Rom: 6. ſuffigant. *Hoc ſcientes* (inquit Apoſtolus) *quia vetus homo noſter* (qui idem eſt re ipſâ cum amore noſtro proprio, aut innata naturæ corruptæ ad omne vitium propenſione) *ſimul crucifixus eſt; ut deſtruatur corpus peccati, & ultra non ſervi-*

cap: 17. *amus peccato.* Et S. Bernardus in meditationibus de eodem veteri homine agens, cùm malorum omnium in genere humano illum fontem eſſe oſtendiſſet, dixiſſétq; eſſe contemptorem DEI, cultorem ſui, inimicum Crucis Chriſti, &c. *Si rectè ſentis*, inquit, *mecum dices: reus eſt mortis; crucifigatur. Inſtanter crucifige hominem iſtum, ſed cruce Chriſti, in qua eſt ſalus & vita.* Ambroſius autem ad illa verba Pſalmi 118. *Confige timore tuo carnes meas;* ita loquitur: *Confige ergo clavis, & deſtrue fomenta peccati: moriatur in carne tua omnis illecebra deliciarum: libertatem vagandi cupiditas voluptatum cruci affixa non habeat. Eſt quidam clavus ſpiritualis, qui patibulo Crucis Dominicæ affigat has carnes.* Quod explicans ſubdit: *carnes animæ ſunt carnales cogitationes.* Plura his affinia mox ſubjungemus.

## §. 2.

### *Ejuſdem rei diffuſior explicatio.*

ATque ut diſtinctiùs & tanquam per gradus hic procedatur; licebit hanc omnem diſciplinam ad tria capita reducere.

*Pri-*

*Primum:* quod veluti axioma quoddam in hac ſpirituali Philoſophia habendum eſt: Non poſſe in nobis Chriſtum crucifixum perfectè vivere, neq; nos divino ejus ſpiritu, nobiliter ali ac vegetari; quamdiu vivit vigétq; noſtri privatus amor, aut donec is, quem dicebamus, vetus homo noſter extinguatur deniq; ac moriatur in nobis. Prorſus enim adverſantur invicem, nec unà conſiſtunt, amor noſtri & charitas Dei, vita veteris & novi hominis, Antichriſtus & Chriſtus. Jure ſiquidem Antichriſti nomine appellare liceat amorem noſtrum proprium: quòd is in omnibus ea quæ Chriſto adverſa ſunt, appetat, ejúsq; ſpiritum in nobis ſuffocare moliatur. Quem etiam proinde, ut hoſtem ſibi infenſiſſimum, Chriſtus ipſe capitaliter oderit: qui utique idcirco venit in mundum, ut ignem illi contrarium accenderet; & idcirco mortuus eſt in cruce, ut illum eidem ſecum patibulo configeret; eundémq; in nobis (quoad fieri poſſet) extingueret.

Quare in hoc tota eſt hominis ſpiritualis exercitatio, ut improbum hunc perverſúmq; amorem, magis ac magis quotidie in ſe minuat, ejúsq; vitam, affectus, motus, operationes præfocare ſatagat.

*Alterum* eſt: veterem hunc hominem nobis inſitum atq; innatum, non fato ſuo (ut ita loquar) ſed morte violentâ extinguendum eſſe. Quippe qui admirandum in modum vivax ſit, ac durare pertinax; & (quod paradoxi eſt ſimile) quo plus inveteraſcit ac conſeneſcit, hoc corroboretur & convaleſcat magis. Ergo ab ipſo primo conceptu nobis agnatus & congenitus, per ætatis gradus nobiſcum accreſcit adoleſcitq;, & niſi tempeſtivè præfocetur, fortior fit nobis deficientibus, & ipſis veluti oſſium medullis inoleſcens, etiam in ipſo ſepulchro quodammodo nobis adhæreſcit. Sic enim ad eam inolitorum vitiorum ad mortem uſq; perſeverantiam declarandam in libro Job dicitur: *Oſſa* *Job. 20.*

*ejus implebuntur vitijs adoleſcentiæ ejus, & cum eo in pulvere dormient. Cum eo enim (* ait B. Gregorius*) vitia in pulvere dormire, eſt uſq; ad pulverem* (ſeu mortem) *eum non deſerere.*

L. 15. Mor. c. 4.

Hinc igitur nobis commendatur mortificationis (quã appellant) ſtudium: quò intelligamus, inteſtinam hanc peſtem, veterem hominem noſtrum, magnâ nobismet ipſis admotâ vi, nec ſine ſudore ac ſanguine, mactandum ac conficiendum eſſe. Fallimur ſiquidem, ſi mortificationis vocem, quæ primùm ab Apoſtolo Paulo in rem præſentem adhita, ad aſceticos deinde tractatores tranſijt, molliorem in ſenſum accipimus, eáve aliud, ſive ex vi ſua, ſive ex Apoſtoli mente, quàm cœdem & interfectionem ſignificare putamus. Ita enim quod ex Pſalmo 43. citát Apoſtolus: *Propter te mortificamur totâ die*; hoc eſt, inquam, *interficimur:* unde & ſequitur: *æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis.* Et quod alibi dixit: *ut caſtigati & non mortificati:* hoc eſt, non occiſi, ſeu morti non traditi. Ergo & cùm alibi idem Apoſtolus præcipit: ut *mortificemus membra noſtra, quæ ſunt ſuper terram*; perinde valet ac ſi jubeat: jugulari in nobis veterem hominem, & ea vitia quæ corpus peccati (quod alibi memoraverat) veluti membra conſtituunt, mactari atq; deſtrui. Secundùm quod & S. Leo Magnus: *Suſceptio enim crucis* (inquit) *eſt interfectio cupiditatum, occiſio vitiorum.*

Rom: 8. 2. Cor. 6. Col. 3. ſerm. 2. de Reſurr.

Audiatur deniq; eam in rem S. Auguſtinus: qui ex ſpiritu ejusdem Apoſtoli loquens: *Ego fateor tibi (*inquit*) quidquid in me rebellat adversùs mentem meam, & litigat mecum delectatione contrariâ, quidquid tale in me eſt, omnino interficere volo.* Et alio in loco: *Quia & ipſa charitas* (ait) *occidit quod fuimus, ut ſimus quod non eramus, facit in nobis quandam mortem dilectio.* Ita ille præclarè. Ex quo etiam intelligis, pernicioſum noſtri amorem, per charitatem Chriſti (quæ illi prorſus adverſa eſt) opprimi ac mortificari debere.

ſerm. 12. de Verb: Apoſt. In pſ. 121.

*Poſtre-*

*Poſtremum:* non aliud magis, amori noſtro proprio conficiendo, quàm crucis ſupplicium convenire. Primùm enim, quando per ſcelerum noſtrorum atrocitatem (quorũ omnium autor & parens eſt cujusq; noſtrum privatus amor) DEI Filius in crucem actus eſt; jus æquúmq; poſtulat, ut tam indigni facinoris ſuaſor & artifex, in crucem & ipſe, talionis vice, tollatur.

Deinde; quòd ipſi DEI Filio glorioſum ac jucundum futurum ſit, ſi hoſtem ipſius capitalem & inſolentiſſimum, in averſa quaſi ejusdem ſtipitis parte, unà cum illo configamus, eóq; veluti ſpolio, atq; inſigni victoria, crucis trophæum exornemus. Ac ſi (ut commentatur S. Bernardus in quodam ſermone) *fortaſſis crux ipſa nos ſumus, cui Chriſtus memoratur infixus:* æquum eſt viciſſim, ut ipſe Chriſtus crux noſtra ſit, eíq; nos ipſos, ſive hominem noſtrum veterem, amorémq; privatum ſuffigamus. *In Vigil. Natiu.*

Deniq; cùm idem Salvator eâ gratiâ in mundum deſcenderit, ut hoſtes omnes ſuos noſtróſq;, diabolum, mundum, carnem, ſub quibus vitioſam cujusvis boni proprij cupiditatem comprehendimus, debellatos ac comprehenſos ad crucis ſuæ truncum affigeret, *triumphans illos* (ut ait Paulus) *in ſemet ipſo:* juvabit nos quoq; in idem conſilium conſpirare, & amorem noſtrum de Chriſti patibulo ſuſpendentes, ipſius juſto deſiderio ac majori gloriæ obſecundare. *Col. 2.*

Proferatur ergo denique adverſus hunc improbum amorem peremptoria ſententia; & juſto in eum odio atque dolore exardeſcens, exclama hìc cum S. Bernardo: *Reus eſt mortis, crucifigatur.* Seditioſus eſt, perduellis eſt, Deicida eſt; occidat, pereat, crucifigatur. Moriatur ille; quia niſi pereat, perdet nos; quia ipſe Chriſtus in nobis non vivet (hoc eſt, non vivemus nos) niſi ille moriatur.

Neq; hic quiſpiam Pilati verbis tibi ſuggerat: emendatum illum dimitti poſſe. Siquidem emendari nequit, quia natura-

naturaliter perverſus eſt, atq; repugnans Legi Dei. Si hunc dimittis, non es amicus Jesu Chriſti. *Qui* enim *ſunt Chriſti* (inquit B. Apoſtolus) *carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs & concupiſcentijs.*

## §. 3.

### *De eo, quòd Chriſtus amorem noſtrum ſecum crucifixerit.*

PОrrò, quod modò indicabamus, privatum illum amorem noſtrum, ab ipſo Chriſto jam crucifixum eſſe, non inutiliter à nobis hîc conſiderabitur. Nam ſicut ad Apoſtoli verba nuper citata reſpiciens Origenes, ait: *in Chriſti cruce duos ſimul affixos fuiſſe; unum viſibiliter, nimirum Chriſtum; alterum inviſibiliter, videlicet Diabolum, cum principatibus & poteſtatibus ſuis:* ita dicere poſſumus, Chriſtum itidem eâdem operâ, familiarem illum & inteſtinum noſtrum dæmona, amorem (inquam) noſtrum proprium, eidem ſecum ligno, inaſpectabili ratione confixum, cum vitijs & concupiſcentijs traduxiſſe & triumphaſſe.

*Col: 2.* *Hom: 8. in Joſ.*

Quo modo etiam de Chriſto, ſæculi cupiditates ad crucem ſuam, ſpoliorum inſtar affigente, quodam loco loquitur S. Ambroſius: *Bona arundo* (ceu telum acutum) *caro Chriſti, quæ ſerpentis caput, & mundanæ cupiditatis illecebras patibulo crucis affixit.* Et alibi de eodem Chriſto in crucem ſublato: *Nos autem quoniam trophæum jam videmus, & quòd currum ſuum triumphator aſcendit, conſideremus, quòd non arborum truncis, non quadrijugis plauſtri manubias de mortali hoſte quæſitas, ſed patibulo triumphali captiva de ſæculo ſpolia ſuſpendit.* Eodem ſcilicet iſta recidunt, crucifigi diabolum, & amorem proprium, ſeu carnem cum vitijs & concupiſcentijs, crucifigi. *In carne enim* (ait idem S. Ambroſius) *Diabolus crucifigitur.* Qui rurſum alibi ſimiliter ait: *mundum in ſuis illecebris crucifixum eſſe.*

*l. 5. in Luc: c. 7.* *l. 10. in Luc: c. 23.* *Rom: 6.* *l. 3. de Spir: S. c. 9.*

Quibus

Quibus conſentaneè S. Gregorius Nazianzenus oratione 18 inter ea, quæ animo comprehenſa, ad vitæ melioris ſtudium nos ducunt, recenſens Chriſti (uti apppellat) primi Martyris cruciatus, de eodem mox ita ſubijcit: *Qui crucem conſcendit, méq; ſecum duxit, ut peccatum meum affigeret, & de ſerpente triumpharet, & ſanctitatem ligno adferret, & voluptatem vinceret.*

Sed enim cùm audis, jam olim cum Chriſto crucifixum veterem hominem; aut amorem noſtrum ab ipſo Chriſto triumphatum; non continuò debellatum eſſe, aut rem omnem confectam exiſtimes; nec jam partes ullas aut laborem ullum ea in cauſa à te requiri. Refigit quippe ſe de facili hic improbulus, atq; petulanter obluctans & protervè laſciviens, aut clavos aſtutè exire, aut eos revellere contendit. Ut niſi ſolerter atque ſedulè coërceatur, & manus aſſiduè ad malleum & clavum adhibeatur, facilè pereat impenſus labor, & quaſi nihil hactenus actum ſit, omnis de novo ſit atque ex integro res ordienda.

Ergo etiam nobis admovenda eſt manus operi, & ipſi Chriſto amorem noſtrum crucifigenti, allaborandum. Crucifixit enim illum Chriſtus, ejus opprimendo inſolentem tyrannidem; útq; jam virtute crucis armati, eum in nobis debellare, atque ex toto triumphare valeamus. Secundum quod ait ſuprà laudatus S. Ambroſius: *Unius diei triumphus, fecit omnes propè jam homines triumphatores.* Eodémq; ſenſu loco citato Origenes: *Diabolus victus & crucifixus eſt*, inquit, *ſed ijs qui cum Chriſto crucifixi ſunt.* *l. 10. in Luc. 23.*

## §. 4.

### *Rerum iſto capite propoſitarum extrema Concluſio.*

UT igitur rem omnem in pauca contractam concludam: huc deniq; recidit præſenti capite propoſita cogitatio: ut

Exp. prop. ep. ad Rom: c. 32. ut quoniam, quod ait S. Auguſtinus, *veteris hominis crucifixio ſignificata eſt in cruce Domini:* dum amorem noſtrum proprium cum Chriſto crucifigendum intelligimus, ad crucis exemplar reſpicientes, omne quod in nobis Divinæ Legi atque amori repugnat, averſari, odiſſe, atque opprimere condiſcamus. Quia videlicet (quæ ſumma eſt præſentis doctrinæ, à S. Bonaventura duobus verbis expreſſa) *nullus poteſt perfectè invenire DEUM, qui ſe perfectè non odit.* P. 2. ſtim. c. 3. De quo plura dicentur parte ſequenti, ubi de integra ſui ipſius abnegatione.

Veruntamen placet rem iſtam verbis S. Hieronymi in eundem ſenſum belliſſimè conſpirantis, obſignare. Ita enim Gal. 2. loquitur ſcribens in epiſtolam ad Galatas: *Si quis mortificatis membris, ſuper terram & mundo mortuus, configuratus fuerit morti JESU Chriſti, crucifigitur cum JESU, & trophæum mortificationis ſuæ in ligno Dominicæ paſſionis affigit.* Ubi etiã Ep. 190. denique exclamat S. Bernardus: *Utinam ego inveniar in his ſpolijs, quibus ſpoliatæ ſunt contrariæ poteſtates, traductus & ipſe in poſſeſſionem Domini!* Optans videlicet nulla ex parte ſuus eſſe, neque proprium quicquam in ſuis affectibus retinere; ſed quantus quantus eſt inter ſpolia crucis numerari; neque jam de ſe, ſive de homine ſuo veteri, velut ex hoſte captas manubias, ad crucis truncum affigi, ſed unà cum Chriſto ſemet ipſum crucifigendo, totus in trophæum divinæ gloriæ formari.

# CAPUT XII.

## *Amantis Animæ cum Chriſto crucifixo deſponſatio.*

### §. I.

*Amantem animam Chriſti Crucifixi Sponſam eſſe.*

Speci-

SPeciale eſt hoc amoris exercitium, quo ſenſim conſueſcet anima Chriſtum crucifixum, ut ſponſum, ardenter amare, (quod exinde conſequi ſolet) & ſe per omnia conformare, ejusdem gloriari inſignibus, eâdem mensâ, eodem ſtrato gaudere.

Chriſtum eſſe ſponſum animæ ſanctæ, in comperto eſt; eóq; nomine ſe ipſum libenter deſignat in ſcripturis ſanctis; ſive apud S. Matthæum in decem Virginum parabola, ſive in Cantico Canticorum & Apocalypſi. Idémq; jam olim appromiſerat per Prophetam: *Sponſabo te mihi in ſempiternum: & ſponſabo te mihi in juſtitia & judicio, & in miſericordia & miſerationibus.*

*Matth: 25.* *Apoc: 21.* *Oſe. 2.*

Verùm iſte ſponſus (ſi neſcis) in hac quidem vita mortali, ſponſus ſanguinum & vir dolorum eſt: cujus dona ſponſalitia, afflictiones & dolores ſunt; veſtis nuptialis, ſanguinis ſui purpura; annuli loco, clavi, ſtillis cruoris veluti gemmis inſigniti; dapes, acetum, fel, opprobria; genialis loculus, crux; pulvillus capitis, ſpinea corona. Iſto tibi habitu deſponſandus, his conditionibus admittendus eſt, ſi ſponſæ Chriſti titulum & honores affectas.

*Exodi 4.* *Iſai. 53.*

Id adeò olim in B. Landrada, è regio apud Belgas ſanguine, luculento argumento mônſtratum eſt; cui utique jam, abdicatis mundi illecebris, uni Chriſto adhærere cupienti, miſſum eſt crucis ſignum è cœlo, tanquam *donum ſponſalitium*, ut nominatim exprimitur in ejus vita: quò intelligeret, ad divinas nuptias aſpiranti, non niſi in cruce ſponſum quærendum; ipſúmq; nuptialem contractum, non niſi ſanguine ſcribi, & cruce ſignari oportere. *Neque enim*, ut ait Clemens Alexandrinus, *citra ſanguinem licet ad Verbum accedere.*

*Vit. c. 8. & 9.* *l. 2. Pædag. c. 8.*

Atque (ut alteri cuidam Chriſti ſponſæ revelatum eſt divinitùs) *ſicut annulus ſignum eſt deſponſationis: ſic adverſitas tam corporalis quàm ſpiritualis, veriſſimum ſignum eſt ele-*

*Gertr. l. 3. c. 2.*

*ctionis divinæ, & quaſi deſponſatio animæ cum DEO: ut proinde afflictus quiſq; verè ac fideliter poſſit dicere cum B. Agnete: Annulo ſuo ſubarrhavit me Dominus meus JESUS Chriſtus.* Quod etiam probè intelligens S. Mechtildis, cùm in viſo quodam acceptum à B. Virgine annulum ſponſo ſuo Chriſto obtuliſſet, non alium ab ipſo optavit annulum ſponſalitium, quàm ut ſibi in digito annulari ſenſum aliquem doloris imprimeret, quo identidem admonente, aſſiduè ſe viro dolorum deſponſatam eſſe meminiſſet. Quamobrem etiam dulcis Salvator, dilectam ſibi S. Tereſiam arcanâ quadam ratione deſponſans, dexteram, fidei ſuæ pignus, non auro & hyacinthis ornatam (quales ſponſi manus deſcriptas habes in Canticis) ſed clavo inſtructam atque ornatam ei præbere viſus eſt: quò videlicet intelligeret, ſe per hæc fœdera, non ad geniales delicias, ſed ad Sponſi ſui crucifixi dolores participandos vocari. Et ipſa quoq; DEI Mater, S. Birgittam aliquando inſtituens, quemadmodum ipſam, quæ jam Chriſti Sponſa haberi vellet, parari ornariq; oporteret, inter cætera id admonuit, ut paſſionis ac dolorum ejus conſiderationem, inſtar monilis pretioſi jugiter ferret in pectore.

*Addit. ad vitam ſuam.*

*l. 1. c. 7.*

*cap: 20.* Audiatur deniq; Henricus Harphius ex Ordine S. Franciſci, myſticæ Theologiæ Doctor; qui in claſſe ſecunda ſcholæ Sapientiæ, agens de veſte nuptiali, quæ adhibenda ſit ad eas nuptias, quibus Chriſtus ſibi ſanctam Eccleſiam, ac proinde cujusq; noſtrûm animam, ſtabili fædere ſibi conciliat; non aliam eam eſſe putat, niſi voluntariam malorum patientiam, ex ipſius Chriſti Salvatoris amore & imitatione. Ita enim ait: *Spontanea quippe in pœnis patientia, cum intima adverſus illos qui earum nobis auctores extiterint benevolentia, veſtis eſt nuptialis, quâ Chriſtus in cruce ſanctam ſibi Eccleſiam connubiali fædere copulavit.*

Ex quibus apparet, opinor, quem demum cultum atque

que ornatum, quæ monilia, quas gemmas affectare debeat Chriſti ſponſa: etſi id amplius intelligetur ex ſequentibus.

## §. 2.

### *Animæ & Chriſti ſponſalia in cruce peragi oportere.*

QVæcunq; igitur fidelis anima ad Sponſi hujus amabiliſſimi divinos thalamos & beatos anhelat amplexus, non debet hîc dulces amoris illecebras, aut cœleſtes, etiam atq; divinas delitias, ſed ſolam crucem & crucis appendices cogitare, & non niſi in cruce dilectum ſuum exquirere; ſciens ſe non alio magis cultu Sponſo ſanguinum placiturã, quàm ſi ijsdem cum illo veſtibus, hoc eſt afflictionibus, doloribus, opprobrijs, plagis & ſanguine circumamicta, ejus ſe conſpectui offerat, atq; ad latus ejus aſſiſtens, ipſius crucis complexum atq; aſcenſum ambiat. Ut enim rectè noſter Sanctius Canticum Canticorum exponens: *Si crux genialis lectus eſt, in quo Sponſus cubat, in ea cubet etiam oportet, quæ ſponſa Crucifixi ſponſi videri vult.* Quem proinde locum ſibi delegerat B. Angela, quam audimus in hunc modum loquentem: *Laudo te DEUM meum: in tua cruce habeo lectum meum factum. Et pro capitali vel plumario inveni paupertatem, & in alia parte lecti ad pauſandum inveni dolorem cum deſpectione. In prædicto enim lecto ipſe fuit natus, converſatus, & mortuus. Et in iſto lecto ego requievi & quieſco, eſt enim lectus meus, &c.* Sic illa dilecta, amans, uti par eſt, eodem cum ſponſo ſuo toro gaudere, neq; ipſo cultu ornatúve corporis, ei aliquatenus diſſimilis apparere. Ut ſanè non abs re etiam Sulmonenſis Poeta quandam inducat heroida, quæ viro ad Trojæ mœnia (uti ipſa quidem exiſtimabat) diuturni belli laboribus exercito, & galeâ caput armísq; reliquis membra gravato, neget ſibi fas eſſe, comarum ornatui corporisve cultui ſtudere, aut niſi in ſqualore & luctu ea belli tempora tranſigere.

*Cant: 3.*

*Vit. cap: 26.*

Quod multò maximè ſibi faciendum intelligunt animæ ſanctæ, cùm Sponſum nudum in cruce pendentem, clavis confixum, & acerbitatibus dilaceratum aſpiciunt; quando inter ſeſe vel primo aſpectu nimiùm diſſident, hinc vir dolorum, inde ſponſa deliciarum.

Veruntamen JESUM Sponſum ardenter amanti, eóq; in crucis thalamo feliciter fruenti, ita præ amore ſenſim dulceſcunt, & jucundè ſapere incipiunt hæc omnia, ut crucis aſperitatem & acerbitatem etiam cœleſtibus delicijs præoptet; ejusdémq; crucis ignominiam, ſummam gloriam, ac decus inæſtimabile reputet. Qua de re pulchrè
c. 33. S. Auguſtinus libro de ſancta Virginitate: *Mens quæ Chriſto JESU feliciter nupſit, quæq; ei in crucis thalamo lubens conjuncta eſt, nihil tam glorioſum exiſtimat, quàm ut Crucifixi ſui injurias ſecum ferat*; videlicet, ut ſponſi favores (quod ajunt) ſeu amoris pignora, quibus interim donari & ornari gaudeat; dum admittatur ad cœleſtes thalamos, in individuo atque æterno amantiſſimi ſponſi amplexu, puris & ſummis & ineffabilibus delitijs perfruitura. Unde alio in loco
in pſal: 122. idem ſanctus Doctor: *Donec veniat*, inquit, *ad amplexus illos ſpiritales, ubi ſecurè perfruatur eo, quem dilexit, & cui ſuſpiravit in iſta diuturna peregrinatione; Sponſa eſt, & accepit arrham magnam, ſanguinem ſponſi, cui ſecura ſuſpirat*.

Iſtâ igitur ſe in exilio arrhâ ſolatur; placétq; ſibi in anguſtijs & tribulationibus pro Chriſto. Jámq; eò minùs crucem refugit, quò eam tractat familiariùs, & perſpicit intimiùs; ipſo nimirum experimento ſentiens, omnem illum crucis horrorem, quo primâ fronte deterret venientes ad ſe, in ipſo duntaxat hærere externo cortice, intrinſecus autem in ea latere abſcondita gaudia comperta amantibus, inexperta non diligentibus. Demum, ubi ſub umbra illius quem deſideraverat, ſedit; tunc fructum ejus gutturi ſuo dulcem experta eſt. Dulce quippe reddit omne aſperum

umbra

Digitized by Google

umbra dilecti: ut jam nihil ſponſæ ſit cruce dulcius; poſtquam illi ſponſus nativum horrorem amaroremq; inolitum ſuo ſcilicet cruore diluit, ſacris membris deterſit; atq; lignum illud patibulare, extremi olim opprobrij atque ſupremi cruciatûs adminiſtrum, in floridum ac genialem lectulum, in quo ſponſa cum ſponſo, crucifixa cum crucifixo, arcanis modis delectetur, commutavit. Ita nimirum ex Auguſtini ſententia: *omnia ſæva & immania, prorſus facilia ac propè nulla efficit amor.* Et: *quæ dura ſunt laborantibus, eadem ipſis miteſcunt amantibus.* *ſerm: 48. de temp.*

Propter hæc denique ait S. Bonaventura, unicum eſſe talis ſponſæ dolorem, ſi videat cor ſuum ad aliud, quàm ad Chriſtum paſſum, inclinari: *Inebriat enim ſe* (ſubdit) *Chriſti cruore, & jam dedignatur perfrui aliâ re. Nam ſanguis Chriſti ornat genas ejus, ut Chriſtiformis ſit pura Chriſti ſponſa. Agnoſcit enim, quòd in apertione lateris ejus, copulata eſt in conjugium ejus: & ideo ſemper vult ſtare ad latus ejus. Palpat & tractat ſponſum ſuum vulneratum, & totum vulneratur cor ejus. Applicat cor ſuum vulneribus ſponſi, alligat & ſtringit indiſſolubili vinculo charitatis; & ſic colligatur vulnerata ſponſa cum vulnerato ſponſo, & vulnus vulneri copulatur. Emanat ſponſi ſanguis in vulnera ſponſæ, & ipſa deficit dolore, amore liqueſcit, ibiq; requieſcit.* Sic ille. *P.1.ſtim.c.7*

## §. 3.

## *Amantis animæ ad Sponſum ſuum Crucifixum ſuſpiratio.*

HIs porrò quæ dixi tecum accuratè perpenſis, pro hujus exercitij velut clauſula, ex religioſiſſimi Abbatis Bloſij monito; *ipſum Dominum JESUM excruciatum, vulneribúsq; confectum, elige in chariſſimum ſponſum animæ tuæ; eúmq; amanter contemplare & amplectere. Nam ex ejus roſeis vernantibúsq; plagis, melliflui gratiarum rivi promanant.* Atque *Spec. ſpir. c. 10.*

uti

uti ſtudioſiùs id facias, en habes hîc ſubjectam formulam, & tanquam ſuſpirationem quandam, quâ anima tua poſſit amanter & otiosè dilectum ſuum cruci ſuffixum compellare.

Amabilis JESU, quando id votum tuum & amantiſſima dignatio eſt, ego te plagis confectum, oppletum opprobrijs, & ſanguinis tui tanquam purpurâ trabeatum, eligo in ſponſum, amatorem ac Dominum cordis mei. Neſcio ſanè, quibus te oculis alij in cruce pendentem aſpiciant. Nam quibusdam lego, JESUM crucifixum eſſe ſcandalum, alijs autem ſtultitiam, & plures ſunt inter ſequaces tuos, qui etſi amare te dicant, attamen te ſine cruce complecti velint, in qua nihil niſi aſperitatem, probrum, amaritudinem inveniant. Et mihi equidem idem quandoq; animi ſenſus, eadem oculorum faſcinatio fuit; cùm nempe ſaperem ut parvula, & adhuc in amore tuo rudis eſſem. Aſt, ubi detersâ externorum phantaſmatum nube, aperuiſti mihi interiores oculos, & guſtare te cœpi, atq; amore duce, crucis tuæ intima penetrare, nuſquam mihi dulcior, formoſior, amabilior appares, quàm in illa deformitate atq; horrore crucis tuæ; quam tu tametſi aſpectu deformem ac torvam, contactu ſcabram atq; horridam, cultu probroſam atque infamem, nihilominus tibi deſponſare, atq; arcto complexu adſtringere, amore mei dignatus es. Ut proinde ſit quod geſtiens exclamem cum myſtica illa amante: *Ecce tu pulcher es, dilecte mi, ecce tu pulcher es; lectulus noſter floridus.* Quidni enim floridum appellem lectulum crucis? quem conveſtit flos campi, & lilium convallium; quem JEſus Nazarenus, hoc eſt, floridus, inſternit, & vernantibus plagis ſuis, roſeóq; pingit ſanguine; ut eum jam apiculæ Paradiſi, ſanctæ inquam animæ, certatim circumvolitent, ejúsq; florum cœleſti ſucco, divinóq; nectare delicatè paſcantur.

Atque eundem illum floridum crucis tuæ lectulum, noſtrum non immeritò appellavi; quando ad eum me admiſiſti

miſiſti ut ſponſam: qui tametſi anguſtus videatur, verendum non eſt, ne alter ex eo decidat; quia ita charitate dilatatus eſt, ut ad illum omnes invites, & verò omnes venientes capiat.

Jam video priſtinum errorem meum, & pueriles in via ſpiritûs ſenſus meos agnoſco: fruſtra te quærebam in lectulo meo, dilecte mi; non dico inter illecebras, atq; commoda humanæ vitæ, in quibus te minimè reperiri etiam tum ſatis noveram: ſed neq; in requie ſpiritali, aut divinorum ſolatiorum ſuavitate mihi requirendus fuiſti, qui in cruce potiùs, hoc eſt, in afflictione, derelictione, deſolatione quæri & inveniri debueras. Crux nimirum tibi lectulus eſt, in quo cubas in meridie, in quo ſuaviter erubeſcis in æſtu diei, in ſummo fervore immenſæ tuæ dilectionis. In hoc ego ſtrato te libens amplexor, Sponſe mi, & tecum unà dolores tuos, cruciatus, opprobria, tædia, derelictiones cóplector. In hoc unà tecum jacere volo, in hoc acquieſcere, in hoc cibum, ſomnum, oblectationem capere, in hoc, quod ævi mihi eſt reliquum, tecum agere, donec aſpiret dies æternus, & inclinentur umbræ iſtius noſtræ mortalitatis. Ah! quando erit illa dies, quâ non jam doloribus oppreſſus, ſed ineffabilibus redundans lætitijs, non jam coopertus opprobrijs, ſed luce veſtitus & gloriâ, dextrâ tuâ me amplexans introduces in cœleſtes thalamos, genialibus gaudijs, & perenni quodam atque beato divini oris tui oſculo fruituram! iſtic enim, uti de tua confido miſericordia, in ſinu patris tui, inter puras liquidáſq; delicias conſummabuntur nuptialia fœdera, quæ nunc in luctu ac doloribus inimus inter brachia crucis.

Veruntamen ea, tua propriè curatio eſt, mi JESU; cujus amabili providentiæ, hoc quodcunq; eſt deſiderij mei relinquo. Interim dum adhuc hic peregrina per fidem ambulo, & non per ſpeciem, eſto mihi vir dolorum, & ſponſus

ſus ſanguinum; ut tecum & in te dolores amem, & ſanguine tuo genas meas ac vultum exornem. Deniq; hæc una mihi ſit hoc in exilio ſolicitudo, ut qualem te in hac cruce conſpicor, talem me tibi exhibere contendam; ut, quoad licebit, amori meo crucifixo ac vulnerato conformis effecta, ſponſæ nomine reperiar non indigna.

*P. 1. c. 15.* Habes inſuper in Stimulo divini amoris, iſtius Doctoris Seraphici ardentes affectus, quibus acerbiſſimā & ignominioſam Chriſti paſſionem ambit ſibi dari in ſponſam, indiſſolubili nuptiarum vinculo conjungendam. Seſe enim illam amare ante omnes terræ cœliq; delitias, hanc totis viſceribus concupiſcere, abſq; hac nolle vivere; hanc deniq; eſſe unicum ſolatium & deſiderium animæ ſuæ, & plura his paria, quæ facilè erit in præſentem transferre tractatum. Ejusdē enim operæ & rei eſt, Chriſtum crucifixum in ſponſum optare, & paſſionem ejus in ſponſam dilectam aſſumere: cùm neque JESUS crucifixus ſine paſſione ſit, neque paſſio Chriſti abſq; Chriſto eſſe poſſit. Et utrâque iſtâ figurâ loquendi id ipſum adumbratur, quod contendimus: eum videlicet, qui Chriſtum ardenter amaverit, & intimâ quadam ratione ei conjungi & copulari voluerit, unà cum illo crucis ejus dolores atq; ignominiam amanter complecti, & ſibi tanquam deſpondere, debere.

# CAPUT XIII.

## *Cum corde JESU Crucifixi cor ſuum conjungere, aut commutare.*

### §. I.

*Exercitatio propoſita, autoritate & exemplis adſtruitur.*

Eſt

EST hoc etiam ſuave amoris circa Chriſtum crucifixum exercitium; ſecundùm id, quod fert vulgata paræmia, proprium hoc eſſe, inter ſe vehementer amantium, ut cor unum dicantur habere. Atq; inter cauſas finésve varios à Sanctis Patribus piè excogitatos, quamobrem Redemptor noſter lanceâ militis ſibi latus aperiri voluerit, ſunt qui hunc etiam commententur; ut nimirum per hanc aperturam Divini lateris, pateret aditus ad cor ejus, liceretque nobis, myſticâ quâdam ratione, cor noſtrum cordi ejus conjungere, & quaſi cor unum è pluribus cordibus efficere. Ita enim diſertè, neq; uno loco S. Bonaventura. Quippe parte primâ Stimuli divini amoris de Chriſto pro nobis vulnerato, loquens: *Præ nimio amore* (inquit) *aperuit ſibi latus, ut tibi tribuat cor ſuum.* Ibidémq; ponderat, ut quiddam multùm mirabile, quòd *apertio lateris cor cordi conjungat*; cor, inquam, crucifixum amantis, cordi ipſius Chriſti crucifixi. Et parte tertiâ; *Si bene paſſionem fueris meditatus, & multùm intraveris in latus ejus, citò pervenies ad cor ejus. O felix cor* (ſubdit) *quod ſic cordi Chriſti dulciter colligatur!* Ita etiam Ludovicus Bloſius endologia quadam ad JESUM: *Voluiſti* (ait) *chariſſime mi, mellifluum cor tuum vulnerari propter me. Utinam cor meum lanceâ amoris tui profundiſſimè ſaucies, illúdq; ſacratiſſimo cordi tuo unias, ita ut aliud non poſſim velle, quàm quod tu vis!* Quibus ſimilia idem habet alibi: itémq; Thaulerus & Lanſpergius in Pharetra divini Amoris.

*P. 1. c. 1.*

*P. 3. c. 1.*

*Prec. adm: Pys endol. 14.*

Denique nonnullis præſertim ſanctis Virginibus, quas in hujus ſermonis progreſſu commemorabimus, fertur id conceſſum eſſe divinitùs, ut ad ineffabilis familiaritatis indicium, Chriſtus cor ſuum illis traderet, & vel cor ſuum divinum cùm earum corde commutaret, vel utrumq; cor reſolutione mirabili in unum conflaret ac confunderet. Quâ rem, ſi (ut plerumq; in talibus rebus uſuvenit) ſymbolicâ

duntaxat ratione, aut imaginariâ quadam repræſentatione illis contigiſſe dicamus; magnam quidem indicat divini amoris dulcedinem, & intimæ cujusdam familiaritatis prærogativam, ſed nihil præ ſe fert, quod non facilè poſſit intelligi. Si verò in eo rigore quem verba ſonant accipiendum ſit; ut nimirum Chriſtus re ipsâ divinum cor ſuum ſuis detractum viſceribus alterius pectori indiderit, aut cum alieno ſic commutârit, & ipſum cor Chriſti alienâ jam animâ viveret, & Chriſtus viciſſim cor illud, quod alterius fuerit, in ſua receptum præcordia, divinâ ſuâ animâ vegetaret; hoc inquam per ſeſe, & intellectu creditúq; difficile, & non modò cum phyſicis, ſed etiam Theologicis rationibus parum conſentiens videtur. Diſpiciamus tamen id quale ſit, & quantum ejusmodi narrationibus deferre, aut non abſurdè concedere valeamus.

In primis igitur illud ponimus, quod à nobis modò inſinuatum eſt, ejusmodi cordiũ conſociationes, commutationes, ſubſtitutiones, quas ſæpè in vitis præſertim ſanctarũ fæminarum legimus (quamdiu narrationis adjuncta aliud expreſsè non exigunt) non phyſicâ aliquâ ratione, ſed per viſum duntaxat aut ſpeciem quandam imaginariam factas eſſe. Sic enim permulta tum SS. Prophetis, tum perſonis Chriſto ſpecialiter dilectis contigiſſe ſcribuntur, quæ non niſi per formas ſenſibus objectas, aut impreſſas animo rerum ſpecies expertæ ſint: quibus tamen in rebus nulla eapropter fallacia, aut illuſio mentis agnoſcenda eſt; cùm ad earum imaginum veritatem ſufficiat id illis ſubeſſe, ad quod exprimendum ac demonſtrandum repræſentantur. Quemadmodum in re propoſita, ea cordium copulatio, aut inter Chriſtum ejúsq; ſponſas mutua quaſi commutatio, valere poteſt (ut dicebamus) ſive ad eximiam divinæ charitatis vim, dulcémq; Chriſti cum anima ſibi dilecta conſuetudinem ac familiaritatem ſignificandam; ſive ad ſummam inter-

ter illos conſenſionem animorum ac voluntatum teſtandam aut conciliandam, ſive demum ad alium quempiam ſingularis gratiæ effectum commonſtrandum, ſi præſertim ad iſta adijcias, quæ mox ſuggeram ad rei totius explanationem.

In quem ſenſum tum illud interpreter, quod de S. Gertrude, B. Magdalena de Pazzis, aliiſq; in eorum vita ſcriptum eſt; eas videlicet ipſum cor Chriſti loco ſui cordis accepiſſe; tum id nominatim quod de B Catharina Genuenſi proditur: eam aliquando ſibi viſam eſſe, admoveri ad pectus Domini Jesu, in eóq; conſpicere Crucifixi cor, totum ignitum atq; accenſum: unde ipſius mens eâ dulcedine divini amoris liquefacta ſit, & velut in ipſum dilectum ſuum reſoluta, ut diceret: Jam animâ meâ & corde meo deſtituta ſum; quia anima mea & cor meum, eſt ipſa anima & cor dulcis Amoris mei, hoc eſt, Chriſti Jesu, in quem illa prorſus immerſa erat & transformata. Quæ quidem ſic dixiſſe cenſenda eſt, propter eam quam dixi voluntatis ſuæ cum dilecti ſui voluntate conſenſionem; ſic ut per omnia idem ipſa vellet, idémq; nollet, quod dilectus; atque ita idem cor, eandémq; cum illo animam haberet. Niſi quis fortè tam parum cordatus eſt, ut credat, ſanctam illam viduam, non corde modò, ſed propriâ etiam animâ deſtitutam, naturam ſuam atq; eſſentiam retinere potuiſſe, aut animæ propriæ abſentiam, ab anima Chriſti ſuppletam eſſe.

*Inſin. l.2.c.3.*
*Vit. B. Magdal. p.2.c.8*
*Vit. c. 2.*

Quibus conſentaneè Seraphinus Razzius in vita Venerabilis ſororis Catharinæ Ricciæ; cùm illum ejus raptum commemoraſſet, quo aliquando coram diviniſſimo Sacramento ſupplicans, ſibi viſa fuit rapi in Paradiſum, ibiq; intercedente Dei Matre, ſibi ab Chriſto Jesu mutari atq; innovari cor, quod pridem ab eo multis precibus contenderat; ut proinde ex eo jam diceret, cor ſuum non ampliùs cor Catharinæ, ſed Beatæ Virginis appellandum; id deinde explicans ita ſubjungit: *Quod nos intelligimus per ſimilitu di-*

*L. 2. c. 6.*

*tudinem; ſive, quòd accepiſſet cor ſimile cordi B. Virginis per imitationem.*

## §. 2.

### *Eorum, quæ modo allata ſunt, ſpecialior quadam explicatio.*

ATtamen ad hanc rem paulò luculentiùs explicandam, illud inſuper addere poſſumus: dum Chriſtus cor ſuum alicui ſponſæ ſuæ ſpecialiter contradere viſus eſt, plerumq; id non eſſe factum, ſine aliqua operatione divina, ſecundùm quam, etiam ratione quadam magis phyſicâ, dici poſſet illi immutatum cor, aut ipſum cor Chriſti ei ſingulariter donatum eſſe. Ad quod duo quædam video potuiſſe concurrere.

*Primùm* enim id fieri potuit per inſignem quandam virium animæ facultatúmve immutationem; ita videlicet, ut intellectus atq; voluntas hominis, ex ſpecialium ſeu habituum ſeu auxiliorum impreſſione, induerint ſenſus atque affectus Chriſtiformes, ut jam nihil ſentirent, ſaperent, diligerentve, niſi quod Chriſtus ipſe ſentiret, ſaperet, diligeret: quod eſt habere cor ſecundùm cor Chriſti, & quodammodo cor ſuum cum Chriſti corde commutâſſe.

*l. 1. vit. c. 5.* Atq; huc pertinere videtur, quod de S. Virgine Lutgarde, in hunc modum refert ipſius vitæ ſcriptor Thomas Cantipratanus: nimirum in quadam cum Chriſto (ut eſt incredibilis, divini ſponſi cum ſuis dilectis familiaritas) velut amatoriâ alluſione; cùm Lutgardis dixiſſet, *Volo cor tuum Domine*; iſq; reſpondiſſet: *Quin ego potiùs & cor tuum*; tum verò ſubjunxiſſe Lutgardem: *Sit ita, Domine; ſic tamen ut cordis tui amorem cordi meo attemperem, & in te cor meum poſſideam, omni tempore tuâ protectione ſecurum. Facta eſt igitur* (ſubdit Cantipratanus) *ex eo die quadam permutatio cordium, vel potiùs unio ſpiritûs creati & increati per gratiæ excellentiam. Deinceps enim Chriſtus ita cordi Virginis inhæſit,*

*haſit, eam communiens, ac protegens, ut nec tentatio carnis, immò ne turpis quidem cogitatio mentem ejus vel temporis puncto infeſtârit.*

*Alterum;* ut ad id acceſſerit, etiam humorum habitúsq; corporis, & ipſius quoq; temperamenti cordis immutatio intima; & pro ingenita ad affectus humanos naturaléſve cupiditates propenſione, ſubſtituta ſit quædam ad ſenſus motúſve Chriſto crucifixo conſentaneos, tanquam naturalis diſpoſitio. Quo modo Magnus Antonius in quadam ſua epiſtola, ſpiritum ſanctum operantem in homine perfecto, etiam ejus corpus immutare aſſerit, ut jam ſit omnino ſub poteſtate ſpiritûs; illius ſtatus, quem in reſurrectione juſtorum accepturum eſt, quodammodo particeps effectum. Et S. Bonaventura agens de quadam ebrietate ſpirituali, ex divina in mentem irradiatione procedente, ait: *illam irradiationem tantùm abundare in corde, ut etiam in membra corporis redundet, & illa faciat divinæ clementiæ arridere:* quâ quidem voce aptiſſimâ uſus eſt, ad illũ membrorum corporis cum intima DEI motione conſenſum, & quaſi reſponſum ſignificandum. Quod ipſum denique, ſed aliâ phraſi, quodam loco expreſſit S. Catharina Senenſis, dicens: vi ſanguinis Chriſti, & igne divinæ charitatis, ita ſubinde confortari & immutari hominis animum, ut etiam ipſa caro fragilis odorem virtutis ſentiat, & corpus unà cum anima in omni ſuo exercitio ad DEUM clamare atq; aſpirare videatur.

*Ep. 1. tom. 4. Bibl. PP.*

*P. 3. ſtim. c. 6.*

*Orat. quad.*

Equidem ut in prægnantibus, aut certâ corporis ægritudine affectis, fieri videmus; ut propter humorum naturalium alterationem, omnino diverſa appetant ab ijs, quæ anteà ſolerent appetere: ita videtur divinitus uſq; eò immutari poſſe corporis humani temperatio, ut exutis humanis vitioſíſve propenſionibus, ad res ac ſenſus moréſve divinos jam quodammodo natum atque aptum ſit; ipſumq;

cor-

cor hominis ad divini cordis quaſi attemperetur indolem, ad eáq; tanquam naturaliter propendeat, ad quæ Chriſtus ipſe in vita mortali propenderit. Quod in re ipſa quid eſt aliud, niſi jam cor Chriſti induere, aut cor humanum in cor divinum transmutare?

Atq; huic noſtræ cogitationi, licet ex ipſa Scripturæ phraſi, lucis nonnihil adjungere: nam quemadmodum Sauli, continuò atq; in regem à Samuele unctus eſt (ut divino Spiritui loqui viſum eſt) *immutavit DEUS cor aliud*; ſpiritum nimirum principalem pro ruſticis incultiſq; moribus, & pro aſinas paſcendi conquirendive ſtudio, cogitationes ei rege dignas inſpirando: è diverſo autem Nabuchodonoſori regi, ad deprimendos ſuperbos ejus ſpiritus, divino judicio *cor ab humano commutatum eſt, & cor feræ datum eſt ei*; Deo ejus mentem ac phantaſiam, immò (ut eſt prorſus veroſimile) ipſam corporis ac cordis temperationem ſic immutante, ut (quoad liceret, ſalvâ humanæ naturæ ſubſtantiâ) quidquid hominis eſſet exuens, belluinos ſenſus atq; affectus acciperet, ipsâ jam indolis ac naturæ ſimilitudine, ad ferarum paſtum ac ſocietatem abjectus: Ad eundem modum dici poteſt dulcis Salvator quodam amoris privilegio, quibusdam ſponſis ſuis divinum cor ſuum tradere, aut cor cum illis commutare; cùm ſcilicet earum cordibus ſua ſenſa ac mores imprimit, ipſúmq; etiam earum corpus occultâ ratione ad hæc ipſa diſponit atq; afficit, ut veluti corde jam immutato, non ampliùs ſapiant quæ hominis ſunt, ſed quæ Chriſti Jesu; in quem etiam ſeſe veluti transformatas eſſe ſentiant, eadem ament, ijsdem delectentur; támq; ſit eis difficile, ab ijs quæ Dei & Chriſti ſunt abſtrahi, quàm ægrè avellitur animalis homo ab innata eorum quæ ſenſus mulcent atq; oblectant, cupiditate. Atq; de eo qui in hunc modum affectus ſit, phraſim Scripturæ ſecuti meritò dicemus: Cor ejus ab humano commutatum eſt, & cor divinū datum eſt ei.

*1. Reg. 10.*

*Dan. 4.*

Quo

Quo in genere libens admiſero, ſingulare quiddam ac præ cæteris eximium, illi in paucis dilectæ Chriſti ſponſæ Sanctæ Catharinæ Senenſi, à Sponſo ſuo conceſſum fuiſſe. Ut enim teſtatur Beatus Raymundus in ejus vita: *Vit. c.47. apud Sur:* cùm ea Dominum aliquando precaretur, ut ab ea auferret cor proprium, omnémq; propriam voluntatem; viſus eſt Chriſtus latus ejus ſiniſtrum aperire, & ita cor ejus auferre, póſtq; aliquot dies in idem latus cor aliud ſplendens inferre, dicens: *En filia mea chariſſima, habes cor meum pro corde tuo:* atque ita latus ejus occluſit, eodem in loco conſpicuâ cicatrice permanente, quam Virginis Sodales ſeſe vidiſſe ſæpe teſtatæ ſunt: ne id phantaſma tantùm aut viſum ſymbolicum exiſtimaretur fuiſſe.

Dicamus igitur, etiam phyſicâ quadam ratione immutatum ei & ſubſtitutum cor aliud, quod exinde cor Chriſti proprium cenſeri & appellari poſſet, ſive propter illam quâ modò indicavimus, intimæ naturæ cordis illius ad Chriſti ſenſus & Crucifixi mores conformationem aut contemperationem, & quandam quaſi communionem earum qualitatum, quibus divinum cor ipſius Chriſti præditum eſt; ſive quo alio diviniore modo, nobis ignoto & incogitato, ea immutatio contigerit. Quippe cùm talium inexpertis fatendum ſit, divini amoris ac bonitatis artes, quibus ſibi dilectas animas extra ordinem complecti, aut ſibi devincire conſueverit, abſconditas nobis & incompertas eſſe.

## §. 3.

### *Opportuna in rem præſentem animadverſio.*

NEque quemquam hoc loco moveat, quod pleraq; iſtius generis, fœminis obveniſſe memorentur; ſexui (ut ajunt) ea in parte nimis credulo, & cerebri ſui phantaſmatis atque illuſionibus obnoxio.

Nam

Nam neque hic ego quæcunq; viſa obtrudi velim, aut facilè recipi, niſi quibus ipſa externorum ſignorum evidentia, aut aliunde perſpecta perſonæ ſanctitas, & cœleſtis quædam ac divinitùs indita ſapientia, fidem meritò concilient: cùm & alioqui divinus ſpiritus ubi vult ſpiret, ejúsq; bonitas ſua dona det cui voluerit. Et in alijs certè divinæ familiaritatis indicijs, quæ vel ſenſu tangi, aut manu etiam palpari poſſunt, puta inſculptis cordi, aut corpori impreſſis, paſſionis Chriſti ſacris ſtigmatis, cùm virum unicum fortaſſis habeamus, ſed præ cæteris illuſtri ac ſingulari ratione ijs divinis notis inſignitum, proferri poſſunt ex altero ſexu pluſculæ, quas ſatis conſtet eâ favoris prærogativâ, amorísve pignore, à ſponſo ſuo eſſe donatas. Sive hæc dicamus infirmitati ſexûs indulgeri, ut iſtis veluti blanditijs teneantur, ne quâ levitate ad humanos ſenſus, & terrena oblectamenta defluant: ſive Chriſtum delectat ſpecialiter, animarum illarum, ubi ſemel ſe totas ejus amori tradiderint, in eo cupidis ingenuiſq; affectibus complectendo teneritas; aut illa magis puritas mentis, quâ liberæ curis exterioribus, eáque actionum varietate (per quas dum etiam divinæ gloriæ ſtudio, ſanctorum virorum plerumq; vita diſtenditur, *neceſſe eſt*, inquit Leo Magnus, *de mundano pulvere etiam religioſa corda ſordeſcere*;) eóq; plurium leviorum noxarum immunes, uniq; intus intentæ ſponſo, habiliores fiunt ad intimam cum eo conſuetudinem, & ad capeſſenda rariora quædam divini amoris pignora comparatiores: ſive is denique cœleſtis ſponſus, dilectæ parentis honori ſtudens, eo pacto amat maternum ſexum augere atq; honeſtare: ſive quæ alia ſubeſſe debet, incomperta nobis & magis recondita ratio. Nam ejuſce rei præclaras quaſdam rationes, quas nihil opus ſit omnes referri, à B. Petro de Alcantara ſibi datas, teſtatur S. Tereſia in vita ſua. *cap: 40.*

Verumtamen hoc loco & iſte mihi ſexus admonendus

eſt:

eſt; ne ſi quas donis ejusmodi, ab ſponſo ſuo extra ordinem affici, & tanquam palpari contigerit, in eo fortaſſis nimiùm ſe ament, ſibiq; ipſæ blandiri occipiant, quaſi jam cæteris ſanctiores ſint, & ſolidæ virtutis vitæq; perfectæ ratione, Deo acceptiores.

Ut enim hic jam non exequar, quàm eximijs de cœlo prærogativis, divinis chariſmatis, ſtupendiſq; ac prodigioſis operibus, melior, hoc eſt virilis ſexus, præ illo molliore cumulatus ſit; neq; illud occinere inſiſtam, quæ blandimentis ejusmodi & arcana quadam Sponſi cœleſtis conſuetudine dignantur, eas oportere, tum exinde in ſe ſubmiſſiores exiſtere, tum ſalutis ſuæ futuri exitûs metuentiores, ne fortè, quod multis contigit, illuſioni ac fraudi pateant, eáq; propter majori verſentur in periculo, quàm ſi in negotio ſpiritus viâ planâ tutáq; graderentur: his inquam omiſſis, memorare ſufficit in præſentia; in his Dei donis, quantumvis rara & excelſa ſint, veram animi ſanctitatem non conſiſtere, neq; ejus effectus aut indicia indubitata eſſe; cùm, velut in principio Operis cum alijs obſervavimus, ad complexum (quem appellant) myſticum, aut intimam atq; perfectam contemplationem, quæ utique pluris quàm externa illa benevolentiæ ſigna facienda eſt, quandoq; contingat vocari animas, nondum perfectas. Nimirum vera vitæ ſanctitas, amore puro, forti, robuſto metienda atque æſtimanda eſt; quo quia perſæpe magis abundant viri illi ſancti, qui magnis laboribus pro Dei gloria exerciti, quietem ſuam guſtúmve ſpiritualem, animarum ſaluti poſthabent, parati fortaſſis etiam cum Paulo ac Moyſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus; qui ejusmodi ſunt, tametſi nonnullo aſpergantur mundano pulvere, & illis careant divinæ familiaritatis argumentis, neq; inſolitas quasdam & dulces (ut loquitur S. Bernardus) affectiunculas experiantur, erunt ſcilicet & ſanctiores apud Deum, & Chriſto acceptio- *de nat. divini am. c. 4.*

ceptiores exiſtimandi. Quò illa pertinet præclara, atq; (uti fertur) Antoniæ Romanæ, notæ quondam ſanctitatis viduæ, divinitùs inſinuata cogitatio.

Quemadmodum in Principum domibus catelli quidam ſunt mollicelli ac delicati, qui teneritudinis ac lepidioris formæ gratiâ habentur præſertim in delicijs, & ad menſam herilem adhibiti, cibis præcipuis & delicatioribus nutriuntur; & rurſus ſunt acres moloſſi, villosâ horridáque ſpecie, qui cùm & ferinam dominicæ menſe ſuggerant, & lupos urſósve conficiant, tamen ubi venatu feſſi, curſúque ac fame propè confecti, lutóve ac cœno oppleti, domum redierint, furfuracei panis fruſto donati, ruſticanam in aream, aut in antrum aliquod ablegantur: qui etſi hoc pacto videntur haberi neglectui, non ideo tamen Domino ſuo minùs cari ſint; quin, ſi ea inſtet neceſſitas, malit omni illâ catellorum turbâ carere, quàm horridum illum validúmque moloſſum amittere. Eundem in modum præfatæ viduæ ajebat Chriſtus, ita referente noſtro Nicolao Lancicio: *Se operarijs ſuis converſioni animarum deditis non præbere tot in oratione guſtus & conſolationes, uti dat quibusdam fœminis; & licet illos tanquam canes venaticos (qui capiendo urſos & apros, id eſt, peccatores convertendo, veniunt quandoq; pedibus luto infectis) non admittat ad oſcula, ſicut admittit parvulos catellos, pulchros & otioſos; tamen pluris facit illos Dominus, quàm iſtas mulierculas, quibus ſe magis in oratione extraordinaria communicat, per ſpirituales guſtus, & veluti quoſdam complexus.* Sic ibi.

*De arid. in orat. c. 5.*

Et ſimile quiddam ſeſe ex Chriſto cognoviſſe teſtatur S. Gertrudis. legentúrq; eam in rem utiliter, quæ ſapienter ſcribit Doctor Seraphicus parte 3. ſtimuli c. 8. & 9. Et S. Bernardus ſermone 12. in Cantica ſub finem.

*l. 3. c. 69.*

§. 4.

Digitized by Google

## §. 4.

### *Iſtius exercitationis ratio ac fructus præcipuus.*

SEd quidquid de his ſit extraordinarijs, ac paucis omninò conceſſis Sponſi cœleſtis muneribus ac privilegijs; enitendum nobis eſt, ut per voluntatum, deſideriorum, morúmq; ſimilitudinem, ſpiritualem quandam cordis noſtri cum corde JESU crucifixi copulationem atque unitatem aſſequamur. Nam cùm in unoquoq; animali cor ſit fons vitæ ac principium, fieri non poteſt, ut vivamus Crucifixi vitam, niſi cor habeamus Crucifixi. Atq; eò tendit ratio præſentis exercitij; quod tria potiſſimùm à nobis requirere videtur.

*Primum:* ut per intimam cum Chriſto crucifixo familiaritatem, ſubeamus frequenter in latus ejus, & inde ſuccedamus in cor, & ipſum non tam ferro militis (tametſi & illo transfixum fuiſſe dicendum eſt) quàm amoris telo convulneratum atque apertum. Hoc eſt: ut per crebram attentámq; plagarum ac dolorum Chriſti contemplationem, pervadamus tandem ſenſus ejus intimos, & illum præſertim penetremus amoris exceſſum, quo tam acerba, támq; indigna, noſtrâ causâ ſubire compulſus eſt.

*Alterum:* ut cum animis noſtris conſiderantes attentiùs, illius divini cordis charitatis ardorem, ſtudium immenſum paternæ gloriæ, & inexplebilem, ejusdem gratiâ próq; ſalute noſtra, quoscunque cruciatus ac mortes perpetiendi cupiditatem; & cum ejus divinis affectibus, cordis noſtri frigus, ſtuporem, vecordiam, atque ad omnia his contraria, quæ Salvator noſter tam ardenter amavit atque amplexus eſt, proclivitatem componentes, erubeſcamus & confundamur animo, quòd tam diſſimiles inveniamur Salvatori noſtro, atq; à divinis illius ſenſibus tam longè etiam abſimus: proindéq; omnes affectus & actus noſtros, omnia

*Inſtit: Spirit. c. 9.* *Spec: ſpirit: c. 7.* opera, & exercitia noſtra (ex Bloſiano poſt S. Gertrudem monito) ipſi divino cordi Domini JESU emendanda ac perficienda, cum magna animi devotione, commendemus.

*Poſtremum:* ut Salvatoris exemplo ac diſciplinâ informati, incenſiq; eum propiùs imitandi deſiderio, per aſſiduum mortificationis ſtudium, & perfectam voluntatis noſtræ amoriſq; proprij in rebus omnibus abnegationem, aſpiremus ſenſim ad unitatem illam divini cordis. Hoc eſt, ut per omnia Chriſto crucifixo conſentientes, eadem cum illo ſapiamus atq; guſtemus, in ijsdem ſolatium noſtrum, voluptatem, gaudium, gloriam, felicitatem conſtituta habeamus: atque in hunc modum veluti nobis ipſis mortui, non noſtro ſenſu, ſed Chriſti ſolius in nobis viventis corde, ſpiritu, impulſu agitemur. Ex quo denique fiat, ut juxta *Col: 3.* quod ait Apoſtolus: *Pax Chriſti exultet*, & regnet *in cordibus noſtris*; & mens noſtra repleatur jubilo, cùm abſorpta fuerit in DEUM, & unum effecta cum Chriſto.

Sed delectat ſuper his audire ſenſum ardentis illius Seraphini S. Bonaventuræ; qui exultans in DEO ſuo crucifixo, eiq; ſe totum dedicans, & veſtigia paſſionis ejus ubiq; ſectari deſiderans, hac deniq; ad JESUM ſuſpiratione exponit æſtus *P. 2. ſtim. c. 18.* cordis ſui, & vota ſua deſideriáq; concludit: *Omnia* (inquit) *abjiciens, totus in te ſitiens, nihil præter te ſentiens, reſolvar in te, & in te centraliter quieſcam. Abſcedat vanitas, accedat divinitas, transformet charitas, & fiam totus divinus. Aperiatur cor meum, aperiantur vulnera, jungantur intima, & ſim unum cum Chriſto. Amen.* Quò item faciunt quæ ibi præmiſerat, ad eandem ſui in ipſum Chriſtum reſolutionem anhelans: *Aperias cor meum, bone JESU, ad tua vulnera; & quantum me diligas recognoſcam: ut ſic ebrius tuo ſanguine, totus in te reſolvar amore. Intret dolor tuus in intima mea, & expellat omnem amorem meum alienum. Sim tecum crucifixus mundo; ut ſim mortuus, & vita mea abſcondi-*



Digitized by Google

*ta ſit ſolùm tecum in DEO.* De qua re nos plura in ſequentibus, nominatim autem parte ultimá, cùm de plena hominis in JESUM crucifixum transformatione diſputabimus.

Addo interim & illam huc pertinentem Joannis Lanspergij ad JESUM aſpirationem: *Fac ut uniatur cor meum ſuaviſſimo cordi tuo, voluntas mea voluntati tuæ, ut nunquam alia velim, nunquam aliter velle poſſim, quàm tu vis, & tibi placet.* Et poſteà: *Attrahe cor meum per pretioſiſſimum vulnus lateris tui, ad amantiſſimum cordis tui arcanum, ut cor meum cum ſanctiſſimo corde tuo, indiſſolubili dilectionis vinculo uniatur, atq; in te abſorbeatur, quatenus tu in me, & ego in te habitem.* Sic ille. *Phar: div. ani: l. 1. p. 5.*

# CAPUT XIV.

## *Quidquid agimus patimurve, Chriſti operibus aut doloribus conjungere, eáq; conjunctione conſecratum æterno Patri offerre.*

### §. 1.

*Iſtius Exercitationis uſus ac fructus commendatur.*

EXercitium hoc, quod ſuperiori conjungimus, propter nonnullam affinitatem, quanquam uſu facile, & leve videtur in ſpeciem; tamen animæ Chriſto dilecto ſuo placere cupienti, & in ejus amore magis ac magis in dies creſcere volenti, debet eſſe commendatiſſimum.

*Primò:* quia Scriptores Aſcetici, dum præcepta tradunt vitæ ſpiritualis, in cæteris hanc artem commendant plurimùm; ut nempe conſueſcat aſceta, tam ea quæ agit, quàm quæ patitur, DEO offerre in unione (ut ajunt) operum ac paſſionis Chriſti: ut videre eſt in plerisq;, tum antiquis, tum recentioribus; & nominatim in Ludovico Bloſio, qui cùm

cùm alibi paſſim id genus exercitij commendat in ſuis operibus, tum in ſua Inſtitutione ſpirituali de eo agit ex profeſſo: ubi etiam non dubitat aſſerere: *opera ejus qui iſtud piè obſervat, excellere incomparabiliter opera ejus qui non obſervat.* Pro eadem arte SS. Ambroſij, Bernardi & Bonaventuræ, teſtimonia in decurſu citabimus.

*Secundò:* quòd multis Sanctorum atq; Sanctarum, & ijs præſertim, qui intimam aliquam cum Chriſto conſuetudinem habuerunt, exercitationem hanc ſciamus fuiſſe familiariſſimam. Immò ipſe Salvator (uti ſcriptis ſuis conſignatum reliquerunt S. Mechtildis atque Gertrudis) iſtius artis perpetuò uſurpandæ eis non ſemel autor fuerit. Sic enim futurum, ut Chriſti merita peculiariter ſua facerent, ſuorúmq; operum defectus ditiſſimâ Chriſti converſatione ſupplerent. Rurſúmq;, hâc ipſâ ratione, ipſarum preces, vota, deſideria, Chriſti Domini precibus, votis, deſiderijs conjuncta, aſcenſura in conſpectu Dei, inſtar virgulæ fumi ex diverſis commixtis aromatibus, quorum nempe fumus in unum collectus, eâdem quaſi lineâ ac ductu cœlum petit; jucundiſſimâ utique & divinis ſenſibus acceptiſſimâ vaporatione.

*L. 3. grat. ſpir. c. 12. L. 4. inſin. c. 16.*

Quò denique pertinet & viſum illud amabile S. Gertrudi oblatum: cùm videlicet S. Joannes Evangeliſta, notarij inſtar ad Chriſti pedes in gloriæ throno ſedentis conſidens, & opera bona, quæ quodam tempore ab ea religioſa congregatione fiebant (cujus pars erant duæ memoratæ ſanctæ Virgines) in membranas & acta referens, viſus eſt eorum pleraque, calamo in roſeum Chriſti latus intincto, miniatis notis pingere, atque horum quædam colore nigro, quædam aureo interſtinguere. Cujus viſi hæc fuit interpretatio: Ea quidem opera tanquam colore de Chriſti latere ſumpto pingi, quæcunque fierent in Dominicæ paſſionis memoriam, eadémq; variè diſtingui ac illuminari, pro

varia

varia finium, ob quos illa fierent, conditione; demum ea propriè auro depingi, quæ Chriſti paſſioni incorporata offerrentur purè ad gloriam Dei.

*Tertiò:* quia, ut teſtatur Bloſius, & ipſa demonſtrabit experientia, multiplicem ſanè utilitatem, & ingentem planè fructum ex ea conſuetudine referemus. *Can. ſit. ſpirit. c. 11.*

Primùm: quòd opera & paſſiones noſtræ, ex ea ad Chriſti opera & paſſiones adjunctione, veluti ex quodam rei divinioris attactu, ſanctitatem quandam ac dignitatem accipiant; ratione cujus ipſi Deo ſint acceptiſſima, eóq; vim permagnam habeant ad ejus gratiam ac dona divina promovenda. *Ineffabilem namq; dignitatem* (ait laudatus Lætienſis Abbas) *ex meritis Chriſti, quibus unientur, accipient: ſicut aquæ gutta in vas aliquod vino plenum immiſſa, tota à vino abſorbetur, & exinde vini colorem ſaporémq; recipit.* Aut (ut S. Gertrudi divinitùs inſinuatum eſt) *ſicut viride apparet, quidquid per viride videtur: ita per omnia acceptiſſimum eſt DEO Patri, quidquid per unigenitum ſuum offertur.* *Inſtit. ſpir. c. 9.* *L. 3. c. 30.*

Deinde: quòd ipſa Chriſti patientis infinita dignitas, exercitijs noſtris eo pacto adjuncta, quidquid in his ex noſtra infirmitate imperfectum aut impolitum eſt, quodammodo emendet ac ſuppleat; eáq; ita conveſtiat, ut jam honeſtiùs coram Deo appareant, tanquam pretioſà meritorum Chriſti veſte ornata, & de purpura ſanguinis ipſius, velut roſeo quodam rubore illuminata. Sed hoc jam eôdem penè recidit cum præcedenti.

Rurſum; quòd hæc ipſa in quotidianis exercitijs noſtris obeundis adhibita cogitatio, ad majorem quandam in ijs perficiendis ſolicitudinem, ſtudium, accurationem nos exſtimulet; dum pudor eſt ſcilicet, tam vilia, inculta, indigna cum divinis Chriſti operibus conjungere, & horum ſummam nobilitatem atq; excellentiam, eâ vitioſorum impurorúmq; actuum quaſi commixtione, contaminare.

Ad

Ad hæc; iſtud quoq; hæc efficiet exercitatio: ut dum in noſtris perficiendis operibus, ad ſimilia Chriſti opera attendimus animum, ſenſim aſſueſcamus opera noſtra univerſa, ad eandem formam ac rationem, quà Chriſtus ea fecit, exigere; ejúsq; divino ſpiritu, quidquid agimus patimúrve, ut nobili ſigillo inſignire. Secundùm quod B. Mechtildi aliquando viſus eſt Chriſtus, oculos ejus obſignare ſuis oculis, aures auribus, manibus manus, &c. ne quid illa deinceps niſi ex ejus divino ſpiritu, videret, audiret, operaretur. Eodémq; ſpectant & illa S. Ambroſij, ſuper iſtis Cantici verbis: *Pone me ut ſignaculum in cor tuum, ut ſigillum in brachium tuum;* ita pulchrè ſcribentis: *Signaculum Chriſtus in fronte eſt, ſignaculum in corde. In fronte, ut ſemper confiteamur: in corde, ut ſemper diligamus. Signaculum in brachio, ut ſemper operemur.* Quo denique fiat, ut toto quaſi Chriſto ſignemur, per perfectam quandam in noſtris operibus vitæ ac mortis JESU Chriſti imitationem, & operum noſtrorum cum ipſius operibus intimam conjunctionem & unitatem. Iſtam quippe ſimilitudinem impreſſionémve divinæ imaginis, potiſſimùm ex Chriſto crucifixo petendam eſſe, idem S. Doctor alibi exprimit, dicens: *Infige ergo pectori & cordi tuo hoc ſignaculum Crucifixi; infige & brachio tuo, ut opera tua peccato mortua ſint:* mortificationem ſcilicet Domini JESU, ut antè inſinuârat, ſemper in corpore noſtro portando.

*L. 1. c. 1.*

*Cant. 8.*

*De Iſaac. & anima c. 8.*

*ſerm. 15. in pſ. 118.*

Ex quo ad extremum, iſtud etiam operæ pretium conſequetur aſceta; ut opera ſua cum magna quadam perfectione atque abſolutione exigens, in iiſq; vim divinæ gratiæ & Chriſti ſpiritum, ex quo illa procedant, & quo ipſa animentur, manifeſtè recognoſcens, non tam illa ut ſua opera, quàm ut Chriſti in ſe viventis aſpiciat; quaſi jam non ipſe, ſed Chriſtus ſit, qui videat per ejus oculos, loquatur per os, per manus operetur. In quo ſumma hominis Chriſtiani perfectio,

Digitized by Google

fectio, & quædam veluti in Chriſtum transmutatio cernitur.

Jam vides, mi Lector, ex quàm puſillis & tenuibus initijs (ſi modò quis ſedulus ac ſolers eſſe ſtuduerit) ad quantā denique quámq; excelſam Chriſtianæ virtutis abſolutionem perveniri poſſit? Quámq; meritò Aſcetici Doctores momenti plurimùm ea in re ſitum exiſtiment, ad magnum animæ in vita ſpirituali & Chriſtianâ perfectione profectum. Sed jam more noſtro, facilioris uſûs gratiâ, exercitij hujus vim omnem certis capitibus præceptionibúsq; concludamus.

## §. 2.

### *Suggeruntur varia monita, ad uſus præſentes non parum conducibilia.*

EX dictis hactenus, & his quæ diſpersè ſuggerit Lætienſis Abbas, licebit artem hanc ad pauca præcepta, & iſtam quaſi formam redigere.

*Primum:* Id enitere ſedulò, eóq; aſſuefac animum tuum, ut priusquam operis quidquam faciendum ſuſcipias, continuò mente in DEUM directâ atque intentâ, ipſos actus tuos illi offeras, ad ejus honorem, æternámq; laudem ac gloriam, & in unione perfectiſſimorum operum ac meritorum Filij ſui. Hæc oblatio (ut quodam loco advertit Bloſius) etiam in momento abſque verbis fieri poterit, nempe ſimplici dulciq; mentis in DEUM intentione. Si quis tamen ad id certam verborum formulam deſideret, inveniet aliquos apud ipſum in locis à nobis laudatis. *Can. vit. ſpirit. c. 11.*

Qui inſuper & id probè admonet: utile fore in rem præſentem, non in hac duntaxat generali oblatione reſiſtere; ſed ſi quas Salvator actiones his noſtris ſimiles in vita exercuerit, illis ſpeciatim opera noſtra conjungere. Ut ſi v. g. corporis refectionem aut ſomnum capturus es, id to- *Inſtit. ſpir. c. 9.*

 tum

tum offeras in unione illius ſuaviſſimæ pietatis, & charitatis inæſtimabilis, quâ ille pro te factus homo, refectionem aut ſomnum corporalem cepit in terris. Et ita de precibus, jejunijs, lacrymis, laboribus, ſermonibus, ac reliquis hujusmodi. Ita enim fiet, ut ſuper pretium ac dignitatem, quam opera tua, ex illa ad Chriſti merita adjunctione accipient, eadem inſuper nobiliori ſpiritu, & majori etiam perfectione elabores; in abſolutiſſimum exemplar humanæ vitæ, hoc eſt, DEUM-hominem, ejúsq; mores atque opera ſemper intuendo.

*Alterum:* Poſteaquàm boni operis aliquid cum DEI gratia perfeceris, ad illud rurſum advertens animum, illud repræſenta æterno Patri, in unione dulciſſimi illius amoris, quo Filius ejus pro nobis naſci, pati ac mori voluit; ſuppliciter poſtulans, ut intuitu meritorum ejus, operis defectum atque negligentiam benignus emendet ac ſuppleat. Aut certè jam illud offer ipſi Unigenito, & quidquid in eo peccatum aut neglectum eſt, ſuaviſſimo illius cordi, uti jam capite ſuperiori inſinuavimus, emendandum perficiendúmque amantiſſimè committe.

*Tertium:* Quod de noſtris actibus, divinis Chriſti operibus conſociandis diximus, id etiam magis faciendum intelliges de moleſtijs, ærumnis, vexationibus, afflictionibus noſtris; quæ, mox ut occurrunt, ſacratiſſimæ Chriſti paſſioni ac doloribus conjungendæ ſunt: quò itidem ex horum ſanctitate, aliquod illis pretium, decus, claritas concilietur; nobiſq; exinde non mediocre accedat in malorum noſtrorum patientia ſolatium, cum animis noſtris opportunè reputantibus, ipſum etiam Redemptorem noſtrum tentatum fuiſſe per omnia, nóſq; illum in pœnis noſtris ſocium habere atque conſortem. Quâ arte ſolari mala ſua inter alios didicerat S. Pachomius; qui (ut in ejus vita proditur) cùm recens etiam à ſuſcepta diſciplina monaſtica, inter

*Vit. c. 12.*

inter vepres ligna colligens, pedes ſuos frequenter cruentaret, ſuſtinebat lætus, memor clavorum, quibus confixæ fuiſſent manus & pedes Domini ſui. Quam conſiderationem alibi diffuſiùs explicabimus: ſicut & illud, quod hic obiter indicâſſe ſufficiet; videlicet, ſi quid in famâ, honore, corpore patimur, id enimverò æquum eſſe referri ſpecialiter ad inſtaurandam ipſius Chriſti JESU pro nobis percuſsi & humiliati gloriam; atque ad nonnullam ſatisfactionem compenſationémve eorum, quæ noſtrâ cauſâ eodē in genere dulcis Redemptor, atrociora multò atq; acerbiora, perpeſſus eſt.

*Quartum:* in aliquo ſpirituali otio ante Dominum tuum conſtitutus, & in conſpectu illius majeſtatis, interioris tui hominis miſerias agnoſcens, egeſtatem, meritorum inopiam; fiduciam omnem colloca in meritis Unigeniti, eáq; in horum, quæ tibi deſunt, ſupplementum, DEO Patri offerre, & ſanctâ quadam amoris ingenui confidentiâ, tua quodammodo illa efficere contende. Qua in arte præeuntem habes S. Bernardum, qui (ut ex ipſo antea retuli) ab ineunte converſione ſua, pro acervo meritorum, quæ ſibi deeſſe crederet, faſciculum myrrhæ ex omnibus Domini ſui confectum amaritudinibus, inter ubera ſua, per aſſiduam atque amantem paſſionum Chriſti meditationem, collocare curavit; in his fiduciam, in his juſtitiæ perfectionem ſibi conſtituens. *ſerm. 43. in Cant.* Eadémq; mente in alio quodam ſermone dicit: *Quidquid ex me mihi deeſt, uſurpo mihi ex viſceribus Domini mei.* *ſerm. 61. in Cant.* Quæ leguntur etiam apud Auguſtinum in Manuali. *Man. c. 21.* Idémq; præcipit Abbas Bloſius his verbis: (*Offer DEO Patri in plenam expiationem peccatorum tuorum, & in ſupletionem meritorum quæ tibi deſunt, ipſum Unigenitum ejus Filium JESUM Chriſtum: offer omnia, quæ ille pro te fecit ac pertulit: offer incarnationem, vitam, labores, cruciatus, ſanguinem & mortem ejuſdem Redemptoris tui. Cujus quidem ob-* *Spec. ſpirit. c. 7.*

*lationis* (ſubdit) *dignitas & præſtantia homini prorſus incomprehenſibilis eſt.* Atque eum uſum ex S. Gertrude didicerat; quæ tum alijs locis, tum præcipuè l. 2. cap: 23. ſuarum divinarum Inſinuationum, pro omnibus negligentijs ſuis amanter offert æterno Patri paſsiones Unigeniti, ab illa hora, qua in præſepio ſuper fœnum reclinatus, vagitum dedit, uſque ad momentum, quo in cruce pendens inclinato capite ſpiritum emiſit. Cujusmodi oblationis formulam habes apud ipſum Bloſium, in Preculis admodum pijs, contractam quidem ac brevem initio, diffuſam autem in ſequentibus, endologiâ ad JESUM 15. & alibi. Qui alio loco etiam admonet, eundem in finem offerendum Patri ſacratiſsimum cor Unigeniti: perinde atque ſi illud ex Apocalypſi ſuadeat, ut de corde Chriſti, ardente fornace nobiliſsimæ charitatis, aurum petas ignitum probatum, quo locuples fias; & vitæ ejus innocentiſsimæ meritis, & veſte candidâ te obvolvas; ut non appareat confuſio nuditatis tuæ. Quod itidem ſibi uſurpans S. Bonaventura, contendit (ut ipſe loquitur) opprobrioſiſsimam Chriſti paſsionem induere tanquam veſtimentum regale: nihil enim ſibi de cætero metuendum eſſe, ſi fuerit eâ veſte indutus; hoc eſt, ſi merita paſsionis Chriſti, ex ea formula quam hic tradimus, ſibi incorporârit, & quodammodo ſua fecerit.

*In fine Enchir.*

*Apoc. 3.*

*P. 1. ſtim. c. 7. in fine.*

*Poſtremum:* Ad pleniorem operum tuorum ſanctitatem, ac conſecrationem, ſubinde à Chriſto crucifixo ingenuè amantérq; flagita, ut ſenſus tuos & actus omnes divino ſuo ſpiritu obſignare, universíſq; animæ tuæ viribus uti ipſe ad gloriam ſuam, & tanquam per eas in te operari dignetur. Ad quod illa conducet aſpiratio Bloſiana: *Eja ſuaviſſime JESU: credo te eſſe in me ſecundùm ipſam divinitatem tuam. Digneris igitur per oculos meos aſpicere, per aures meas audire, per linguam meam loqui, & per cætera membra mea operari quod tibi placitum eſt.* Eosdémq; ſenſus induerat B. Maria Magda-

*Inſtit. ſpir. c. 11.*

Magdalena de Pazzis, dum in raptu quodam exclamabat ad Chriſtum crucifixum: *Abſconde me in vulneribus humanitatis tuæ.* Et deinde: *Oculi mei maneant in oculis miſericordiæ tuæ; aures meæ in auribus tuis, ut intelligant & comprehendant vocem Sponſi mei; os meum in ore tuo, ut os meum loquatur, quod mecum ſponſus loquitur.* Pergitq; deinceps idem exequi, tum de membris alijs, tum etiam de univerſis animæ ſuæ viribus, memoria, intellectu, voluntate, quæ omnia cupit conjungi exterioribus & interioribus facultatibus ſponſi ſui, ut in omnibus ipſa cum illo, aut ipſe per illã operetur. Cujus utique ſtatûs ſecuritatem felicitatémque commendans S. Ambroſius: *Quomodo* (inquit) *poteſt non in æternum vivere, quem ſempiterna vita ſuſcepit, quem totum ſibi Chriſtus aſſumpſit, qui totus Verbi eſt, cujus vita abſcondita eſt in Chriſto JESU?*

*P.2.Vit. c.4.*

*ſerm. 15. in Pſ. 118.*

Sed de his ſatis. Nam amantes quidem, affectu duce, uſúq; comite, his plura facilè reperient: non amantibus autem, etiam hæc erunt nimis multa.

# CAPUT XV.

## *In Chriſti Domini vulneribus aſſiduè ac libenter habitare.*

### §. I.

*Ejus myſticæ habitationis ratio proponitur atque exponitur.*

FRequens eſt apud Scriptores Aſceticos, & paſſim obvium illud præceptum: animæ Chriſtum amanti, & ad ſpiritualis vitæ perfectionem aſpiranti, enitendum eſſe ſtudioſiùs, ut in ſacris Crucifixi vulneribus aſſiduè habitet, & repudiatis cæteris, quæ foris ſunt, in ſacris illis foraminibus,

nibus, adeóq; in ipſo Chriſti pectore, ut in Templo quodam Pacis æternæ, ſecura conquieſcat.

*Inſtit. ſpir. c. 6.* Ludovicus Bloſius in Inſtitutione ſpirituali & alibi ſæpè Aſcetam admonet, ut *in cruce ſeu crucifixâ Chriſti Imagine nidulum ſibi collocet, & in mellifluis vulneribus ejusdem benigniſſimi JESU commoretur & requieſcat.* Joannes Rusbrochius apud eundem: *Farrag. util. inſtit. §. 7.* *Contemplare, quaeſo, cum affectu vulnera, quæ Dominus JESUS pro te ex amore ſuſcepit: atq; hic paſceris & reficieris. In patulo latere ejus, unde omnes gratiarum promanant rivi, commorare, ut in amantiſſimo corde illius vivas, in quo eſt Sancti Spiritûs, & æternæ charitatis plenitudo.* *l. 2. de imit: c. 1.* Thomas à Kempis: *Requieſce in paſſione Chriſti, & in ſacris ejus vulneribus libenter habita.* Sancta iterum Catharina Senenſis, Directori ſuæ conſcientiæ B. Raymundo ſcribens, eundem hortatur, *Ep: 111.* ut in Chriſti plagis ſibi conſtituat habitationem. Et ſic paſſim alij: nec ſine fundamento in dictis Patrum, ut videbimus.

Præſertim autem, ut jam vidiſti, commorandum cenſent pio aſcetæ in plaga lateris, in intimis Chriſti viſceribus, in ipſo corde divino, amore noſtri vulnerato atq; transfixo. *P. 1. ſtim. c. 1.* Quocirca etiam S. Bonaventura admirandam illam contemplans transfigurationem, non quâ in monte Thabor apparuit Jesus ut Rex gloriæ, ſed quâ in monte Calvariæ deformatus eſt in virum dolorum; amore ardens atq; liqueſcens, nec volens à Chriſto crucifixo vel punctum temporis ſeparari, exclamat & ipſe, non tamen neſciens quid diceret: *Bonum eſt cum Chriſto eſſe. Et in ipſo volo tria tabernacula facere, unum in manibus, unum in pedibus, & aliud continuum in latere, ubi volo quieſcere, dormire, vigilare, bibere, comedere, legere, adorare, & omnia mea negotia pertractare. Ibi loquar ad cor ejus; & ab ipſo quod voluero impetrabo.* Ita ille; utique habitationem ſibi in Chriſti latere ac corde præſertim deligens; in eóq; uno & cubiculum ſibi, & cœnaculum, & mu-

Digitized by Google

& muſœum, & ſacellum, & reliquas, quæ in nobili aliquo domicilio optari poſſunt opportunitates, inveniens. Sed de cordis Chriſti cõmodiſſimâ habitatione, plura nos inferiùs.

Rurſum autem idem Bonaventura alio in loco de ijsdem Chriſti ſtigmatibus ſeu vulneribus agens: *Ubiq;* (inquit) *& ſemper habitabo in illis; ut ſim quaſi in caſtro ſecurus ab omni impulſu maligno.* Imitatus fortè S. Auguſtinum, cujus iſta leguntur in Manuali c. 21 *Tuta & firma requies eſt infirmis & peccatoribus in vulneribus Salvatoris. ſecurus illic habito.* Et cap: 23. *Longinus aperuit mihi latus Chriſti lanceâ, & ego intravi, & ibi requieſco ſecurus.* Ita ibi. *P. 1. ſtim. c. 7.*

Illud autem hoc in genere ſpeciale eſt, quod pluribus tradit Andreas Alberti è Societate noſtra, de Paula Maria à Jesu Carmelitanâ excalceatâ: eam videlicet aliquando quinq; ipſos annos in Chriſti plagis ſic habitâſſe, ut in earum ſingulis ad annum unum domicilium ſibi deligeret, ad eósq; ingreſſus ſe compararet, perinde atque ſi de novo Monaſterium ingrederetur. *In Theopiſte l. 2. c. 7.*

Quod ſi hîc ex me quæſieris, quidnam illud ſit, quod appellamus in Chriſti vulneribus habitare; nonnulla ſubjungo, ex quibus id poſſit aliquatenus intelligi.

Primùm enim ille in vulneribus Salvatoris habitat; qui de ijs aſſiduè recogitat, qui mentem in ijs defixam tenet, nuſquam interruptâ contemplatione. Nam veluti ſi quis alterius vultum obſervet & contempletur aſſiduè; rectè, etiam Tullianâ phraſi, dicuntur iſtius oculi habitare in vultu alterius: aut, quemadmodum Scripturæ verbo, *is habitat in adjutorio Altiſſimi*, cujus oculi converſi & intenti ſunt ad Dominum, ut ſibi auxilio ſit: ſic illum dicimus habitare in plagis Chriſti, qui nunquam ab eis cogitatione divertat, ſed in ijs mente animóq; ſemper verſetur. *Idcirco denique audit* (inquit S. Bernardus) *Columba mea in foraminibus* *Cic. Philip. 12.* *Pſal. 90.* *ſerm. 61. in Cant.*

*nibus petra: quòd in Chriſti vulneribus totâ devotione verſetur, & jugi meditatione moretur in illis.*

Rurſum: quando ea eſt ardentioris amoris vis, ut amantis animum ſuo quodammodo divellat à corpore, atq; in dilectum transferat, atque conſtituat; eam nos animam dicemus habitare in Chriſti vulneribus, quæ ſolius JESU crucifixi deſiderio & amore langueat, eum ſolum exquirat, huic uni probare ſeſe, ei ſe conformare ſtudeat; in hoc uno denique, velut in votorum ſuorum centro conquieſcat, ſuimet oblita, cæterorum etiam (præterquam Chriſti vulnerati) incurioſa.

Denique, cùm eos, qui in aliquo loco, non ut peregrini & advenæ ad tempus commorantur, ſed velut cives perpetuò habitant, conſectarium ſit oportere loci legibus vivere, loci moribus, veſtitu, linguâ uti; eóq; confeſtim, ut peregrinus dignoſci ſoleat, ſi quis non loci inſtituta, ſed externos mores ſectetur, ſi cultu utatur peregrino, ſi regionis linguam non noverit: non abſurdè illum in Crucifixi vulneribus, aut in ipſo Chriſto crucifixo habitare dicemus, qui crucis ſectetur diſciplinam, Crucifixi legibus, Crucifixi moribus vivat; Crucifixi veſte, Crucifixi linguâ utatur; hoc eſt, qui ardenti ſeſe Domino ſuo aſsimilandi ſtudio, nihil niſi dolores & opprobria ſibi optanda & amplexanda putet; nihil niſi crucem, ſuiq; contemptum atque odium, aut ſapiat, aut loquatur; verbo, qui Crucifixi ſenſus atq; affectus, aut (quæ vox eſt Apoſtoli Pauli) ipſum Chriſtum induerit, & in eum quodammodo tranſierit. Quò ſe perveniſſe, P.1.ſtim.c.1. indicare videtur S. Bonaventura: nam cùm aliquando vi cujusdam contemplationis eximiæ, in amantiſsima vulnera Domini noſtri JESU Chriſti, ut ipſe ait, ſubintrâſſet, & oculis jam oppletis ſanguine, veluti palpando ad intima viſcera divinæ charitatis ejus perveniſſet, ijs undique circumplexus, exitum invenire non potuit: *Ideóq;* (ſubdit) *ibi inhabi-*

*habito, & quibus veſcitur cibis veſcor, ac ibi inebrior ſuo potu, &c.* Quod quidem quid aliud eſſe dicam; niſi jam, non hoſpitem & advenam, ſed tanquam civem Chriſti viſcerum, & domeſticum cordis illius eſſe?

Ut igitur rem in pauca colligam: *Habitare in Chriſti vulneribus*, eſt Chriſti dolores ac vulnera perpetuò mente tractare; Jesu crucifixo ardenti amore inhærere; ex Crucifixi inſtitutis ac diſciplina vivere, eadem ſentire, eadem loqui, & per omnia ejuſdem moris & quaſi coloris cum Chriſto crucifixo eſſe.

## §. 2.

### *Habitationis in Chriſti vulneribus multæ ac pretioſæ utilitates.*

QVanta porrò, putas, talis habitationis ſunt commoda? quanta Chriſtum incolere, & in Chriſto manere, felicitas? Quanta ſecuritas in illis foraminibus petræ, in illa ſublimi & munitiſſima arce pectoris Chriſti? Quanta pax & quies in illo ſecreto tabernaculo, atrio cœli, veſtibulo ſupremæ felicitatis? Quantæ deliciæ in ipſo corde Crucifixi, in illa cella vinaria, apotheca cœleſtium gratiarum? Quantæ divitiæ in illo gazophylacio divinitatis? Ibi nimirum (ut pluribus infrà demonſtrabimus, cùm privatim agemus de delicijs cordis Chriſti) ibi inquam eſt ſecuritas à malis, vacuitas à curis, quies à laboribus, ſilentium cupiditatum, ſoporatio ſenſuum, ebrietas animæ, transformatio ſpiritûs, oblivio mundi, amiſſio ſui, ſapor, guſtus, amplexus & intima poſſeſſio dilecti.

Quin (ut & hoc addam) non mens hominis duntaxat in Chriſto crucifixo habitans, in eo tam blandè ac delicatè acquieſcit; verùm & corpus etiam ipſum, vi ejus ſupremæ & ineffabilis contemplationis, ſenſim tanquam Chriſtiforme effectum, & ad divinas Chriſti crucifixi impreſſiones ſu-

ſuſcipiendas aptatum, in ijsdem Chriſti vulneribus ſuam & ipſum quietem invenit, & eorum quodam guſtu paſcitur, illecebráq; tenetur admirabili, ægrè ut deinde ab ijsdem poſsit avelli. Quod etſi videtur incredibile, id tamen Seraphico Doctori credamus licet, talium utique non inexperto. Ejus hæc verba ſunt, loco ſuperiùs laudato: *Crede mihi, ô homo! quia ſi in ipſum* (ſcilicet Chriſtum) *per hæc anguſta foramina intrare volueris, non ſolùm anima, ſed etiam quietem ac dulcedinem mirabilem inveniet corpus tuum: & quod carnale eſt, & ad carnalia tendit, ex illo vulnerum introitu fiet adeò ſpirituale, ut cæteras, præter eas quas ibi ſentit delicias, reputes eſſe nihil. Unde poſt pauca ita concludit: Et, ſi ita accidit de corpore, quantâ credis animam frui dulcedine, quæ per illa foramina conjungitur cordi Chriſti? Certè exprimere tibi nequeo; ſed experire, & ſcies.* Hactenus S. Bonaventura.

*P. 1. ſtim. c. 1.*

Audiamus ad extremum S. Bernardum, illam animæ ſanctæ in Chriſti plagis commorationem, ex eo magnificè & exaggeratè commendantem, quòd anima in illis habitans, quaſi extra ictum aut ſenſum ſit tormentorum ſui corporis: quippe quæ in illo jam non commoretur, ſed altè immerſa ſit intimis Chriſti viſceribus; ex quo illa loco exultans, videt circa corpus ſuum occupatam carnificum inſaniam, quaſi hæc ad ipſum non magis pertineat, quàm ſi alieno exerceatur in corpore. Ita enim ille de ſancto Martyre in Chriſti vulneribus habitante: *Enimverò non ſentiet ſua, cùm illius vulnera intuebitur. Stat martyr tripudians & triumphans, toto licet laceretur corpore, & rimante latera ferro, non modò fortiter, ſed & alacriter ſacrum è carne ſua circumſpicit ebullire cruorem. Ubi ergo tunc anima martyris? Nempe in tuto, nempe in petra, nempe in viſceribus JESU, vulneribus nimirum patentibus ad introeundum. Si in ſuis eſſet viſceribus, ſcrutans ea ferrum profectò ſentiret. Nunc autem in petra habitans, quid mirum ſi in modum petræ duruerit? ſed*

*ſerm. 61. in Cant.*

neque

Digitized by Google

*neq; hoc mirum, ſi exul à corpore dolores non ſentiat corporis. Neque hoc facit ſtupor, ſed amor. ſubmittitur enim ſenſus, non amittitur; nec deeſt, dolor, ſed ſuperatur, ſed contemnitur.*

# CAPVT XVI.

## *Eadem animæ Crucifixum amantis ſtudia, nonnullis figuris aut emblematis adumbrata.*

### §. I.

### *Anima ſancta, columba nidificans in vulneribus Crucifixi.*

DEnunciabat olim Propheta: *Relinquite civitates, & habitate in petra, habitatores Moab; & eſtote quaſi columba nidificans in ſummo ore foraminis.* Idem tibi modò, ſed altiore ſenſu denunciatum exiſtimes. Relinque civitates, fuge tumultum hujus ſæculi, ſolitudinem ama, quære ſecretum; ipſum etiam curarum cordis tui ſtrepitum, & tot ſuperfluarum cogitationum turbam devita. Temetipſum, quoad fieri poteſt, tibi ipſe ſuffurare & eripe, de te toto totus egredere, & demigra in Petram, quæ Chriſtus eſt. In iſtius petræ felices latebras, profundè te penetra, intra cavernas & hiatus vulnerum, & te totum penitus abde. Eſto quaſi columba pennis deargentatis; & in ſummo ore foraminis, in plaga lateris, intrà ipſa viſcera & cor Chriſti, tutam tibi domum, dulcéſq; nidos conſtitue. Iſtuc enim & te provocat Sponſus verbis illis amoris ac deſiderij pleniſſimis: *Surge*, inquiens. *amica mea, ſpecioſa mea, & veni: columba mea, in foraminibus petræ, in caverna maceriæ.* Quibus quidem id à te contendit, ut inſtar teneræ & amabilis columbæ, in ſacris ſuis vulneribus libenter habites. Nam *foramina petræ*, inquit B. Petrus Damiani, *ſunt quinque vulnera Re-*

*Jerem. 48.*

*Cant. 2.*

*L. 7. ep. 19.*

*in Cant. c.2.* *ris Redemptoris.* Nec minùs appoſitè S. Gregorius, per cavernam, vulnus lateris, per foramina autem, manuum & pedum aperturas intelligit.

Atque iſta caverna, hæc foramina, myſticis columbis tuta perfugia, & delicioſos receſſus ſemper præbuere. Ubi enim ſecuriùs habitarent, aut quem ſibi ſuæq; ſoboli molliorem nidum invenirent? veruntamen aliquas ex utroque ſexu pias iſtiusmodi volucres ad exemplum proferri, dulcis erit operæ.

Talis ſanè columba erat S. Comes Elzearius, cujus abſentis deſiderium cùm jam non ferret Delphina conjux, eadémq; Virgo ſanctiſſima; quæſiſſétq; proinde per litteras; quid iſtud tandem eſſet rei, quamobrem iſtic tamdiu, nec voto ſuo modò, ſed expectatione quoque longiùs diſtineretur; is breviter illi ac dulciter in hæc verba reſpondit: *Sanus corpore ſum, & ſoſpes. Quòd ſi verò videre me cupis, quære me in vulnere lateris Chriſti; ibi enim habito, & ibi me poteris invenire: fruſtra alibi quæſitura.* Talis columba S. Bernardus; qui eo ſermone ex quo paulò antè pluſcula recitavimus, ad illa ſcilicet modò relata de Canticis, ita de ſe ipſo loquitur: *Ibo ad illa ſic operta cellaria* (hoc eſt ad vulnera Salvatoris) *atque ad admonitionem Prophetæ, relinquam civitates, & habitabo in petra; ero quaſi columba nidificans, in ſummo ore foraminis.* Neque B. Bonaventuram hîc repetere neceſſe eſt, quem nuper vidimus, tabernaculo ſibi in Chriſti latere conſtructo, ibi veluti in dulci nido, quieſcentem, dormientem, &c.

*Vit. c. 30.*

*ſerm. 61. in Cant.*

Tales columbæ ex altero ſexu, amantiſſimæ Domini Gertrudis atque Mechtildis; quæ uti arcanâ familiaritate ſponſo ſuo aſſiduè inhærebant; ita à ſuavifluis (ut loquebantur) ipſius vulneribus avelli non poterant. Potiſſimùm autem in corde Jesu, quaſi in thalamo totâ die commorantes, ibi tectum, ibi menſam, ibi lectulum, ibi quietem à curis,

ris, ſecuritatem à tentationibus, ibi dolorum ſolatium, laborum levamentum, bonorum operum ſanctorúmq; deſideriorum officinam, ibi cœlum, ibi DEUM, ibi omnia inveniebant; inde illos divinos ſenſus ardoréſq; Seraphicos, inde, ignota homini cœleſtium inexperto gaudia concipiebant, quorum nos emicantes ſcintillas, & quaſi ſtricturas, in earum ſcriptis cernimus. Atque S. Mechtildem, velut dilectam ſibi columbam, quadam die poſt ſacram communionem, hortatum eſſe Chriſtum legimus; ut per veram in donis omnibus divinitùs acceptis humilitatem, in ſuo ipſius divino corde nidificaret: Sanctæ porrò Gertrudi pro quadam ſuarum familiarium impenſiùs oranti, eam à Chriſto præceptionem traditam; ut ſcilicet illa, in omni converſatione ſua, *nidificaret in caverna maceriæ ſanctiſſimi lateris Domini JESU, & in ſummo ore fomminis repauſando, ſugeret mel de petra, id eſt, dulcedinem intentionis, de corde JESU deificato.* Talis rurſum columba B. Lydwina, de qua ita ſcribit autor vitæ: *Nimirum ſic in illa crevit amor JESU crucifixi, & meditatio acerbiſſimæ paſſionis ejus, ut nihil ei eſſet majori ſolatio, quàm in illius foraminibus atque plagis nidificare.* Tales denique omnes animæ ſanctæ, quæ Chriſti paſſionem & mortem aſſiduè recogitantes, de myſterijs humanitatis ejus, tanquam de molli fœno, nidum ſibi facere ſtuduerunt: ſecundùm illud Auguſtini in pſalmum 83. *Dignatus eſt Dominus præbere tibi unde nidum faceres: indutus eſt enim fœno carnis, ut ad te veniret.*

*L. 2. c. 19.*

*L. 3. c. 74.*

*P. 2. vit. c. 7.*

Ex horum igitur imitatione, ſi tu quoque columbæ pennas aſſumere volueris, ſi ad hujus Petræ foramina aſſiduè recurrere, ſi in Chriſti plagis libenter habitare, hoc eſt, cogitatione atque affectu in illis commorari ſtudueris; magnum quidem facies operæ pretium, ſed quæ propriè huic loco congruant, iſtas in primis utilitates conſequêris.

*Primùm:* ut hoc habens tanquam familiare perfugiũ, in his

Digitized by Google

in his divinis antris ab inferni prædonis inſidijs defendaris; qui milvi inſtar accipitriſve circumvolitat, ſi quam fortè animam ab hac tuta caverna longiùs abductam, & deſideriorum ſuorum pennâ præpete, per hujus mundi auras incautiùs errantem, comprehendat & laceret: cujus utique ungues vix effugiet columba ſeducta, non habens cor; illa, inquam, anima, quæ has ſanctas latebras ignorat, & in omni tentatione ſua ad Chriſti vulnera, ut ad ſacrum aſylum, crebrò confugere non didicit.

*Deinde*: ut in hac tanquam arca divini cordis, protegaris à tempeſtate & diluvio iræ Dei; quod comprehendet omnes, qui ſub umbram alarum Chriſti crucifixi non confugerint. Sed & cùm omnia anxiè pervolitaveris, non invenies profectò ubi requieſcat pes tuus, niſi in arca lateris Chriſti: quia quidquid foris eſt, obtinent aquæ turbulentæ, inſtabiles, amaræ; & pacem animi extra Jesum crucifixum non reperies.

*Poſtremò*: ut in eo nidulo, de vicini cordis Jesu ardore concalefacto, excludas & foveas pullos tuos, hoc eſt, pia deſideria ſanctóſq; affectus; quibus magis ac magis voluntatem tuam divino cordi ſubjungas, & hoc in te ſentiens, quod & in Chriſto Jesu, in ipſum denique temet transformare ſatagas.

Ita multiplici opportunitate, in uno corde Chriſti & aſylum ad ſecuritatem, & tectum ad tutelam, & domum ad quietem, & nidum ad fœcunditatem invenias.

Ad extremum lubet velut huc pertinens memorare, quod in ſua Theopiſte refert noſter Andreas Alberti: nempe Fredericum Cardinalem Borromæum obtuliſſe olim cuidam Principi Crucifixum artis antiquæ, intra cujus plagas duodecim columbæ nidulabantur. Quod teneræ pietatis & dulcis amoris inventum, quemlibet autorem habuerit, uti me delectavit legentem, ita credidi Lectori meo placere poſſe,

*L. 2. c. 7.*

poſſe, & fortè nonneminem quondam inventurum imitatorem. Quod autem ajebat modò laudatus Cardinalis, duodenario volucrum numero adumbrari Apoſtolorum animas, quorum utique circa Crucifixum, ejúsq; amabilia vulnera, tota fuerit occupata devotio: id ex eo fit magis veriſimile; quòd aliàs quoque compertum ſit, in argumento aſſimili, ejuſdem numeri habitam eſſe rationem. Uti nominatim videre eſt Romæ in Eccleſia S. Clementis; in cujus abſidis medio, antiquo muſivo opere, figura proſtat Crucifixi, ipſi cruci appictis pari numero candidis columbulis, quarum quinque infernè cernuntur, ab imo tanquã crucis ſtipite conſurgere; tres verò ſupernè ad Domini verticem, quatuor reliquæ ad crucis brachia, ſeu binæ ad dextram, binæ ad lævam Salvatoris.

Demum video S. Paulinum eoſdem Apoſtolos figuraſſe, adjecto choro columbarum circa coronam ſeu orbem lucidum, qui Crucifixum in S. Felicis Baſilica poſitum cingeret: ipſo ita teſtante, eo epigrammate, quod ea ſuper re ipſe conſcripſit, & S. Severo transmiſit. *Ep: 12. ad Sever.*

## § 2

### *Anima Crucifixo devota, turtur ſedens in palma Crucis.*

MEditanti columbæ (quod ei ut proprium tribuitur apud Iſaiam) congementem turturem adjungo, quòd earũ, quantum ad rem noſtram, affinis omninò ſit indoles; eâ etiam de cauſa, paucioribus de hac ipſa volucre acturus. *Iſai. 38. & 59.*

Equidem columba & turtur, quibus ſolus gemitus pro cantu eſt, avium ſolæ in ſacro Cantico commendantur. Sed turturis vox nominatim commemoratur à Sponſo; viduæ præſertim & ſolitariæ, & amiſſum comparem ſuo gemitu requirentis: fortaſſis, quia ut ait Hugo de S. Victore: *Vox turturis tota de amore, & non novit aliud præter amorem turtur;* *Cant: 2.* *Serm: de Aſſumpt: B.V.*

*tur; & illi ſingularis eſt amor, qui ſoli non adjungit alterum; & æternus, qui nec primo ſecundum.*

Atque de turturis viduæ moribus tria præſertim huc facientia tradit Aldrovandus & alij. Primum: eam deinceps ſolitariam ſemper degere, amiſſi comparis deſiderio ſuſpirantem. Alterum; quod obſervat etiam S. Bernardus: nunquam eam in ramo viridi, ſed tantùm in arido reſidere. Poſtremum: aquam limpidam & illimem, niſi quam priùs alis turbaverit, non bibere. Quæ quidem imago ſunt animæ Chriſti crucifixi amore languentis, & ejus abſentis deſiderio, loca ſilentio & mœroribus amica ſectantis, & ſi quid in mundo dulce occurrit, paſſionis Chriſti recordatione confundentis, & in ſola denique dilecti cruce acquieſcentis.

*Ornith. l. 15. c. 9.*

*ſerm. 59. in Cant.*

Unde S. Bernardus ad hujus volucris imitationem ſanctam animam invitans: *O Sponſa Chriſti* (inquit) *aſſimilare & tu huic turturi, & præter JESUM Chriſtum Sponſum tuum, amatorem non quæras alterum. O Sponſa Chriſti, eſto ſimilis turturi, & luge die ac nocte cum deſiderio JESU Chriſti Sponſi tui.* Et in alio tractatu: *Sede itaq; ſolitarius ſicut turtur; nihil tibi & turbis, nihil cum multitudine cæterorum; etiámq; ipſum obliviſcere populum tuum, & domum patris tui, & concupiſcet Rex decorem tuum. ô ſancta anima, ſola eſto; & ſoli omnium ſerves te ipſam, quem ex omnibus tibi elegiſti. Fuge publicũ, &c.* Iſta Bernardus.

*de modo bene viv. c. 10.*

*ſerm. 40. in Cant.*

Porro hujusmodi ſanctis turturibus abundat mons Calvariæ: quæ modò in arido crucis ligno conſidentes, pijs gemitibus proſequuntur Sponſi abſentiam: modò intra Sponſi Crucifixi apertum latus abſconditæ, arcanam in eo ſanctæ quietis divinæq; contemplationis ſedem inveniunt; propter quod etiam B. Petrus de Alcantara (ut non multò pòſt videbimus) plagam lateris Chriſti, nidum turturum ſanctarum appellavit.

Et talis turtur eſt Sancta Eccleſia, quæ (juxta S. Chryſoſto-

ſoſtomum homiliâ quadam, quâ *de turture & Eccleſiæ* inſcripſit) viro ſuo Chriſto crucifixo quodammodo in terris ſuperſtes, alijs jam non capitur amoribus, ſed *ipſum deſiderat, ipſum expectat, & deſiderio ejus commori cupit.* Talis turtur privatim quævis anima JESU Chriſto crucifixo devota; atq; ante omnes, ipſa Beata DEI Mater, quæ (velut iſtarũ ſanctarum turturum dux ac princeps) tum, quoad licebat, etiam corporis præſentiâ frequens erat in monte Calvariæ; tum mente jugiter in cruce & Crucifixo habitabat. Quorum numero denique ut adjungamur, his verbis hortatur pijſſimus Joannes Thaulerus, in explicatione paſſionis Dominicæ apud Bloſium: *Accedamus ad hunc myrrhæ montem, & cum turture gemebunda in palmam crucis conſcendamus.* Sic ille.

*Tom: 5.*

*cap: 16.*

## §. 2.

### *Anima ſancta, myſtica Philomela, ad pedem crucis deficiens & emoriens.*

SEd enim ne ſolos gemitus in paſſione Domini commeditanda probare videamur, delectat attexere: Chriſti crucifixi amantem animam, non columbæ tantùm aut turturi gemebundæ, ſed & argutiſſimæ omniúmq; vocaliſſimæ volucri, Luſciniolæ inquam, aptè comparari.

Extat inter S. Bonaventuræ opuſcula, amatorium canticum, cui titulus eſt *Philomela*, è rhythmis confectum prædulcibus, nec inelegantibus, ad pietatem certè ſanctúmq; amorem conciliandum prorſus compoſitis; quorum, in compendium collata, iſta ſententia eſt.

Principio, poëtæ in morem blandè ad ſe invitat Philomelam, quam pro ſe mittat ad amicum abſentem, & (ut apparet) ægrum animo, ſolatij gratiâ; ut illum cantu deliniat, & *voce dulcis Lyræ* (ſic enim loquitur) ejus triſtitiâ depellat.

Exponit deinde, quod dicit legi de hac volucre: ipſam,

 ubi

ubi mortem imminentem quodammodo præſenſerit, primo diluculo arboris ramo inſidentem, extento roſtro advenientem auroram ſalutare; pòſt verò, prout lux magis ac magis intenditur, ita illam magis magisq; vocem contendere, atque inardeſcere cantando; dum ſub ipſos æſtus meridianos, præ nimia cantûs contentione labefactato vocis organo, ſenſim deficiens, atque ad extremum diſruptis corpuſculi venis, & interciſo ſpiritu, ſub diei exitum exanimis denique concidat.

Tum verò hæc ipſa ad animam JESVM amantem (quã iſtâ volucre adumbrari pronunciat) ingenioſè piéq; tranferens, diem myſticam & Chriſtianam ex diverſis DEI beneficijs componit; quam ſcilicet diem, conſcensâ crucis arbore, læto pióq; cantu, id eſt aſſiduâ divinorum beneficiorum recordatione celebrans anima, magis atque magis inardeſcat cantando, hoc eſt, DEUM amando atque laudando (nam ſecundùm S. Auguſtinum, *vox hujus cantoris, fervor eſt ſancti amoris)* dum & ipſa denique diſrupto cordis organo, præ ſancti amoris vehementia concidat, & ad pedes Chriſti crucifixi felicem ſpiritum exhalet.

*ſerm: 256. de temp:*

Exinde diem hanc in ſuas quaſi horas partiens, primo diluculo humanæ conditionis beneficia aſſignat, quò in DEI amorem paulatim aſſurgens anima, ipſum DEUM venerari ac laudare occipiat; quòd ſe ex nihilo, ſolà bonitatis incitatione, produxerit; quòd ſuæ divinitatis imagine inſignierit; quòd ipſius ſummi boni fruendi (niſi ipſa ſe per vecordiam eo indignam reddat) capacem effecerit: quibus illa rebus cùm quod rependat non habeat, præter amorem, ſic eam inter cætera Conditorem ſuum alloquentem facit:

*Unica ſuavitas, unica dulcedo,*
*Cordium amantium ſalutaris prædo;*
*Totum quidquid habeo, vel ſum, tibi dedo;*
*Denique depoſitum meum tibi credo.*

Horam

Horam primam aſſignat Incarnationi & infantiæ Salvatoris; ubi jam fibris ardore gliſcente, ſenſim colliqueſcit anima, contemplans Deum ſuâ causâ hominem factum, involutum panniculis, in præſepi vagientem, & omnibus noſtræ mortalitatis incommodis & injurijs obnoxium.

*Plorans ergo clamitat: ô fons pietatis*
*Quis te pannis induit diræ paupertatis?*
*Tibi quis conſuluit ſic te dare gratis,*
*Niſi Zelus vehemens, ardor charitatis?*

Et ſubinde: *O prædulcis parvule, puer ſine pari;*
*Felix cui datum eſt te tunc amplexari;*
*Pedes, manus lambere, flentem conſolari;*
*Tuis in obſequijs jugiter morari!*

Tum ad horæ tertiæ penſum progreſſa, meditatur, & grata commemorat labores immenſos, quos in reliqua vita Redemptor, & maximè in Evangelio diſſeminando pertulerit; famem nempe ac ſitim, frigora & æſtus, ſudores & tædia, opprobria & ſannas; ex omnibus ſumens ardori ſuo materiam, & præ amoris vi velut ebria, talíſq; Magiſtri deſiderio ſuſpirans: unde & canentem audis:

*Felix cui licuit ſub hoc præceptore*
*Converſari jugiter, & ab ejus ore*
*Mel cæleſte ſugere, præ cujus dulcore*
*Amareſcunt cætera, plena ſunt fætore.*

Sed ubi ad horam ſextam perventum eſt, cui horæ attribuit Doctor Seraphicus paſſionis ac mortis Chriſti contemplationem; tum verò amore atque dolore exæſtuat, contemplans innocentem agnum, coronatum ſpinis, lividum verberibus, clavis perfoſſum, toto corpore lacerum, ac cruentatum; dum dolens aſpicit dilecti ſui pallentem vultum, languentes oculos, latus confoſſum atq; apertum, & immenſum ejus agnoſcit amorē per rimas vulnerum ve-

lut emicantem, ac ſe prodentem. Quocirca ad illum converſa in hunc modum exclamat:

*Hæc amoris ſigna ſunt, & poſtrema primis*
*Copulans aſſocias, ſummo affigens imis;*
*Monſtrans ut ſic moriens nos amares nimis,*
*Dum te totum funderes tot apertis rimis.*

Ergo jam varijs amoris fluctibus partes in omnes agitata, ſuſpirat, gemit, exclamat, ſtupet, inardeſcit, languet, æſtuat, queritur, & præ ſuimet impatientia, quaſi minùs amet, increpat ſeſe, & amenti ſimilis lictores compellat, ut ſe quoque ſuffigant cruci, cum dilecto morituram; aut ſi id non datur, optat ſaltem ut ſibi liceat,

*In caverna lateris nidulum parare,*
*Et extremum ſpiritum illic exhalare.*

Inter hos æſtus, & velut modulos affecti cordis, inteſtinæ flammæ violentiam non ſuſtinens, in Amoris ſui Crucifixi hærens amplexu, ſenſim tabeſcit ac deficit, dum ſub horam nonam præ amoris vi corde diſrupto (hoc eſt, ruptis ac diſſilientibus citharæ chordis) Philomelæ inſtar ad crucis pedem victa concidat, & fortunato invidendóq; leto, vitam amore atque amori ponat. Sic ferè S. Doctor de ſua myſtica Philomela.

Quæ tametſi in terris rara avis eſt (pauci enim ſunt ejusmodi, ut vocat Bonaventura novi martyres, qui amore ſolo atque dolore vulnerati, mortem appetant & oppetant inter vulnera Salvatoris) tamen & non uni id contigiſſe accepimus, & ex hoc ipſo Belgio noſtro proferre poſſumus ejusmodi Philomelam, propter Moſæ ripas, inter arduas rupes enatam.

*L. 1. apum, c. 25.* Refert Thomas Cantipratanus, ſub annum Domini 1216. virum pium ex oppido Dinantæo (quod in extremis Eburonibus eſt) devotionis ergò peregrinationem in Palæſtinam ſuſcepiſſe; ibiq; piè luſtratis locis cæteris, quæ Salvato-

vatoris geſtis conſecrata eſſent, poſtremò ad Calvariæ montem, & crucis Dominicæ locum veniſſe. Hîc verè rerum, quæ inibi geſtæ eſſent, memoriâ, graviter ingemiſcentem, in has voces cum clamore valido & lacrymis erupiſſe: *Quid tibi benigniſſime Domine, quid inquam tibi Chriſte retribuam, pro omnibus, quæ priùs amator amabilis mihi mirabiliter tribuiſti? Vidi priùs loca, in quibus natus, & inter homines converſatus, doctrinam Evangelicam prædicâſti, & Deitatis tuæ indicia per miracula demonſtrâſti; & quidem ob amorem & reverentiam tui, ſincero corde complexus ſum. Hunc verò locum paſſionis & mortis tuæ æquo animo videre non poſſum, ubi clavis crucifigi, terebrari lanceâ, & animam pro nobis tradere voluiſti. Hæc ut beatus ille peroravit, exclamans, ruptis vitalibus cordis venis, ſpiritum exhalavit.* Ita Cantipratanus: prorſus conſentaneè ijs, quæ ſub idem tempus S. Bonaventura ſcripſit de ſua Philomela.

Cui etiam affine quiddam de B. Henrici Suſonis matre, in ipſius Suſonis vita legimus. *Vit. c. 45.*

Confirmátq; Joannes Thaulerus, aliquos præ amore DEI rupto corde animam fundere: immò eſſe compertum, plures eo leti genere extinctos eſſe. Adfertur denique à S. Bernardino Senenſi dulciſſima ſanè S. Franciſci precatio; quam (ſive de iſta felici morte, ſive de alia non minùs pretioſa accipiatur, quâ ſpiritaliter nobis mortui, ſoli Chriſto vivamus) juvabit hic ad uſum apponere: *Abſorbeat, quæſo Domine JESU, mentem meam ignita & melliflua vis amoris tui, ab omnibus quæ ſub cœlo ſunt, ut amore amoris tui moriar, qui amore amoris noſtri dignâtus es in ligno crucis mori.* *ſerm. 1. Dñ: poſt octav. Epiph. tom. 2. ſer. 60. a. 2. c. 2.*

# CAPUT XVII.

## *De delicijs quas invenit anima, in corde JESU Chriſti Crucifixi.*

Quan-

QVantis, quámq; ſinceris, iiſq; omnem, non ſermonem modò, ſed ſenſum etiam aut cogitationem humanam exſuperantibus delicijs, redundet cor Chriſti crucifixi, expertæ nôrunt felices illæ mentes, quæ à rebus abductæ mortalibus, divinum illud cor devotâ contemplatione ſubintrant; in eóq; non modò diverſari atq; morari, ſed etiã aſſiduè habitare, ac velut in centro votorum ſuorum conquieſcere amant. At quando non omnibus compertæ ſunt illæ, quas memoramus, in corde Chriſti vulnerato concluſæ deliciæ: neque enim omnes, eorum etiam qui vitam ſectantur ſpiritalem, palatum cordis uſque eò purgatum habent, ut earum divinum ſaporem, & in intimo quaſi receſſu reconditam ſuavitatem, percipere valeant; operæ pretium erit hoc loco, quarundam ſanctarum animarum, quæ ad tanta bona deguſtanda non ſemel admiſſæ ſunt, experimentum appellare, earúmq; ſuper ijs ſenſum ac judicium exquirere. Quo illud in primis efficiatur, ut earum rerum inexperti, aliorum ſaltem qui eas guſtârint ſenſu cogni to, ea quæ de tam divina ſuavitate dicuntur, incredibilia non exiſtiment; tum ut ijs ſenſim earundem deliciarum cupiditate incitetur animus; ſimúlq; paretur guſtatus cordis, ad eas, ſi Deus donârit, experiendas atque fruendas.

## §. I.

### *Teſtimonia S. Gertrudis, S. Bonaventuræ, & cujuſdam pij Scriptoris.*

PRima teſtimonium dicat S. Gertrudis in ſuis divinis inſinuationibus: cujus ego verba cùm per ſe poſita primùm legerem, illam exiſtimavi de cœleſti gloria, aut æterno beatorum domicilio ea dicere, quæ poſtea de Chriſti pectore, purarum mentium ſuaviſſimâ & delicatiſſimâ manſione, ab ea dicta eſſe deprehendi. Nimirum animæ Deum amanti, & adhuc in iſta ſolitudine peregrinanti, Crucifixi cor pro

Para-

Paradiſo eſt: quia, ut itidem teſtatur Lætienſis Abbas: *Quios animæ ſuæ patulo lateri ejus convenienter admovere, ibiq; commorari, & ad intima cordis illius pertingere novit, is utiq; vinum vitæ æternæ deguſtat, & perſpectum habet, quàm amœna Paradiſus ſit JESUS.* Verùm audiamus illam Chriſti dilectam divini cordis ſuavitatem, quàm molliſſimè poteſt & exaggeratiſſimè explicare ſatagentem.

O (inquit) *æternale ſolſtitium, manſio ſecura, locus totum continens quod delectat, paradiſus perennium deliciarum, præterfluens rivus inæſtimabilium voluptatum, alliciens florigerâ vernantiâ omnigenarum amœnitatum, demulcens ſuavi ſono, immò ſuaviter afficienti melodiâ, intellectualium muſicorum, reficiens odorifero ſpiramine vitalium aromatum, inebrians reſolventi dulcedine internorum ſaporum, immutans mirâ blanditate ſecretorum amplexuum. O ter felix, quatérq; beatus, & (ſi dici poteſt) centupliciter ſanctus, qui gratiâ ductrice permotus, innocens manibus & mundo corde, puriſq; labijs, illuc meruit appropinquare, ubi dilecto ſuo intimè valet uniri & incorporari. ô quid videt, quid audit, quid olfacit, quid guſtat, quid ſentit!* Hactenus S. Gertrudis, cunctas in unum coacervans blanditias, voluptatum formas, nomina ac genera deliciarum. Quid illa, amabo, diceret ampliùs, ſi rapta uſque ad tertium cœlum, & apertâ DEI viſione dignata, beatarum mentium delicias, torrentem illum voluptatis, in ipſo divinitatis corde guſtaſſet? At illa gaudia jam percipiebat in corde Chriſti, & ſuperinfundente ſe divinæ ſuàvitatis copiâ, ita non dico delibuta, ſed capta, commota, inebriata dulcedine eſt; ut cùm ſumma omnia de ſuis delicijs dixerit, quidquid tamen efferat, eo quod experitur, minùs putet.

*L. 2. c. 8.*

O anima, ingredere & tu, quoad licet, in amœnam paradiſum pectoris Chriſti, in ardentem pulchri amoris officinam, in apothecam cœleſtium gratiarum. Ingredere

cum

cum amore & fiducia: hæ ſiquidem ſunt veluti claves iſtius cellæ vinariæ, in qua cœli muſtum ebullit atque exundat: quo ſemel libato ac deguſtato, deſipient profectò cætera, comperiésq; nihil uſpiam eſſe dulcius, quàm in corde Chriſti crucifixi aſſiduè commorari, ejusdem inebriari ſanguine, paſci vulneribus, ejus denique opprobria ſummam gloriam, dolores ſummas delicias computare. Sed pergamus nunc alterum teſtem producere.

Alter teſtis ſit Seraphicus Doctor S. Bonaventura: qui cùm aliquando (uti jam ſuprà memoratum eſt) arcanâ quâdam ratione amantiſſima Chriſti vulnera ſubintrâſſet, demúmq; ad intima viſcera charitatis ejus perveniſſet, tantâ iſtic affectus & completus eſt dulcedine, quantam ſeſe neget exprimere poſſe dicendo. Quapropter ingemiſcens exclamat: *O cæcitas filiorum Adæ, qui per hæc vulnera in Chriſtum neſciunt introire! ſupra vires ſuas laborant in vanum: & aperta ſunt oſtia ad quietem. An ignoratis* (ſubdit) *quòd Chriſtus eſt gaudium beatorum? cur ergo tardatis per ſui corporis foramina in gaudium illud introire?* Deinde ut hunc quoque videas in Chriſti corde paradiſum inveniſſe: *Ecce*, inquit, *aperta eſt janua paradiſi; & par lanceam militis, gladius verſatilis eſt amotus. Ecce apertus eſt theſaurus divinæ ſapientiæ & charitatis æternæ. Intra ergo per vulnerum aperturam, & cum cognitione magnas delicias obtinebis.* Quas rurſus delicias tantas eſſe confirmat, ut ad extremum vereatur, & cavendum admoneat, ne qui in Chriſti paſſione ac vulneribus commeditandis ſe exercet, id faciat fruendæ iſtius dulcedinis gratiâ, & non potiùs (uti par eſſet) ut ſui conditoris beneficia recognoſcens, magis ac magis in ejus accendatur amorem.

*P. 1. ſtim. c. 1.*

Idem alio in loco divino amore colliqueſcens, & ijs abſorptus delicijs, quas deguſtaverat in corde Chriſti vulnerati: *O felix amor* (exclamat) *qui nos facis languidos ſponſi noſtri*

*P. 2. ſtim. c. 8.*

*noſtri amplexibus ſuſtentari! ô deſiderabilis amor, qui ſummis delicijs reples egentes! ſed ſi liquefacta es ad verbum ejus, ô anima, quomodo ſuſtines amplexus ejus? quomodo non es conſumpta ad oſcula ejus? ſi liquefacta es ad affatum ejus; quomodo non es abſorpta, cùm intras per vulnera, & pervenis ad cor ejus?* Hæc S. Bonaventura.

Ludovicus Bloſius in farragine utiliſſimarum Inſtitutionum, ex ſcriptis potiſſimùm Joannis Rusbrochij decerptarum, invitans nos, ut Chriſto dilecto noſtro liberali corde totum demus quod ſumus, quod habemus, & quod poſſumus; ita enim fore, ut ille viciſſim nobis donet quidquid eſt, habet & poteſt; quâ die nulla nobis unquam lætior illuxerit: *Nam patefaciet* (inquit) *tibi glorioſum atq; amantiſſimum cor ſuum, patefaciet intima animæ ſuæ penetralia, plena gloria, gratia, gaudij ac fidelitatis. Patulum lateris ejus vulnus, porta tibi erit & introitus in vitalem* (*qui ipſe eſt*) *paradiſum, ubi fructum guſtabis vitæ æternæ. Nam Chriſtus vitalis noſter paradiſus eſt: quandoquidem in ipſo & ex ipſo ſempiternæ ſalutis fons emanat, atque ex ipſius vulneribus balſamum fluit, morborum omnium medicina.* Et paulò pòſt: *Cæterùm in intimis Domini JESU, mellis manant flumina, omni* (*qui quidem excogitari poſſit*) *ſapore ac ſuavitate dulciora: in quæ ſi tibi datum erit ingredi, eáq; guſtare ac ſentire, nullo negotio mundum, te ipſum, & omnia vinces.* Sic ille.

## §. 2.

### *Teſtimonia S. Bernardi, Guilielmi Abbatis, & B. Petri de Alcantara.*

AT S. Bernardus in libro de Paſſione Domini, cordis Chriſti mentione injectâ, iſta ſubdit inter cætera: *Sed* *cap: 3.* *quia ſemel venimus ad cor dulciſſimum JESU, & bonum eſt nos hic eſſe, non ſinamus nos facilè avelli ab eo, de quo ſcriptum eſt: Recedentes à te, in terra ſcribentur. Accedamus ergo ad te, & exul-*

*exultabimus & lætabimur in te, memores cordis tui. ô quàm bonum eſt, & quàm jucundum, habitare in corde hoc!* Et mox: *Ad hoc templum, ad hæc ſancta ſanctorum, ad hanc arcam teſtamenti, adorabo & laudabo nomen Domini.* Poſtea autem: *ô omnium pulcherrime* (inquit) *& ſpecioſiſſime JESU, ampliùs lava me ab iniquitate mea: ut purificatus per te, ad te puriſſimum poſſim accedere, & in corde tuo omnibus diebus vitæ meæ merear habitare. Ad hoc enim perforatum eſt latus tuum, ut omnibus pateſcat introitus. Ad hoc vulneratum eſt cor tuum, ut in illo & in te, ab exterioribus perturbationibus abſoluti, habitare poſſimus. Nihilominus & propterea vulneratum eſt, ut per vulnus viſibile, vulnus amoris inviſibile videamus.* Vide plura ibidem.

Audiatur & Bernardi æqualis Guilielmus Abbas Sancti Theodorici, quodam loco ſic JESUM alloquens: *Quò autem Domine trahis eos quos amplecteris, niſi ad cor tuum? Cor tuum dulce eſt illud manna divinitatis tuæ, quod intùs habes, ô JESU, in urna aurea ſuperſapientia animæ tuæ. Beati, quos ad eam tuus trahit amplexus! Beati, quos in abſcondito abſconditi illius abſcondiſti, in medio cordis tui; ut ſcapulis tuis obumbrentur à conturbatione hominum: nec habeant ſpem, niſi ſub pennis tuis protegentibus & foventibus! Scapulis enim virtutis tuæ obumbrantur, qui in abſcondito cordis tui abſconduntur, ſuaviter dormientes, & dulci expectatione lætantes.* Unde etiam alibi de hoc ipſo agens, exclamat in hunc modum: *Si te oſtium invenio apertum, ingredior; & bene mihi eſt, quamdiu licet. ô ſi videbo! ô ſi dumbo! ô ſi unquam aliquando audiero: Intra in gaudium Domini tui! ut ſic introëam, & ultra non exeam.*

Poſtremo loco juvat audire B. Petrum de Alcantara, ex Ordine S. Franciſci, virum in rebus ejuſmodi diligenter exercitatum. Is igitur in aperto Chriſti latere commorari ſolitus, in eóq; miras & inexplicabiles deprehendens ſuavi-

tates,

tates; ut eas nobis partim adumbret, omnes ſimilitudinum amœnitates accerſit, rerúmq; ac vocum illecebras, in hunc ferè modum erumpens in quadam ſua de vulnere lanceæ meditatione. *Exivit*, inquit, *ſanguis & aqua ad mundi peccata ſananda. O fluvius egrediens de paradiſo, ad irrigandam univerſam ſuperficiem terræ! ô pretioſi lateris vulnus, quod amoris potiùs cauterio, quàm inimicæ lanceæ ferro apertum eſt! ô porta cœli, feneſtra Paradiſi, locus quietis, turris fortitudinis, juſtorum ſanctuarium, nidus turturum ſanctarum, ſepultura peregrinorum, lectulus floridus Sponſæ Salomonis! Salve divini lateris vulnus amabile, quo piorum corda ſauciantur; plaga juſtorum mentes vulnerans; roſa miræ pulchritudinis, carbunculus valoris inæſtimabilis, aditus ad cor JESU, argumentum amoris ejus, & pignus vitæ ſempiternæ.* Sic ibi.

Ex quibus omnibus liceat hîc obiter colligere: quanta ſint in cœlo repoſita gaudia Chriſtum amantibus; quando tam ineffabilibus exundant lætitijs, in ſola contemplatione Dominicæ paſſionis. Nam ſi ea adeſt pijs mentibus gaudiorum ubertas in via; immo in exilio, in valle miſeriæ & lacrymarum: quid illis cenſebimus reſervari in patria? Si hæc in umbra, & quadam divina caligine: quid in luce & ſplendoribus ſanctorum? Si iſta in complexu crucis, quid experientur in ipſo ſinu divinitatis? Sed de his hactenus.

# CAPUT XVIII.

## *De delicijs animæ ſanctæ, in corde Chriſti, unà cum ipſo epulantis.*

### §. I.

### *Cor Chriſti crucifixi, triclinium eſſe animarum ſanctarum.*

*cap.6.Conſt. mon.* DIcebat magnus Baſilius, eum qui verè Philoſophus ſit (hoc eſt, ſtudio virtutis & ſpirituali exercitationi deditus) habere in ſe naturale quoddam Monaſteriū, ſeu veluti quendam locum ſecretum, aut receſſum cordis; quò ſe à tumultu recipiat rerum ſæcularium, & ubi etiam inter turbas, tanquam in magna ſolitudine verſetur.

Ejuſmodi ego naturale ſeu non manufactum Monaſterium dico animæ piæ eſſe ipſum Chriſtum crucifixū; quem illa ſi ſecum aſſiduè mente circumferat, inveniat in illo velut ſanctam quandam ſolitudinem, in qua jam non modò ſecura requieſcat à ſtrepitu & turbis hujus ſæculi, ſed arcanas etiam delicias atque ineffabiles experiatur.

*l.de pan.c.7.* Atque hic jam mihi venit in mentem, Petri Abbatis Cellenſis ingenioſum commentum; qui quodam in loco agens de cœleſti patria, ait: beatas mentes, in ipſo Chriſto Jesu Sponſo ſuo, omnes ſpiritualis cujuſdam Monaſterij ſeu Cœnobij partes ac membra reperire. Illis ſiquidem refectionis locum ſeu triclinium eſſe pectus Jesu; ſinum Jesu eſſe dormitorium; vultum Jesu, oratorium; latitudinem, longitudinem, ſublimitatem & profundum Jesu, illis eſſe pro clauſtro; conſortium Jesu & aliorum beatorum, pro capitulo, ut vocant; ſermones Jesu diviniſſimos de Sanctiſſimæ Triadis & Incarnationis ſuæ arcanis, pro auditorio. Hæc ille: quæ, ſi cui id placuerit, difficile non erit, ad Chriſtum crucifixum, & animam adhuc peregrinantem, proportione quadam accommodare. Nam huic quidem certè pro triclinio aſsignabimus, ipſum Chriſti cor vulneratum atque apertum, in quo (uti modò demonſtravimus) ſapore divino & delicijs fruatur incogitabilibus; faciem Chriſti crucifixi, pro loco oratorio, quòd eam par ſit, tum aliàs ſemper in Chriſti oculis ac præſentia agere, tum verò maximè piæ commentationis precationiſve tempore, in vultu Crucifixi habitare; ſinum Chriſti pro dormitorio, ubi cum dilecto diſci-

diſcipulo reclinet caput, & dulci ſopore obdormiſcat ſanctæ contemplationis; pectus Chriſti pro clauſtro, in quo abſcondita mundo lateat, eorum omnium quæ foris aguntur ſecura; crucem denique aut Calvariæ rupem, pro auditorio, pro capitulo. Iſta enim, uti pòſt dicemus, exedra quædam ſunt aut ſchola omnis aſceticæ ſapientiæ, in qua luculenter, non agenda duntaxat præcipiuntur, verùm etiam quæ pravè geſta ſunt, redarguuntur, & quid corrigendum emendandúmve ſit, diſcitur.

Addere libet verbis pauculis, quod hic etiam ſuggerit Joannes Juſtus Lanſpergius in Pharetra divini amoris: ubi *L. 1. p. 5.* ſuum aſcetam ita informat, ut in Chriſti crucifixi vulneribus certas ſibi tanquam officinas conſtituat: & in vulnere quidem pedis dextri, ſibi balnei inſtar appareat; in vulnere ſiniſtri, pharmacorum inveniat ſalutarium apothecam; in plaga manus dextræ ſanctarum virtutum & meritorum Chriſti veſtiarium, in plaga ſiniſtræ tutum propugnaculum adverſus hoſtes, ſive inſtructiſsimum omnis armaturæ ſpiritualis armamentarium; ac demum cordis vulnus ſit illi thalamus, in quo, amore caſto, Sponſo ſuo cœleſti conjungatur. Hæc ille.

Attamen, quod hic propriè contendimus, video etiam S. Gertrudem, cùm ſimiliter in Chriſti membris ſpiritualis *L. 3. c. 28.* cujusdam Cœnobij partes ſibi deligeret, ipſomet Chriſto ſuggerente, cor ejus pro templo, & refectionis ac quietis loco habuiſſe: ſimilitérq; à S. Bernardo, in quadam rhythmica membrorum Chriſti ſalutatione, de qua poſtea, divinum Crucifixi pectus non amoris tantùm domicilium, ſed humilium quoque triclinium appellari.

Porrò cùm viciſſim ipſe Chriſtus, cor ſeſe purè ac caſtè amantis veluti triclinium ſuum reputet, in quo libenter cum anima dilecta cœnet, reficiatur, delicietur: hinc ſubnaſci poteſt amatorij cujusdam exercitij; & blandæ inter amantes



Digitized by Google

tes colluſionis occaſio; dum ſeſe Chriſtus ad dilectam animam, & illa è contra ſeſe ad cor Chriſti invitat, rurſúmque ad ſeſe alter alterum. Quo modo illa dilecta in Canticis, quæ ſeſe anteà à Sponſo invitatam meminit, & introductam
Cant: 2. in cellam vinariam, poſtmodum eundem invitat ad ſe, pri-
Cant: 5. mùm ad hortenſes delicias, fructus pomorũ & favum mel-
Cant: 8. lis, mox ad lautiora genialis thalami cupedia, vinum conditum, & muſtum malorum granatorum.

Quem etiam ſenſum habere videntur illa Chriſti in A-
Apoc: 3. pocalypſi: *Cœnabo cum illo, & ipſe mecum;* hoc eſt, *apud me;* nimirum viciſsim à me poſtea invitatus.

Et quamvis harum arcanarum blanditiarum ratio, non tam arte tradi, quàm amore magiſtro diſci ſoleat: Libet tamen affectuum hujusmodi paradigma aliquod ruditer præformatum ſubijcere, & (quod ait Scriptura divina) dare
Prov. 9. occaſionem ſapienti.

## § 2

### *Deſiderium animæ amantis, & in Crucifixi cor ingredi, & unà cum illo refici ac deliciari affectantis.*

QVam in rem in primis animo fingere atque imaginari potes, puerum JESUM (quemadmodum ſubinde in pijs tabellis exprimi ſolet) nudulum, ſuâ onuſtum cruce, ſertóq; ſpineo coronatum, & ſtillantem ſanguine, adſtantem ad fores cordis tui, introgredi affectantem; ut dolores ſuos tecum in corde communicet, in eóq; tanquam molli lectulo, quietis nonnihil & ſolatij aucupetur. Quo quidem habitu pulſantem illum, tanto antè viſa eſt deſcribere ſponſa,
Cant: 5. cùm diceret: *Vox dilecti mei pulſantis: aperi mihi ſoror mea, amica mea, immaculata mea: quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium.* Quo verò rore, niſi roſei ſui ſanguinis? aut quarum noctium guttis, niſi paſſionũ

& do-

& dolorum ſuorum? Noctem quippe hoc loco S. Paulinus interpretatur paſsionem. *Ep. 4. ad Sev.*

Neque iſtic duntaxat, ſed alibi quoque ſtantem ad oſtium, & pulſantem agnoſces dilectum; neque manu tantùm, ſed voce etiam contentâ, quaſi omninò ad te intrare, & tecum cœnare atque refici velit, fores tuas (quæ vis eſt amoris & inquieti deſiderij) importuniùs obtundentem. Hic verò quid agas? niſi ei aperias denique; ſaltem ut tuâ paupertate excuſatâ, ad illum potiùs admitti poſtules, & converſâ vice id ab eo inſtanter contendas. Delectabit amantem ingenuæ mentis ſimplicitas; qui utique non aliâ de cauſa cor tuum ſibi præberi expetit, niſi ut viciſsim divinum cor ſuum tibi redonet, eóq; ſeſe invitat ad te, ut te ſuis donis ac delicijs reficiat. Quare hunc in modum, ſi lubuerit, illum amanter compellare potes.

Dudum eſt, ſcio, dilecte mi, cùm foris ſtas ad oſtium cordis mei, & pulſando ingreſſum affectas; neq; pulſu tantùm ſolicitas fores meas, ſed clamorem etiam intendis, ut exaudiam. *Si quis audierit* (inquis) *vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum.* At, ô duritia cordis mei! ſurdæ ſunt fores iſtæ, benigne JESU, & non eſt intus qui exaudiat. Præcordia iſta ære triplici obſepta ſunt, ut non facilè ſit aperiri. Atq; ut intraveris, domi quidem meæ merum frigus eſt, jejuna omnia, & quod pro voto cœnare poſſis, non invenies. Amabo, Domine, commutemus conſilium: & quando tanta eſt mecum cœnandi cupiditas, invita me potiùs ad te ipſum. Quippe pectus tibi amoris vulnere jam apertum eſt, & laxatis præcordiorum clauſtris, viam facilem ad cor tuũ, & molles aditus oſtentat. Ibi autem inveniemus cœnaculum grande ſtratum, illam cordis tui ſpatioſam latitudinem, triclinium floridum ac ſuaveolens, menſam ornatam apparatu regio, & omnibus bonis paradiſi redundantem, omni *Apoc: 3.*

virtu-

virtutum gratiarúmq; copia, ad ſpirituales delicias, & ſanctam animæ ebrietatem inſtructam. Ibi enim mel & lac Paradiſi; ibi frumentum electorum, & vinum germinans virgines; ibi muſtum malorum granatorum, doloris amoriſq; prælo, de ipſo tuo diviniſſimo corde expreſſum. O ſi illuc mihi intrare liceat deniq;, ſi tecum cœnare, & guſtare quàm ſuavis eſt Dominus! O ſi illîc tecum inebriari, ſi ſoporari, ſi mori, ſi ſepeliri!

Sed audire dulce eſt hoc loco S. Bonaventuram, haud abſimilibus animi ſenſibus ſanctè indulgentem, & pari quadam amoris licentiâ dilecto ſuo alludentem. *Ornabo me monilibus* (inquit) *& ipſum introducam in thalamum cordis mei; & ibi ſecum de cætero requieſcam. Bene ſcio, quòd nihil aliud petit: & quærit ipſe animam meam viſitare, & intrare deſiderat, & diu eſt quod pulſavit. Doleo tamen, quòd tantum & tamdiu carui tantò bono. Dicam ergo ei, ſcio: quòd plus quàm ego me diligis. De me igitur ampliùs non curabo, ſed ſolùm tuis delicijs inhærebo; & tu mei curam habeto. Non poſſum intendere mihi, & tibi. Et ideo permutatim tu intende mihi & meæ infirmitati, ut ipſam ſubleves: & ego intendam tuæ bonitati, ut in ea delecter. Et quamvis ego tecum lucrer nimis, & tu mecum nihil: ſcio tamen quòd libentiùs mecum es, & me conſervas & promoves; quàm ego tecum, ut tuâ perfruar bonitate. Unde hoc? niſi quia ego me odi, & tu me diligis.*

*P. 2. ſtim. c. 2.*

Ita ſanctæ animæ, amicâ quâdam colluſione nunc Jesum ad ſeſe, nunc ſeſe ad Jesum invitant: & ſive cum ipſis in earum corde cœnet dilectus, ſive ipſæ cum dilecto in corde dilecti, utrimque contingit eas refici de delicijs divini cordis; cùm niſi de bonis ipſius dilecti nequeant etiam in corde ſuo dignum dilecto convivium inſtruere atque apparare.

Caput

# CAPUT XIX.

## *Plagam lateris Chriſti animarum ſanctarum alvearium eſſe.*

### §. I.

*Apum myſticarum circa Chriſti vulnera occupatio.*

ANimas ſanctas, & quæ DEI gloriæ quibus poſſunt ar-
tibus ſerviant, notum eſt paſſim apibus comparari.
Sic enim S. Cæciliam (ob ſedulam fructuoſámq; in Valeria-
no Sponſo ad Chriſti fidem adducendo navatam operam) *Offic: Eccleſ.*
apem argumentoſam, ſive argutam & induſtriam, legimus
appellatam. Et S. Auguſtinus apis DEI compellatur à Se-
vero, in hunc modum ad eum ſcribente: *O verè artificioſa* *Ep. 37. apud*
*apis DEI, conſtruens favos divini nectaris plenos, manantes* *Aug.*
*miſericordiam & veritatem, per quos diſcurrens deliciatur a-*
*nima mea, & vitali paſtu, quidquid in ſe minus invenit, aut*
*imbecillum ſentit, reſarcire & ſuffulcire molitur.* Jam ipſe
S. Auguſtinus, piorum labores in via Domini currentium,
nonne in quadam epiſtola opera ſanctarum apium appellat? *Ep: 77.*
Neque aliter Jacobus à Vitriaco Cardinalis, de quibusdam
magni Eliæ ſectatoribus; quos in monte Carmelo vitam *Hiſt: ori. c.*
ait egiſſe ſolitariam, *in alvearibus modicarum cellularum,* *52.*
*tanquam apes Domini, dulcedinem ſpiritualem mellificantes.*

Quin & ipſa etiam DEI Mater apud S. Birgittam ſe- *L. 4. c. 86.*
met ipſam flori, & electos ſuos, qui omni devotione ipſius
honori ſtudeant, apibus ſimiles eſſe dicit. Extátq; (ut iſtud
per occaſionem obiter inſeram) in ejusdem Divæ ſermone
Angelico, ita appellato, quòd Angelo dictante, ab ipſa *c. 11.*
ſancta perhibeatur eſſe conſcriptus; perelegans, & ad Vir-
ginis gloriam perappoſita cogitatio: *Quemadmodum apis*
*arva florida circumvolans, univerſa mellifera gramina diligen-*

*tiùs perſcrutatur, quia ex naturali ſcientia novit diſcernere, ubi pullulet flos amœnior; quem ſi fortè ex folliculo adhuc erumpere non viderit, nihilominus tamen ejus ortum cum deſiderio delectabiliter præſtolatur: ſimili modo cœleſtis DEUS, quando MARIAM in ſecreto materni uteri adhuc latitare proſpiciebat, cum animi conſolatione & gaudio ipſius ortum expectabat, ut per ipſius Virginis charitatis dulcedinem, ſua ſuperabundans divina bonitas panderetur.* Sic ibi. Quibus conſequenter ſibi figurabit quiſpiam: Spiritum ſanctum Virginis Sponſum, cùm eam adhuc ætate tenerâ, & necdum ijs gratiæ ſuæ myſterijs, quæ in ea eſſet operaturus, idoneam animadverteret; eam inſtar roſæ primulùm rubeſcentis ac dehiſcentis aſpexiſſe: quam ipſe inſtar apis ſedulæ, cupido ac crebro circumvolatu & velut ambitu ſolicitans, quaſi adurgeret ad ſe pandendum explicandúmq; quò pleniùs in ipſa oblectare ſe, & ſua in ea divina dona jucundiùs libare poſſet. Ita non modò animas ſanctas, ſed & DEUM ipſum (quæ ipſius eſt bonitatis mellitiſſima in nos inclinatio) apiculæ ſedulæ comparatum habemus. Unde etiam de Chriſto S. Bernardus: *Apis verò eſt, quæ paſcitur inter lilia, quæ florigeram inhabitat patriam Angelorum. Unde & ad civitatem Nazareth (quod interpretatur flos) advolavit, & ad ſuaveolentem perpetuæ Virginitatis florem, advenit, illi inſedit, illi adhæſit.* Origenes denique, cùm ſanctos Prophetas apibus & ipſe comparâſſet, ad extremum & hoc adjungit de Chriſto: *Eſt, quædam, ut ita dicam, apis ſuper apes: & quomodo inter apes rex quidam eſt; ſic princeps apum Dominus eſt JESUS Chriſtus.*

*ſerm. 2. de Adven.*

*Hom: 2. in Iſai.*

Harum porrò ſanctarum apum non poſtremum munus eſt; circa florida & vernantia Chriſti vulnera occupari, & nunc pedum plagas, nunc manuum argutis oſculis laceſſere; nunc in ſuaveolenti lateris roſa otioſiùs inſiſtere & immorari; ex omnibus mel cœleſtémq; rorem ſugere.

Domi-

Digitized by Google

Dominus olim per os Prophetæ Judæorum ſævitiã incuſans: *Circũdederunt me*, inquit, *ſicut apes:* quòd videlicet in paſſione ſua, in morem crabronum irritatorum, totis ſe quaſi examinibus impeterent, ac diris tanquam aculeis configerent ac ſauciarent. At poſteaquam in ejus corpore ſacra hæc vulnera aperta ſunt, & in modum totidem roſarum, in iſtam Paradiſi amœnitatem effloruerunt, ultro ipſe invitat animas ſanctas, ut ſe ſicut apes circumdent, & de vulnere in vulnus volitantes, divinum hinc ſuccum, & cœleſtia mella delibent. *Pſ. 117.*

Sanè S. Lutgardi, ex Ordine Ciſtercienſi Virgini pientiſſimæ, apparuit aliquando Dominus è cruce pendens, & toto corpore cruentatus; qui altero brachio de crucis ſtipite detracto, eámq; amanter amplexans, virgineum ejus os ad lateris ſui vulnus applicuit: ex quo illa tantam támq; efficacem ſuavitatem hauſit, nec in animam tantùm, ſed in corpus quoque ſibi diffundi ſenſit, ut nihil jam eſſet, quod ei dolorem moleſtiámve poſſet adferre; ſalivâ etiam oris ejus (quod etiam multò pòſt vario experimento compertum eſt) mellis ſaporem ac dulcedinem retinente. *L. 1. Vit. c. 6.*

Sanctam porrò Mechtildem, inter ſupremi morbi moleſtias, referebat Sancta Gertrudis, ſibi viſam eſſe divinitùs, inſtar teneræ virgunculæ, quæ impetu quodam in dilecti ſui Sponſi collum irruens, blandis eundem complexibus ſtringeret, & de ſingulis ejus vulneribus ſpeciales guſtus ac ſenſus divinæ voluptatis hauriret; *in modum apis* (inquit) *diverſorum florum ſuccos avidè ſugentis.* *l. 5. in ſin. c. 6.*

Ergo etiamnum dulcis Salvator, paſſionem ſuam devotè contemplantibus, vulnerum ſuorum copiam facit; ac diſtentus in arbore crucis, illas æterni veris divitias ac delicias explicat, invitátq; ad carpendum. Quare (quod Joannis Thauleri ac Ludovici Bloſij monitum eſt, à nobis ſuperiùs in capite Libri poſitum) *inſtar apis ſedula huc ſtudioſè* *Explic. paſſ. c. 16.*

*advolemus, de vulnere ad vulnus tranſeuntes; nec aliunde nobis pabula carpamus, cùm hæc melle ſcateant.*

*L. 1. de Virgin.* Neque diverſum eſt S. Ambroſij votum, dum piam Virginem ſic alloquitur: *Quàm te velim, filia, imitatricem eſſe hujus apiculæ, cui cibus flos eſt!* Et inferiùs: *Florem quoque tibi demonſtro carpendum; illum utique qui dixit: Ego flos campi & lilium convallium, tanquam lilium in medio ſpinarum.*

Habes igitur florem quem libes, & de cujus membris rorem melleum, & ſuccum nectareum carpas. Chriſti tui vulnera aſſiduo ſuctu depaſce, de Crucifixi areolis inebriare; ſed (quod eſt in hoc genere præcipuum) ſi apis Chriſti es, ipſi Chriſto ſoli mellificare ſtude.

## §. 2.

### *Eaſdem nonniſi divino cordi mellificare debere.*

ISTud quippe huic ſanctæ apiculæ in primis & ante omnia curandum eſt; ut in caverna lateris Chriſti alvearium ſibi conſtruat, & intra ſinus divini cordis, mellis ſui ſuccum ac dulcedinem elaboret: quidquid ab ipſo Chriſto acceperit, aut de ſacris ejus vulneribus ſpiritualis ſaporis collegerit, id omne ipſi Chriſto referens, ac fonti ſuo dulcitudinem omnem refundens.

Ille enim in Chriſti corde, aut Chriſti cordi mellificat, qui in DEI donis ipsisq; etiam cœleſtibus ſolatijs, non guſtum aut voluptatem ſuam, ſed DEI gloriam, & divini cordis oblectationem exquirit; paratus utique, quantum ex ſe eſt, aut ſi id ex DEI gloria aut libentia magis eſſet, his ipſis carere DEI donis, & in perpetua deſolatione & ariditate verſari: quod videlicet eſt, etiam ex abſynthio & myrrhâ cœleſte mel carpere; éſtq; omnium quæ ab humana mente DEO præſtari poſſint, obſequium ejus bonitati longè acceptiſſimum.

Atque

Atque itidem illud eſt quod ſedulò curabat artificioſa illa apis DEI S. Auguſtinus; qui (ut ipſe de ſe teſtatum reliquit) in ijs quas de ſe ſumebat voluntarijs pœnis, id unicè ſpectabat videlicet: *ut placeam*, ajebat, *oculis ejus; ut delectem ſuavitatem ejus.* Nimirum nôn ſibi, ſed cordi divino mellificabat; quidquid ageret pateretúrve, aut quidquid de cœlo ſibi donatum eſſe ſentiret, id ipſum ad DEI placitum ac guſtum ſtudioſè referens, nullâ re ſe ipſum avarè aut impurè exquirens. Ad quod etiam ſeſe alióſve adhortans, alibi dicebat: *Ibi fige manſionem tuam*, nempe in ipſo ſinu divini Verbi; *ibi commenda quidquid inde habes; ſaltem fatigata fallacijs.* *De util: jejun: c. 3.* *L. 4. conf: c. 11.*

Cujus etiam rei momentum intelligens S. Catharina Senenſis, his quibus ex animo bene vellet, eam gratiam precabatur à Domino, ut ſequerentur Agnum pauperem, humilem atque manſuetum, per viam ſanctæ crucis, ad modum ſeu guſtum ipſius, non autem ad modum aut guſtum ſuum. *In ſuis orat.*

Atque utinam hoc etiam perenne ſtudium, hoc aſſiduũ noſtrum opus eſſet; non de mundi floribus fugientia & evanida (ut non jam venenata dicam, & peſtifera) mella legere; ſed de floridis vulneribus Chriſti, de cœli roſis immarceſcibilibus, de ipſis etiam præſentis vitæ doloribus, qui futuræ fælicitatis quidam flores ſunt, de omni re denique, quæ DEI gloriæ ſervire poſſit, pietatis ſuccum divinúmque rorem carpere; ac de ipſo demum corde JESV, hoc eſt, de cœleſtibus etiam DEI donis ac beneficijs (ne quid non ſincerum ac purum in favis noſtris ſit) non niſi in corde JESU mellificare, & (quantum id fas eſt) ipſi ſuaviſſimo Redemptoris cordi, de labore noſtro ſuavitatis aliquid impertire. Id etiam nobis de ipſa apum diſciplina ſumentibus: ut alveari noſtro, hoc eſt, ipſo Chriſti corde contenti, & intimâ amoris ac dolorum ejus contemplatione occupati, exinde nuſquam

quam exeamus, niſi ut majori ejus gloriæ adlaborantes, undecunque carpamus quiddam quod referamus in alveum; ſive, unde ipſi divino cordi mellificemus.

Ad extremum concludendo huic capiti proferre placet nonnulla ex S. Bernardi Libello de Paſſione Domini; *cap: 44.* ubi hanc apis myſticæ circa Chriſti plagas occupationem pluribus exequitur, & pias mentes ad idem cœleſte divinúmq; mellificium hunc in modum inter cætera invitat: *Convenit enim* (inquit) *ut talis modi apes ſimus, quæ ſciant ſugere mel de petra. Idem enim hortus & petra, Chriſtus. Si ergo flores quærendi ſunt; ubi promptiùs invenientur, quàm in dulciſſimo Chriſto? Manifeſti ſunt flores virtutum & vulnerum ejus. Stat ecce expaſſis manibus, nudo corpore, manibus ſimul & pedibus perforatis, capite inclinato. Conſurge nunc & elevare, anima mea miſera & infirma, & alis Fidei & Spei ad hunc hortum charitatis enitere, & totum mentis intuitum per varia diſperſum in unum collige, ac apum ſedulitatem imitans, ad conficiendum mel devotionis, ad Paradiſum charitatis aſcende, accedens ad cor altum; quia ecce quem quæris, exaltatus eſt & humiliatus.* Et nonnullis interjectis: *Nec breviter* (ſubdit) *amplexandus eſt hic Paradiſus; ſed volandum eſt per ſingulos iſtius Paradiſi flores, & ſingulorum florum folia ſunt ſugenda: nunc ad dexteram, nunc ad ſiniſtram, rivulos & guttas ſanguinis ſpargentem, propiùs & interiùs accedendum. Undelibet quærenda eſt devotio.* Iſta S. Bernardus.

Cujus extrema verba (pace tuâ, Lector, id adijciam) defenſioni noſtræ licebit obtendere; ſi quando iſto in opere, in varijs tradendis Chriſti crucifixi colendi modis atque artibus, minutiores fortaſſe videbimur. *Undelibet* enim (ſi S. Bernardum audimus) *quærenda devotio* eſt. Neque verò *Prov: 6.* apes (ad quarum etiam imitationem Scriptura nos vocat, ſecundùm textum ſeptuaginta Interpretum) mellificij ſtudio intentæ, florem quemlibet minutum, intactum prætereunt,

eunt, ſed libant omnes; & quos probârint, horum folia ſingula ſagaci oſculo ſolicitant, diligentiâ incredibili, ipſos quoque ſinus receſſúsve eorum perſcrutantes; ſi quid operi mellis idoneum undelibet excerpi atque exſculpi poſſit. *Vade ad apem* (inquit Scriptura) *& diſce quomodo operaria eſt*: ejus, inquam, in opere faciendo ſolertiam, ſtudium, accurationem imitare. loc. cit.

# Caput XX.

## *Salvatoris apertum latus, eſſe peregrinorum ſepulturam.*

### §. 1.

*Quinam peregrini ſepulchri jus hîc habeant.*

B. Petrus de Alcantara, in ſuprà à nobis memorata de vulnere lateris Chriſti meditatione, inter varia epitheta quibus illud exornat, appellat illud ſepulturam peregrinorum: ad id, opinor, reſpiciens, quod Matthæi cap. 23. dicitur, pretio divini ſanguinis, quod infelix Judas Sacerdotibus reſtituerat, emptum fuiſſe agrum figuli, in ſepulturam peregrinorum. Quæ mihi quidem appellatio, & peridonea, & ſanctæ cujusdam dulcedinis plena eſſe videtur.

Equidem, ut ajebat David ad Dominum: *Peregrini ſumus coram te & advenæ, ſicut omnes Patres noſtri.* Quos nimirum obſervat Apoſtolus, etiam *in terra repromiſſionis demoratos tanquam in aliena, in caſulis* (aut tentorijs) *habitando: expectantes fundamenta habentem civitatem; & confitentes, quia peregrini & hoſpites ſunt ſuper terram.* In quem etiam ſenſum diſcipulos ſuos Salvator ajebat quidem *in mundo* eſſe, attamen non eſſe *de mundo*: quòd nempe in mundo, Paral. 29. Pſ. 38. Heb. 11. Joann. 17.

mundo, tanquam in alieno demorarentur, neque mundi legibus aut moribus viverent; ſed (quod de ſe quoq; Paulus teſtatur) *in carne ambulantes, non ſecundùm carnem* militarent. Quamobrem graviter admonet & obſecrat nos B.

2. Cor: 10.

1. Pet. 2. Petrus: *tanquam advenas & peregrinos abſtinere nos à carnalibus deſiderijs:* ne ſcilicet ſæculi cupiditatibus occupati, amemus exilium noſtrum, & tanquam mundi cives effecti, patriæ cœleſtis obliviſcamur.

Dupliciter quippe peregrini eſſe poſſumus in hoc mundo, neceſſitate primùm, tum etiam voluntate. Et quidem quod ad prius attinet, ipsâ naturæ conditione, volentes nolentes, peregrini ſumus in vita: *commorandi enim* (ut ait

De Seneƈt. Romanus Orator) *natura diverſorium nobis, non habitandi dedit:* aut, ut excelſiori fortioriq; voce Propheta regius:

1. Paral. 29. *dies noſtri quaſi umbra ſuper terram, & nulla eſt mora.*

Veruntamen hi ſoli in Christi latere ac corde ſepulturam inveniunt, qui ſeſe re ipsâ pro advenis & peregrinis habentes, locum exilij in quem projecti ſunt, hoc eſt, mundum iſtum, non diligunt, ſed ſui hujus incolatûs moras ſentientes ac deplorantes, ab his viſibilibus, quoad poſſunt, ſe abſtrahunt, ſolo cœleſtium deſiderio occupati, atque ſu-

Philip: 3. ſpenſi; atque illud Pauli mente & actione tenentes: *noſtra*

l. de cor. mil. *converſatio*, ſeu (ut olim legebat Tertullianus) *noſter municipatus, in cælis eſt.*

Talibus igitur peregrinis, myſticâ quadam ratione ſepulturæ locus deſtinatus eſt apertum latus Salvatoris, in quo ipſi ſibi ac mundo mortui ſecurè quieſcant; in iſto ſe-

Pſ. 30. creto tabernaculo divini cordis abſconditi à conturbatione hominum, & protecti à contradictione linguarum. Nam cùm naturaliter mors prior ſit quàm ſepultura, priùs de perfecta ſui mortificatione peregrinus noſter, quàm de fe-

L. 5. Mor. c. 3. lice illa in Christi corde ſepultura cogitet; nempe, *ut* (quod ait B. Gregorius) *extinctus mundo lateat, & à cunctis rerum*

*pertur-*

Digitized by Google

*perturbationibus, intra ſinum ſeſe divini amoris abſcondat.* uti in ſepulchro videlicet: quippe, ut rurſum indicabimus inferiùs, contemplationem intimam idem Gregorius quaſi ſepulchrum eſſe ait, in quo mens mundo crucifixa quieſcit.

De quorum numero ſanctorum peregrinorum, inter alios fuiſſe video P. Bernardum Colnago noſtrum; qui ad illa foramina divinæ petræ, ad illam cavernam maceriæ continuò anhelans, atque ſuſpirans: *Nam in hac* (ajebat) *felici latebra, ſi vivere detur; quod præſtantius palatium optare poſſim ad habitandum? Quòd ſi mori contingat, quam nobiliorem invenire ſepulturam?* *L.1.Vit. c.12.*

## §. 2.

### *Quis cenſendus ſit mundo crucifixus, mundo mortuus, mundo ſepultus.*

APud melliſluum Bernardum ſermo quidam habetur hoc titulo: *De peregrino, mortuo, & crucifixo.* In quibus hanc ille gradúum differentiam ordinémq; conſtituit: ut in primo & infimo gradu ſit is, qui peregrinus in mundo dicitur. Peregrinus quippe, etſi rebus loci quà tranſit non ſic inhæreat, ut obliviſcatur patriæ ad quam contendit: attamen ſubinde eorum quæ iſtic geruntur aliquâ pulſatur curioſitate, atque ùt ijs non implicetur, detinetur tamen. At qui jam in altero gradu eſt, magìs alienus eſt ab actibus ſæculi. *Mortuus enim* (inquit S. Bernardus) *æquè blanda hujus ſæculi, ſicut aſpera ſpernit:* neque ullâ rerum iſtarum cupiditate, neque verò etiam ſenſu tangitur. Veruntamen qui poteſt cum Paulo dicere: *Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo:* is adeò rerum quas mundus amat, affectu non ducitur; ut eas etiam prorſus oderit, & velut crucem abominetur. In hunc enim ſenſum Apoſtoli verba interpretatur S. Bernardus: *Omnia quæ mundus amat, crux mihi ſunt; de-* *ſerm. 7. in Quadr.*

*lectatio carnis, honores, divitiæ, vana hominum laudes: quæ verò mundus reputat crucem, illis affixus ſum, illis adhæreo, illa toto complector affectu.* Quare hic ſupremus abſceſſionis à mundo, & (uti loquimur) abrenunciationis gradus eſſe videtur. Ita ferè Bernardus, & ad ſcopum ſuum prorſus accommodatè.

Sed tamen poſſumus in rem præſentem, omiſſo tantiſper peregrino, tres etiam gradus ſeceſſionis à mundo paulò aliter conſtituere, ut nimirum ipſo naturæ ordine ſervato, primus gradus ſit mundo crucifigi: ſecundus, mundo mori: tertius, mundo ſepeliri.

Siquidem qui mundo duntaxat crucifixus eſt, tametſi quæ mundi ſunt non diligat, oderit potiùs; facere tamen non poteſt, quin ea quæ ſunt mundi quandoque ſentiat, & eorum quæ circa ſe gerantur, ſive ea adverſa, ſeu proſpera ſint, imaginibus tangatur. Ut proinde cui mors omnem rei cujusvis ſenſum abſtulit, magis extra mundum poſitus, & longiùs à mundi affectibus ſecretus eſſe videatur. Attamen nec prorſus mundo exceſſiſſe putandus eſt, qui quanquam, ut mortuus, iſta non videt, videtur tamen; & etiamnum ſuper terram poſitus, detinet adhuc hominum oculos, & mundi de ſe cogitationibus affectionibúsq; objicitur.
*l. 5. mor. c. 2.* *Ita enim* (ut ait B. Gregorius) *qui jam mundum non amat, ſed tamen ab illo vel non volens amatur, etſi ipſe velut mortuus mundum non videt, hunc tamen mundus adhuc non mortuus videt.* Reſtat igitur, ut is ſepeliatur denique, ut ſemotus etiam ab hominum ſenſibus tractatibúsve, nullum prorſus cum mundo commercium habeat, & perinde acſi nunquam fuiſſet, ex hominum etiam mente & cogitatione deleatur. Quâ ratione Petrus Cluniacenſis Abbas, cognomento Ve-
*l. 2. mirac. c. 29.* nerabilis, de quodam Converſo Carthuſiano loquens: *Hic* (inquit) *toto ſtudio obedientiæ, humilitati, mortificationi omnẽ quam poterat operam adhibens, mundum ſibi, ſéq; mundo, non*

tantùm

Digitized by Google

*tantùm crucifixerat, ſed etiam ſepelierat.* Nec diſſimiliter Abbas Moyſes in vitis Patrum; qui interrogatus, quomodo aut quatenus poſſit ſe homo mortificare; in hunc modum reſpondit: *Niſi quis arbitratus fuerit, ſe habere jam triennium in ſepulchro, ad hunc ſermonem pervenire non poteſt.* Quaſi diceret: ut quis ad perfectam ſui mortificationem perveniſſe cenſeatur, ita ſeſe habere debere, ut perinde ac ſi pridem mortuus atq; ſepultus eſſet, nihil jam cum mundo commune habeat, adeóq; nec ipſe de mundo, nec mundus de illo cogitet, ſitq; (quod de ſe dicebat Propheta) *oblivioni datus, tanquam mortuus à corde.*

*l. 7. c. 25.*

*Pſal. 30.*

Quo modo qui affectus fuerit; ut videlicet ſe mundo, mundúmq; ſibi crucifigens, quæcunq; mundi ſunt, oderit atque averſetur; ruríúmq; ſe mundo, ac mundum ſibi ita ſepelierit, ut neque jam ipſe mundum ſentiat, nec ſentiatur à mundo; aut ſanè ſicuti omnem rerum ſæculi cogitationem depoſuit, ita nec de ſe cogitari, aut ullam ſui rationem haberi, aut cujusquam animum in ſe occupari, æquo animo patiatur: hunc ego profectò in Chriſti latere, in ipſo Chriſti corde ac viſceribus profundè tumulatum exiſtimem, atque ex eorum eſſe numero, quibus convenit illud Pauli: *Mortui eſtis, & vita veſtra eſt abſcondita cum Chriſto in DEO.* Et illud Paulini: *In cælo ſepeliſti vitam tuam, quam in Chriſto abſcondiſti.*

*Col. 3.*

*Ep. 2. ad Sev.*

Ad extremum vide, an non ad hunc apicem ac ſublimitatem Chriſtianæ virtutis evaſerat, Theophorus ille, & Chriſti Jesu ac paſſionum ejus ardentiſſimus amator S. Ignatius; dum Romanis ſcribens, & inexplebile pro Chriſto patiendi deſiderium oſtentans, eò devenit denique, ut ardenter optet, nihil ſui in mundo reſtare poſt obitum, ſed corpus ſuum omne in leonum ventre ſepeliri: ſiquidem *tunc* (inquit) *fidelis eſſe potero, cùm mundo non apparuero.* Sed delectat hominis incomparabilis, quibus hunc ſuum affe-

ctum exprimit, verba pluſcula ponere. Cùm enim pluribus id à Romanis contenderet, ne intempeſtivâ quâdam benevolentiâ niterentur, impedire paſſionem ipſius, illámque interpoſuiſſet celeberrimam vocem: *Frumentum Chriſti ſum; dentibus beſtiarum molar, ut panis mundus inveniar;* ita proximè ſubdit: *Immò blanditijs demulcete potiùs feras, ut mihi ſepulchrum fiant, ut nihil de corpore meo relinquatur; ne cùm obdormiero, moleſtus cuiquam inveniar. Tunc ero verus JESU Chriſti diſcipulus, cùm mundus nec corpus meum viderit.* Hæc ille.

Quæ quidem quàm longè diſſident ab conſuetis votis ac ſtudijs filiorum Adæ: quorum ea tam anxia cura eſt, ut quodammodo ſibi ipſis etiam poſt fata ſuperſtites, in ore vivant aut memoria mortalium, ídq; unum præſertim tot laboribus tam operosè & miſerè moliuntur.

Sed iſta ſcilicet ſanctorum peregrinorum, in Chriſti latere altè ſepultorum, Philoſophia eſt, de intimo corde Chriſti deſpecti atque deſpreti hauſta, & (ut ita loquar) de ipſis Crucifixi medullis deprompta; adeóq;, non tantùm ignota mundo, ſed nec vulgo eorum, qui ſe ſpirituales profiteantur, ſatis agnita.

## §. 3.

### *Quanta quies ſit & pax animæ, in latere Chriſti Crucifixi ſepultæ.*

*cap: 3. & 10.* SAnctus Job oppreſſus doloribus, & loquens in amaritudine animæ ſuæ, ad malorum ſuorum acerbitatem demonſtrandam, non uno loco optabat fuiſſe quaſi non eſſet, & de matris utero fuiſſe translatus ad tumulum, in quo ſubductus humanis oculis, malorum immunis requieſceret. *Nunc enim* (inquit cap: 3) *dormiens ſilerem, & ſomno meo requieſcerem: cum regibus & conſulibus terræ, qui ædificant ſibi ſolitudines.* Hoc eſt: qui in locis ſolitarijs atq; deſertis magnifica

gnifica ſibi Mauſolea excitant, aut etiam in exciſis rupium petris, curioſo opere ac ſumptuoſo, monumenta ſibi elaborant; ut ille Sobna Præpoſitus templi; de quo Iſaias cap: 22.

Felix anima, quæ crucifixa mundo, ſibiq; ac ſuis cupiditatibus planè mortua, ſepulturam ſibi invenit in corde Chriſti derelicti prorſus ac deſolati, quod idcirco meritò locum appelles vaſtæ ſolitudinis; in illa ſpelunca divinæ Petræ, quam animæ in terris peregrinanti in ſepulcri vicem & locum quietis diligenter excidit & adornavit divinus amor: ut hic quoque valeat illud Iſaiæ: *Et erit ſepulchrum ejus glorioſum.* Glorioſum verò; ſed non dulce minùs & amabile; quippe quod quieti ſuaviſſimæ, & dulci ſopori divinæ contemplationis eſt deſtinatum. Ibi enimverò *dormiens ſilet* contemplatrix anima: quia altum profectò arcanúmq; ſilentium eſt, ubi deſideriorum temporalium ceſſante tumultu, omniq; ſtrepitu ſuperfluarum curarum, tranquilla mens uni intendit dilecto, & cæteris mortua, illi ſoli vivit, intra cujus ſinum per intimam contemplationem abſconditur. Ut enim S. Gregorius: *Mortui in ſepulchro abſcondimur, cùm mortificati exteriùs, in ſecreto internæ contemplationis celamur.* Ibi *ſomno ſuo requieſcit:* quia dulcis quidam ſomnus animæ, divina contemplatio eſt: quo capta & velut abſorpta, oblivíſcitur omnium quæ foris ſunt, & neque ſe ipſam jam ſentiens, ſopore quodam extatico, in amoris divini ſinu placidiſſimè acquieſcit.

*Iſai. 11.*

*l. 5. mor: c. 3.*

Ibi (quod etiam ait S. Job) *non audit vocem exactoris:* quippe quæ mundo nihil debeat, quem pridem res ſuas ſibi habere juſſerit; atque ex Apoſtoli monito, nemini quidquam ſe debere ſentiat, niſi ut eum in Chriſto diligat, atq; (quod re ipſa omni ope connititur) eundem ſecum in Chriſti viſceribus inveniat.

*Rom: 13.*

In ea igitur ſolitudine divini cordis, in iſto ſepulcro internæ contemplationis, conquieſcit ac dormit ſuaviſſimè pere-

Digitized by Google

peregrina noſtra, fælix, læta, ſecura, imperturbabilis. Ut quæ jam non modò nihil eorum quæ mundi ſunt deſideret, ſed neque ipſa cœli gaudia beatámq; Dei contemplationem nimis anxiè requirat: certa, quidquid ad ſe pertineat dilecto ſuo curæ eſſe; contenta interim ipſo corde Chriſti crucifixi, in quo & paradiſum, & cœlum, & Deum inveniat, beatâ quadam imitatione & prægustatione conſummandæ in cœlo felicitatis. Ut proinde ſanctâ quâdam dulcedine ebria, illas ſibi Prophetæ voces uſurpet: *In pace in id ipſum*
*Pſ. 4.* *dormiam & requieſcam.* Quarum etiam vocum ſuavitate captus, in ſuæ ad Deum converſionis exordijs S. Auguſtinus
*l. 9. confeſſ. c. 4.* exclamabat (ut ipſe loquitur) *clamore alto cordis ſui: ô in pace! ô in id ipſum! ô quid dixit, obdormiã & ſomnum capiam!*

Ad extremum obſervo, quiddam his affine inveniri apud B. Juſtinianum in triumphali Chriſti agone cap: 11. ubi & ipſe ad locum Matthæi 23. aſpiciens: *Qui ſunt* (inquit) *peregrini hi, pro quorum ſepultura, pretio ſanguinis, figuli emitur ager? Peregrinos illos utique dixerim, qui hujus vitæ renuunt blandimenta, qui in hoc mundo, amando nihil poſſident, &c. Horum verò peregrinorum* (ſubdit) *ſpiritualis ſepultura, pax eſt, & mentis tranquillitas. Qui talis eſt, frequenter ſe ab hominum occultat tumultibus, ſeq; in cordis ſui* (adde tu, & cordis Chriſti) *ſecreto, tanquam in ſepulchro collocat, quatenus liberiùs etiam per contemplationis ſtudium DEO vacare liceat.* Addit: *De hoc ſepulchro legitur ſic: In-*
*Job 5.* *gredieris in abundantia ſepulchrum, ſicut infertur acervus tritici in tempore ſuo.* Ad quæ nimirum Jobi verba rurſum B.
*l. 6. Mor. c. 20.* Gregorius: *Quid enim ſepulchri nomine, niſi contemplativa vita ſignatur: quæ nos quaſi ab hoc mundo mortuos ſepelit, dum à terrenis deſiderijs ſuſceptos in intimis abſcondit? Ab exteriori quippe vita mortui, etiam ſepulti per contemplationem fuerant, quibus Paulus dicebat: Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in DEO.* Sic ibi.

Caput

Digitized by Google

# CAPUT XXI.

## *De Chriſti crucifixi vulneribus crebrò ſalutandis, amantérq; diſſuaviandis.*

### §. I.

*Exercitij propoſiti multæ ac parabiles opportunitates.*

CUræ etiam ſit pio aſcetæ, ad ſanctos affectus in ſe gignendos nutriendóſve, roſea ac melliflua Chriſti crucifixi vulnera, crebrá ſalutatione ac dulcibus oſculis per certa temporum intervalla venerari. Ut enim omittam, eo pacto fidem, religionem, aliarúmq; complurium virtutum actus exerceri; nominatímq; (ut ex antedictis colligi licet) hæc ſalutis noſtræ chara pignora complectenti, eximiam quandam animo ingenerari fiduciam: conſtat certè eo exercitio, homini non prorſus obdurato, commoveri cor ac molleſcere, atque ad amorem divinæ bonitatis accendi; ídq; etiam ſubinde vehementiùs, quàm ſi longâ aliquâ commentatione, divina erga ſe beneficia, atque infinitam charitatem eſſet commeditatus.

Nec verò aliud ſunt (ſi rectè attendimus) Chriſti cruci ſuffixi aperta vulnera, quàm totidem quaſi divini cordis ſpiramenta, quibus erumpens ſeſe prodat, exundans illius erga nos amor, & ardor exæſtuans incluſæ in Chriſti viſceribus inflammatiſſimæ charitatis. Quæ proinde qui devotè tractare, religioſéq; exoſculari, & non ori tantùm, ſed & cordi ſuo admovere conſueverit; eum exinde calore concepto, principiò corde inflammari, tum ſenſim amoris ſuavitate colliqueſcere neceſſe eſt; poſtremò (quomodo piæ quædam tabellæ S. Franciſcum in crucis complexu amore languentem nobis exhibent) ſubinde vi ſancti languoris à ſemetipſo deficere, & in Chriſtum ipſum quodammodo reſolvi.

Incre-

Incredibilis quippe Chriſti amatori ſubnaſcitur, eo in prædulci officio ſuavitas; ſive iſta beata vulnera, hæc inquam divini in nos amoris chara pignora, complectenti, eadémq; fidenter æterno Patri, velut certa humanæ reconciliationis ſigilla oſtendenti; ſive præ affectûs teneritudine illas cœli roſas lacrymarum ſuarum rore reſpergenti, & Chriſti ſanguini ſanguinem cordis ſui miſcenti; ſive curas omnes, æſtus, timores, angores ſuos, ipſa etiam peccata ſua (ſi quis eorum adhuc remorſus eſt) in apertum latus Salvatoris, tanquam in abyſſum divinæ miſericordiæ, proijcienti; ſive ſimili aliquâ ratione, circa melliflua Chriſti vulnera ſe exercenti.

Quàm igitur facilis eſt oblati exercitij ratio; tam illud tibi familiare, mi Lector, atque in omnes uſus promptum atque paratum habe. Et, ſi fortè tibi in via ſpiritûs ambulanti (quæ miſera eſt humanæ mentis inſtabilitas) torpor obrepit, obnubilatur mens, nauſeat anima, areſcit ſpiritus, remittit ardor, langueſcit devotio; fac quod Moyſi olim & Aaroni à Deo præceptum eſt: *Loquere ad Petram*, (hoc eſt, ad Chriſtum, Apoſtolo interprete) *& illa dabit aquas*. Num: 20. Complectere, inquam, Dominum tuum crucifixum; piè appella ſacra ejus vulnera; inexhauſtos illos omnis boni & gratiæ fontes crebris oſculis ſolicita: & confeſtim egredientur aquæ largiſſimæ, aquæ devotionis, compunctionis, conſolationis, fluenta ſanctarum lacrymarum; quibus, ut quodam rore cœli, irrigetur mons, revireſcat charitas, refloreſcat animi devotio.

Hunc enim etiam ſalutaris hujus exercitationis uſum à B. Gertrude diſcimus: quæ ſi quando (ut aſſolet) ex hominum conſortio ac conſuetudine aliquo tædio afficeretur, repentè conſurgens evolabat ad locum orationis, & projecta ad pedes Sponſi ſui crucifixi: L. 3. c. 47. *Ecce* (ajebat) *Domine mi, nunc tadet me omnium creaturarum, & tui ſolius libet mihi frui*

*conſor-*

*conſortio & alloquio. Ergo omni creaturæ valedicens, convertor ad te unicum & totum bonum, ac gaudium cordis & animæ meæ.* Sicq; in Crucifixi amplexus blandè effuſa, diſſuaviabatur quinque ejus vulnera roſea, adjectâ ad ſingulas oſculationes hac amicabili ſalutatione: *Aue JESU Sponſe floride, cum delectamento divinitatis tuæ, ex affectu totius univerſitatis ſalutans amplector te, & ſic in vulnus amoris deoſculor te.* Quâ quidem piâ ac familiari erga dilectum ſuum crucifixum exercitatione illud conſequebatur, ut in illo dulci complexu, omne tædium ſuum per Domini vulnera tanquam vaporatum & exudatum, ex animo amitteret, & pro amaritudine cordis liquidiſſimam ſpiritûs ſuavitatem reportaret.

## § 2

### *Formulæ quarundam aſpirationum, ad præſentem uſum accommodatæ.*

AT aves fortaſſis cognoſcere, in Chriſti vulneribus conſalutandis, quâ verborum formulâ præſertim utendum cenſeam. Ubi in primis dicendum exiſtimo: unicuique ſequendum genium ſuum, aut quò ducit inſtinctus Spiritus ſancti: quia id conſueverit præ cæteris ſapere, quod cuique ſuus ſuggerit affectus.

Quòd ſi præconceptis & conditis jam ab alio formulis potiùs juvandum te ſentias, quæ ſcilicet ſemper in promptu ſint, & quas quacunq; occaſione de facili adhibere & uſurpare poſſis: eas, me autore, primùm peti licebit ex Bloſio, harum rerum magiſtro probatiſſimo, qui operum ſuorum aſceticorum locis varijs plures ejuſmodi aſpirationum formas proponit, tam pias támq; efficaces, ſatis ut appareat, non niſi ex pectore amore crucifixi prorſus incenſo, eas prodire potuiſſe. Earum nonnullas ex uſu erit huc adducere.

Is igitur in primis, in Preculis admodum pijs, endologia

gia 14. inter cætera ſic JESUM alloquitur: *En ſaluto devotione quâ poſſum quinque præcipua vulnera tua. Salvete, ſalvete roſeæ, fulgentes & melliſluæ plagæ Redemptoris mei, regis mei. Salvete præclara ſigilla reconciliationis & ſalutis meæ. Peto, ut in vobis commorer ac deliteſcam, atque ita ab omni malo ſecurus ſim.*

At in præclara ſua Inſtitutione ſpirituali cap: 11. hæc habet: *Amplector brachijs animæ meæ venerandam crucem tuam, & eam pro tui honore atque amore oſculor. Saluto roſea ac ſuaviſlua vulnera tua, quæ ſuſcepiſti pro me, & in quibus deſcripſiſti me. Salvete, ſalvete, ſalvete vernantes & ſalutiferæ plagæ Domini mei, atque amatoris mei.*

Denique in exercitijs quotidianis tironis ſpiritualis: *Ecce prædilecte, ecce vulnera tua roſea & ſuaviſlua: ego ſaluto & veneror illa. Salvete, ſalvete, ſalvete vernantes & ſalutiferæ plagæ Domini mei. Salve benigniſſimum cor amatoris mei, pro me vulneratum: ſalve totius boni totiúsq; beatitudinis amœniſſimum gazophylacium. Chriſte JESU, gratias tibi ago pro ipſis colendis vulneribus tuis. Eja, immerge me in illa, abſconde me in eis, inſcribe & imprime illa cordi meo intimè, ut tui amore totus ardeam, ac medullitus tibi compatiar.* Hæc ille: quæ aliáq; his ſimilia quæ in illo paſſim leguntur, ſi quis eo ſpiritu quo ſunt à ſuo autore conſcripta, crebro libentérq; uſurpaverit, fieri non poteſt, quin magnam ex illis utilitatem ac jucunditatem ſpiritualem percipiat, & in dies magis magisq; in JESU Chriſti crucifixi amore proficiat.

Sed quoniam hæc ipſa quam commendamus exercitatio bifariàm in uſum deduci poteſt: Primò ut ad omnes, aut ſingulas etiam Chriſti plagas, affectus idem eademq; ſalutatio generatim aut indiſtinctè adhibeatur; cujusmodi ferè ſunt exempla jam à nobis poſita: Secundò (quæ ratio uſum præſertim habere poterit, cùm inter orandum, aut in otio aliquo ſpirituali, huic exercitio moroſiùs placebit inſi-

inſiſtere) ut nempe ad ſingula vulnera, propria & ſua dicatur ſalus, & vel peculiaris habeatur gratia pro hoc illóve beneficio, vel donum ſpeciale poſtuletur, vel certum quidpiam offeratur, pro cujusque vulneris aut cujusq; membri natura & conditione: hujus quoque generis exempla quædam juvabit ſaltem indigitaſſe.

Ac primùm nonnulla hujuſce generis nobis ſuggerit S. Mechtildis. In primis enim cùm die quadam Paraſceves *l. 1. c. 24. & 25.* Crucifixi vulnera veneraretur & exoſcularetur, divinitùs eſt admonita: ut ad pedum plagas, affectus ſuos ac deſideria in illis deponeret, quò divinis Chriſti deſiderijs adjuncta & contemperata, puriora redderentur; ad vulnus dextræ manus, commendaret opera ſua, ut operibus Chriſti conjuncta plenè reſtaurarentur; ad vulnus ſiniſtræ, afflictiones ſuas, ut Chriſti paſſionibus admixtæ dulceſcerent, & in ſolatium converterentur; demum ad cordis vulnus, amorem ſuum amori Chriſti conjungeret, ut ſicuti ferrum in ignem immiſſum, tanquam unum cum igne efficitùr, ita amor ejus atque cor ejus, unum quodammodo fieret cum amore & corde Sponſi ſui.

Eadem deinde in viſo quodam à B. Virgine ad deoſculanda filij ſui vulnera (quem ipſa velut exanimem, ac de cruce modò depoſitum ſinu geſtabat) invitata, ab eadem ejus exercitij ritè obeundi, has præceptiones accepit: *Cordi tria oſcula imprime, agendo illi gratias pro effluxu illo, quo ab æterno in te, & in omnes electos effluxit, effluit, & effluet ſine fine. Ad vulnus dextræ manus, in oſculo gratias agas, quia ipſa eſt adjutrix & cooperatrix omnium bonorum tuorum. Ad ſiniſtram verò, quia ad ipſam tutum refugium ſemper invenies. Vulnus autem dextri pedis oſculare, in gratiarum actionem, pro ferventi deſiderio, quo omnibus diebus vitæ ſuæ poſt te inſciti cucurrit. Siniſtri autem pedis vulnus cum gratitudine oſculeris,*

*leris, quia ibi ſemper invenies remiſſionem omnium peccatorum.* Plura hujusmodi apud eundem invenies.

Veruntamen omittere non poſſum, quin huc pertinentem Abbatis Lætienſis ſingulorum vulnerum ſalutationem, cum adjecta ad quodlibet oſculum cœleſtis cujuſpiam doni poſtulatione, unam inquam ex pluribus producam: ut eâ utatur, cui alia ad manum non fuerit ad ipſius ſenſum aut guſtum magis accommodata. Sic igitur ille in Ignariolo divini amoris.

*Humiliter, & quâ poſſum devotione* (quod principium in cæteris quoque ſalutationibus adhibendum eſt) *oſculor roſeum vulnus dextri pedis JESU: atque hîc peto plenam veniam peccatorum meorum, ut Domino placeam.*

*Oſculor roſeum vulnus ſiniſtri pedis JESU: atq; hîc peto veram perfectámq; innocentiam, ut Domino placeam.*

*Oſculor floridum vulnus dextræ manus JESU, atq; hîc peto ornatum ſanctarum virtutum, ut Domino placeam.*

*Oſculor floridum vulnus ſiniſtræ manus JESU: atque hîc peto internam illuminationem, ut Domino placeam.*

*Oſculor amoroſum vulnus ſacri Lateris JESU: ô ſplendida Paradiſi porta, ô conclave miræ fragrantiæ, ô fons totius ſuavitatis! ſaluto, veneror, & rurſum oſculor hoc vulnus mellifluum: atque hîc peto inextinguibilem divinæ charitatis ardorem, ut Domino placeam.*

Tum endologiam ita concludit: *Utinam dulcis JESUS vulnera ſua cordi meo inſcribat! Utinam per illa me totum purificet, ſuiq; amore prorſus accendat & inebriet! Utinam mihi concedat, ut in eiſdem beatis vulneribus ſanctè commorer, & ab inſidiis inimici ſemper ſecurus ſim! Amen.*

Huic conſimilem ſalutandi poſtulandiq; formulam, harum rerum curioſus Lector inveniet apud eundem in exercitio piarum precationum, endologiâ 7. cujus ſolam clauſulam appono:

*Tu,*

Digitized by Google

*Tu, Domine, in ipſis beatis vulneribus me include, & præſta, ut ex eis verum tui amorem æternámq; ſalutem hauriam. Scribe illa in corde meo, pretioſiſſimo ſanguine tuo; ut in eis legam tuum dolorem pariter & amorem. Eorum memoria ſemper in conclavi pectoris mei permaneat: ut in me erga te, & dolor compaſſionis excitetur, & ardor dilectionis accendatur. Sit mihi omni tempore, ac præcipuè in hora mortis meæ, certum in illis refugium, & protectio ſecura.*

# CAPUT XXII.

## *Simili ſalutationis officio, etiam membra Chriſti ſigillatim impertienda.*

EXercitium quod propoſuimus, variandi gratiâ, transferri poteſt ad ſacra membra Chriſti, illa vel ſeorſum, vel conjunctim cum Chriſti vulneribus conſalutando, adorando, diſſuaviando. Sic enim & tædium varietate levabitur, quod unitate ſolet obrepere, & variarum virtutum actus affectúsq; exerceri poterunt, cum multo operæ pretio ſpirituali. Quapropter & hujus rationis ſpecimen aliquod hic ſubijcere viſum.

### §. I.

### *Modus ſalutandi Chriſti membra ex S. Bernardo.*

AD calcem Operum S. Bernardi habes rhythmos quoſdã pios ac dulces, eidem mellifluo Doctori attributos; quibus ille, pro pia animi ſui teneritudine, ſigillatim ſalutat pedes, genua, manus, latus, pectus, cor, & deniq; faciem Salvatoris.

Et pedibus quidem affixus hæret, illorum vulnera exoſculans, rogánsq;, ne tanquam indignus, de ſanctis illis pedibus repellatur. Tum verò genua prenſat ac complectitur,

tur, tanquam aram miſericordiæ; manus ut tutelam ac præſidium ſuum, poſtulans per illas extremis in periculis, hoc eſt, præſertim in mortis hora, defendi.

At verò apertum Salvatoris latus, en quàm mellito carmine compellat:

*Salve Latus Salvatoris,*
*In quo latet mel dulcoris,*
*In quo patet vis amoris,*
*Ex quo ſcatet fons cruoris,*
*Qui corda lavat ſordida.*

Et ſubinde: *Salve mitis apertura,*
*De qua manat vena pura;*
*Porta patens & profunda,*
*Medela ſalutifera.*

Pòſt ad ipſum Domini pectus oratione converſâ; ſalutat illud, ut amoris domicilium, divinitatis ſacrarium, Trinitatis ſedem, latiſſimam charitatis aream, infirmorum requiem, humilium triclinium; optans in illud recipi, in eo inhabitare, & illius divinæ ſuavitatis, quam in eo recubans Joannes ſuxit, particulam aliquam delibare.

Jam circa Chriſti cor amore ac dolore vulneratum, ut multiplici æſtuat affectu, ut amore ardet, contabeſcit dolore, deſiderans cor ſuum divino cordi ſociari, iiſdémque cum illo vulneribus convulnerari.

Tandem in amabiliſſima Domini facie conquieſcens, deflet divinum illum verticem crudeli ſpinarum impreſſione cruentatum, dulcem illum vultum ac venerabilem, miſeris dehoneſtatum modis, & ex florida illa amœnitate in mortis pallorem converſum: bonum Jesum ad extremum obſecrans, ut (quod ipſe quidem in ſummi muneris loco poſiturus ſit) moribundum caput dignetur in ſeſe reclinare, atque inter brachia & amplexus ſuos emori; ac demum, ingruente morte, amabiliſſimam illam faciem, ſibi benignè ac clementer oſtendere.

Atq;

Digitized by Google

Atque hæc de pijs S. Bernardi ſenſibus pauca libâſſe ſufficiet, tanquam ad ſalivam (quod ajunt) Lectori movendam. Nam ipſæ rhythmicæ precationes longiores ſunt, quàm ut hoc loco integræ referantur.

Attamen pergamus alia his paria exercitia adjungere, & piorum etiam eruditorúmq; hominum exemplo, eam religionem affirmare.

Quanquam enim non defuturos exiſtimem, qui id genus artes, aut ſanè earum nonnullas, partim fortaſſis ut nimiùm anxias, aut anguſtâ quadam ſubtilitate laborantes, partim etiam ut minutiores, & femellarum (ut dictitant) proprias, faſtidioſè aſpernentur: at nôrunt tamen piæ animæ, & amore Chriſti vulnerati ſauciæ, ex his qualiacunque ſint, non modicum fructum emolumentúmq; capere. Et admonendi ſunt, qui ſecus affectos ſe ſentiant; ne dum ſuo ſenſui pluſculum tribuentes, piorum ejusmodi ſtudiorum aut contemptores aut incurioſi ſunt, inopiâ ſpiritus, cordiſq; ſterilitate laborent; dúmq; (uti prætexunt) ſolidam duntaxat pietatem conſectantur; aut nullam re ipsâ animi ad divina devotionem habeant, aut profectò non niſi aridam, & omnis ſucci pinguioris, divinorúmq; ſenſuum expertem. Cæterùm per iſta nulli legem ſcribimus; ſed eò varia pietatis adminicula infirmitati noſtræ proponimus, quò ſequatur quisque quod animo ſuo allubuerit, aut quòd ſibi magis ad internum ſpiritum nutriendum confovendúmq;, profuturum exiſtimabit.

## §. 2.

### *Alia ex Ludovico Bloſio membrorum Chriſti crucifixi ſalutatio.*

EOdem utilis eſſe poteſt omnium Crucifixi membrorum perquam ſuavis apud Bloſium ſalutatio; cujus hîc aliquam partem appono. *Exerc. piar. prec. endol. 6.*

*Adoro,*

*Adoro, laudo, & glorifico te Domine JESU Chriſte, benedico & gratias ago tibi, fili DEI vivi; cujus membra digniſſima pro mea ſalute nimiùm fuerunt afflicta: ego illa pro tui honore & amore ſaluto.*

*Salvete immaculati pedes Domini mei, pro me fatigati, & clavis perforati.*

*Salvete venerabilia genua, pro me ad orationem flexa, & ſæpè laſſa.*

*Salve floridiſſimum pectus, pro me livoribus & plagis deformatum.*

*Salve ſacratiſſimum latus, pro me lanceâ confoſſum.*

*Salve amantiſſimum, benigniſſimum atque mellitiſſimum cor, pro me vulneratum.*

*Salve totius boni, totiúsq; beatitudinis incomparabile gazophylacium. Eja, eſto mihi in morte gratum umbraculum, & poſt mortem æternum domicilium.*

Deinceps autem ſimili ratione ſalutat membra reliqua, delicatas manus clavis transfixas, os & guttur ſuaviſſimum, felle & aceto potatum, aures contumelijs oneratas, oculos lacrymis perfuſos, &c. atque ad extremum ita precatur:

*Amabilis JESU, ſanctifica quæſo, per ſacratiſſima membra tua, omnia membra mea; & dele omnes peccatorum maculas, quas ijsdem membris meis abutendo unquam contraxi.*

Quibus poſtremis verbis, & illum uſum hujus exercitij inſinuat, quem idem alibi magis expreſsè tradit, & video S. Mechtildi atque Gertrudi (quarum ille ſpiritum & ſenſa libenter imitatur in ſuis opuſculis) familiarem fuiſſe: ut nempe Chriſti membra aut ſenſus ſalutantes aut deoſculantes, id faciamus in emendationem atque emundationem eorum peccatorum, quæ eisdem membris aut ſenſibus noſtris ipſi commiſimus; ſimul ipſum Dominum obſecrantes, ut membra noſtra ſuis membris ſigillet, ſenſus noſtros ſuis ſenſibus

*Cimel. §. 2. endol. 2.*

ſenſibus conſecret; quò jam nihil per illa, niſi ex ipſius ſpiritu, ſive (ut plures hic loqui amant) Chriſtiformiter operemur: prout jam pluribus explicatum eſt ſuprà cap: 14. hujus partis.

Eadémq; mente exiſtimo fuiſſe S. Bonaventuram; dum invitans nos ad introeundum per apertas vulnerum januas in ipſum Chriſtum vulneratum, ita ait: *Nam præ nimio amore aperuit ſibi latus, ut tibi tribuat cor ſuum. ſibi etiã, voluit pedes & manus perforari, ut cùm ad ipſum perveneris, ſic tua manus intrent in ſuas, ac pedes tui in ſuos, ut ſibi inſeparabiliter conjungaris.* Ex quo utique fiat, quod dicebamus: ut quibus nimirum jam cor unum, ijdem quoq; ſenſus & affectus ſint; & quibus pedes, manúſve, aut membra alia intimè & inſeparabiliter conjuncta ſint, eodem ſpiritu incitentur ac moveantur ad opus: proindéq; omnes cogitationes, ſenſus, affectus, atque actus noſtri, Chriſtiformes ſint & cruciformes; ea nimirum in nobis operante, ac ſuo ſpiritu ſigillante, eo in quo vivimus, & qui vivit in nobis, Chriſto crucifixo Domino noſtro. *P.1.Stim.c.1*

# CAPUT XXIII.

## *Alia quædam præclara animæ circa Chriſti vulnera occupatio.*

### §. I.

### *Exercitium circa Chriſti vulnera ex Nicolao Eſchio deſumptum.*

FLoruit quondam in Belgio famâ virtutis & myſticæ ſapientiæ peritiâ Nicolaus Eſchius; is quo Petrus Caniſius noſter adhuc adoleſcens Magiſtro ſpiritûs uſus eſt Coloniæ, & cujus pijs exercitijs Venerabilis Vidua Maria Rag- *Vit. c. 3.*

gia familiariter uſa eſſe, & multùm profeciſſe fertur. In his Eſchij exercitijs, exercitium eſt ordine ſeptimum; quod ipſe hoc titulo inſcribit: *Exercitium cruciforme ad vulnera Chriſti JESU*: ubi pia ac præclara ratio traditur, tum extirpandi vitia omnia (quod omnino præſtari oportet; *antequam*, ut ipſe loquitur, *in cor JESU ad unionem ſpiritûs intrare permittaris*) tum acquirendi virtutes contrarias; ſic ut & corpus & animam ſemper & ubique crucifigamus, *juxta exemplar Chriſti JESU, qui ſemper crucifixus vixit, & crucifixus ex hoc ſæculo migrare voluit.*

Ait igitur oportere nos ex illius anima & corpore veluti ſugere, & in nos attrahere virtutes omnes, & præſertim has quinque nobiliſſimas.

*Prima* eſt vera humilitas: quam (inquit) portabis quaſi in pedibus tuis; rogabisq; Dominum per vulnera ſanctiſſimorum pedum ſuorum, & per maximam humilitatem ſuam quam ſemper exhibuit, ut tibi concedat in omnibus tam humilem exiſtere, quàm ejus gratiſſima voluntas à te exigit humilitatis ſuæ imitationem.

*Secunda* eſt vera ſapientia: quam virtutem portabis in capite, imprimesq; caput tuum in transfixum caput JESU Chriſti; obſecrando eum per dolorem ſanctiſſimi capitis ſui, ut te ſuâ divinâ ſapientiâ exornare velit, &c.

*Tertia* eſt vera charitas DEI. Hanc virtutem portabis in corde tuo; attendénsq; transfixum cor JESU Chriſti; cor tuum in illud imprimes; obſecrabisq; eundem per amorem ſuum, & per humanum transfixum cor ſuum, ut per eadem largiri tibi dignetur perfectum ſui amorem.

*Quarta* eſt vera juſtitia: quam portabis in manu tua dextera; attendésq; dexteram JESU Chriſti, quomodo clavis affixa fuit cruci: obſecrans illum ferventer, per acerbiſſimam pœnam quam ſuſtinuit in vulnere manus ſuæ dextræ, & per amorem, qui ipſum hanc ſuſtinere coëgit, ut tibi

tibi dare dignetur veram juſtitiam in omnibus operibus tuis.

*Quinta* eſt vera animi fortitudo. Hanc virtutem portabis in ſiniſtra manu tua; attendénsq; ſiniſtram manum Jesu Chriſti, ipſum obſecrabis per dolorem hujus vulneris ſui, & per mirabilem fortitudinem, quam in omnibus adverſitatibus ſuis exhibuit, ut veram tibi fortitudinem infundere dignetur, quanta tibi neceſſaria eſt, pro ejus ſummo honore, & tua ſalute.

*Et has virtutes omnes Domini noſtri JESU Chriſti* (ſubdit idem author) *per totam vitam tuam ab ipſo poſtulare, & tuo corpori & animæ imprimere debes; conformando te in his virtutibus Domino DEO tuo pro te crucifixo, quantum tibi poſſibile fuerit; ſemper & ubique imaginem crucifixæ vitæ & mortis ſuæ, in ipſis quas prædiximus virtutibus, aut ſaltem in quinque illarum præcipuis, contemplando & imitando, téq; in ejus cruce extendendo & crucifigendo: ita ut quocunq; te vertas, ad dexteram ſive ad ſiniſtram, ſemper unam ex virtutibus JESU, in ea quam tunc attendis, parte corporis tui videas collocatam, & tibi imitandam.*

Gratiſſimum enim eſt Sacrificium Jesu Salvatori noſtro pro nobis crucifixo, quando propter ipſum carnem noſtram cum vitijs & concupiſcentijs noſtris crucifigere diſcimus, & ſic mori cum ipſo non recuſamus. Hæc ferè Eſchius. Qui ad extremum & breves adjungit aptáſq; precandi formulas, quibus tota hujus exercitij ratio familiarem ad uſum redigatur. Itaque exempli gratiâ, ad pedum oſcula admonet, hunc ferè in modum eſſe precandum.

*Gratias tibi ago, humillime JESU, pro incomprehenſibili amore, & vulnere ſanctorum pedum tuorum; ſimúlq; in ea projicio me ipſum, & omnia peccata mea, præſertim omnem meam ſuperbiam, vanam gloriam & arrogantiam, ut aboleantur & expientur pretioſo ſanguine tuo: obſecrans te per in-*

*effabilem humilitatem tuam, ut eandem virtutem mihi largiri digneris; quò, per gratiam tuam, in cunctis deinceps ſim verè humilis; atque in omni vita, & maximè in hora mortis, ſit mihi certum in his ſacris vulneribus refugium.*

Et ſimili porrò precandi formâ utêris ad reliqua dictorum Chriſti membrorum, puta ad caput, agendo gratias Jesu ſapientiſſimo, & petendo veram ſapientiam: ad dulciſſimum cor Domini Jesu, gratias agendo Jesu amantiſſimo, & proijciendo cor tuum in cor ejus, & petendo veram charitatem. Et ita de reliquis.

## §. 2.

### *Alia quædam his affinia, ex Ioanne Thaulero deprompta.*

JOannes Thaulerus in epiſtolis ſuis duo quædam ſuggerit exercitia, ad propoſitos uſus pertinentia.

Primum in epiſtola 26. ubi ſic ferè loquitur:

Anima Deum amans, eundem in illius vulneribus contemplari & oſculari debet. Hæc enim Salvatoris noſtri vulnera plus pulchritudinis, lætitiæ, claritatis toti conferunt cœleſti curiæ, quàm omnia alia, quæ in vita perenni, exceptâ Divinitate, habentur.

Primò igitur pius aſceta magno cum deſiderio oſculabitur caput Jesu Chriſti. Per hoc quippe quandam accipit nobilitatem, & paternam hæreditatem cum Chriſto poſſidere dignus efficitur. Secundò, vulnus cordis contemplabitur & exoſculabitur. Unde illi in divino amore, cunctiſq; virtutibus fervidus profectus datur. Tertiò, vulnus dextræ manus. Inde ipſi redemptio, libertas, & gratia Dei præſtatur abundè. Quartò, vulnus manus ſiniſtræ. Inde ſcutum & protectionem adverſus tentationes quaslibet reportat. Quintò, vulnus dextri pedis. Inde robur & virtutem cuncta pro Dei amore libenter perferendi ſuſcipit. Sextò deni-

denique, vulnus pedis ſiniſtri. Inde illi à Deo delectatio & affectus ad omnia ſtudia ſpiritualia, cunctáq; virtutis opera præſtatur.

Alterum in epiſtola 28. quod ipſe appellat: *Exercitium per quinque vulnera Chriſti in ejus divinitatem tranſeundi.* Nam cùm compertum ſit, per ſacram Chriſti Humanitatem nobis ad ipſius Divinitatem tranſeundum eſſe: ita commentatur pius hic Doctor, quaſi in Chriſti vulneribus, totidem nobis viæ & tanquam ſemitæ apertæ ſint, quibus non difficulter in ipſam Divinitatem penetretur.

Itaque prima via, inquit, per vulnus ſiniſtri pedis, eſt ſitibunda noſtræ ſenſualitatis, naturæ, ac inordinatæ naturalis delectationis mortificatio. Secunda, per vulnus dextri pedis, eſt fortis ac vehemens in Deum penetratio, per omnia adverſa, cum perſeveranti gratiarum actione, & laude ſupereſſentialis doni, quod Deus eſt. Tertia, per vulnus ſiniſtræ manus, eſt actuum virtutum omnium exercitatio, in obedientia humili, & integrâ ſui ipſius ſub Deum ſubjectione, in interna paupertate & inopiâ ſpiritûs, & perfectâ ſui reſignatione in tempore & æternitate. Quarta, per vulnus manûs dextræ, eſt abſtracta, nuda, ſimplex, & expedita ſpiritûs paupertas, omnis (ut ait) imaginis ſeu formæ expers, cum amore eſſentiali, in puriſſimam divinæ ſimplicitatis nuditatem. Quinta, per vulnus cordis, eſt cum ignitis deſiderijs & exercitationibus, per amorem actualem ſe conſumere, & in amore eſſentiali liqueſcere, & per fruitionem ſine medio in caliginoſum divinæ unitatis ſilentium ſeſe immergere. Quibus quidem poſtremis ex myſtica Theologia petitis, ſpecialem illum & paucis conceſſum adumbrat, myſticæ (ut vocant) unionis complexũ, quo mens hominis ſimplici intuitu, & nullo intercurrente phantaſmate, divinam eſſentiam attingit, eidémq; quodam puri & quieti amoris contactu intimè & ineffabiliter adhæreſcit.

Qui

Qui quoniam (ut principio dixi) non tam ullius humanæ induſtriæ fructus eſt, quàm extraordinarium divini favoris privilegium; noſtræ hîc erunt partes, primis illis vijs, omnimodæ noſtri abnegationi videlicet, forti hilariq; adverſorum patientiæ, perfectæ ſub divinis nutibus voluntatis noſtræ ſubjectioni, aliarúmq; potiùs ſolidarum virtutum actibus inſiſtere, quàm de ſingularibus illis atq; extraordinarijs Dei muneribus laborare.

Cæterùm ſimili aliquâ ratione, ex Thauleri ſenſu, ſolers aſceta, *per cæleſtes* (ut ait) *radiantium vulnerum portas, toto corde in DEUM nitetur, contendet, ac penetrabit.* Eadémq; exercitij ratio (uti & illius quod ex Nicolao Eſchio propoſuimus) non tranſeunti tantùm aut defunctoriæ Crucifixi vulnerum ſalutationi oſculationive ſerviet, ſed ſi quis ea quæ in receſſu continet, ad uſus ſuos evolvere atq; explicare noverit, variam quoque materiam etiam operoſiori commentationi ſuppeditabit.

Demum alia quædam hujusmodi depromi poſſunt ex Pharetra divini amoris Joannis Lanſpergij Carthuſiani; ut nominatim ex lib: 1. parte 5. & lib: 2. parte itidem 5. ubi tum nonnulla habentur exercitia ſimilia ad quinque vulnera Chriſti, tum variæ præſertim ad dulciſsimum cor ejus aſpirationes. Verùm quæ produximus, ad aliquam eorum, qui hæc deſiderant, informationem ſufficient: & nos præſentis occupationis, in actibus virtutum Theologicarum conſiſtentis, finem reſpectamus, ſi priùs actus affectúsve nonnullos, qui vel amoris adverſus Crucifixum ſigna aut effectus ſint, vel ſi aliquâ aliâ ratione ſubnexi, extremis hiſce capitibus, ad quoddam tractationis complementum, ſubjunxerimus.

CAPUT

# CAPVT XXIV.

## *De piæ compaſſionis affectu erga Chriſtum patientem exercendo.*

### §. I.

### *Exercitationem hujuſmodi Chriſtiano homini non eſſe negligendam.*

SInceræ atque intimæ erga patientem Redemptorem noſtrum ſympathiæ aut compaſſionis affectus, non poteſt illi non eſſe acceptiſſimus, ut qui indicium ſit animæ bene compoſitæ, & ſi nondum Chriſtum perfectè amantis, at ſaltem ad ejus amorem inclinatæ atque propenſæ. Quapropter & iſtud officij ſibi jucundiſſimum eſſe, ipſe non ſemel revelare dignatus eſt; illudq; acceptare videtur, perinde atque ſi, inter dolores paſſionis ſuæ, ei quidpiam obtuliſſemus ſolatij, aut inter eos re ipsâ fuiſſemus, qui piâ quâdam condolentiâ præſentes ipſius cruciatus miſerabantur: de quorum utique paucitate querentem audimus per Prophetam: *Suſtinui, qui ſimul contriſtaretur, & non fuit; & qui conſolaretur, & non inveni.* *Pſal. 68.* Quemadmodum è contra abſq; ullo doloris aut miſericordiæ ſenſu acerbos Domini cruciatus recogitare, hominis eſt (ut molliſſimè dicam) erga ſuaviſſimum Dominum, amantiſſimúmq; Redemptorem, minùs quàm par eſſet, propenſi.

Securiùs certè pronunciat S. Bonaventura; eam animi duritiem, aut circa Chriſti paſſionem (ut ipſe appellat) inſenſibilitatem eapropter incuſans, quòd ſit indicio, eum qui ſic affectum ſe ſentiat, aut Chriſti omnino non eſſe membrum, aut membrum profectò mortuum eſſe. *Si enim* (inquit hic S. Doctor) *non ſentis dolorem capitis: quomodo es unum cum ipſo? aut ſi membra mortua & inſenſibilia ſumus; quid* *P. 1. Stim. c. 4. & p. 2. c. 6.*

Digitized by Google

*quid reſtat, niſi ut de corpore excidamur?* Et rurſus: *Certè videtur, quòd, tanquam membra putrida, jam ſumus exciſi à capite noſtro, quia ipſo vulnerato, ejus vulnera non ſentimus.* Tum ſubdit exclamans: *Heu! heu! Domine mi, quare me feciſti, ſi non debeo tibi eſſe conjunctus? aut, ſi tibi ſum conjunctus, quare non ſum tecum pariter vulneratus?* Hæc Bonaventura: quod item argumentum paucis proponit S. Laurentius Juſtinianus, in lib: de caſto connubio, cap. 23. extremo.

Ergo cujusque noſtrum magni intereſt, iſtum tenerioris pietatis affectum in ſe perſentiſcere; aut ſi eum in nobis non experimur, ad eum nos identidem per Dominicæ paſſionis meditationem exercere.

Neque verò id erit difficile, amabilem JESUM paulò attentiùs contemplanti, aut inter immites carnificum manus denſis conſciſſum vulneribus, ſuóq; innatantem ſanguini; aut bajulantem ſibi crucem, & ſub indigno pondere miſerè fatiſcentem; aut ſuo jam ſuffixum patibulo, membriſq; in eo crudeliter diſtentis atque diſtractis, inter ſummos angores expirantem; aut demum arbore infelici detractum, & in mœſtæ parentis gremio, exanimem, exanguem, lividum, vultu pallente, corpore lacero, diſſoluto ac fluxo, jacentem. Nam ſi Gregorius ille Nyſſenus, ad ſolum imaginis aſpectum, in qua oculis ſubijciebatur præclarum Abrahami facinus, unigenitum ſuum dilectiſſimum, DEO ita jubenti ſacrificare ſatagentis, ſic intimis afficiebatur ſenſibus, ſibi ut à fletu temperare non poſſet; uti ipſe de ſe ſcriptum reliquit, atque in Nicena 2. Synodo eſt annotatum; tametſi hæc non niſi rudis & imperfecta erat adumbratio Chriſti, (prout loquitur Tertullianus) *in victimam conceſſi à Patre*: quid non in animo Chriſtiani hominis efficiet, fideli commentationi ſubjectus, & vivâ imagine figuratus DEI Filius, vera illa & eximia hoſtia, non jam ſolâ animi deſtinatione, ſed re ipſâ & cœde veriſſima, pérq; acerbiſſimos cruciatus, in

*Orat. de Deit. Filij.*

*Act. 4.*

*Adu. Judæ. c. 11.*

in ara crucis, æterno Patri nobis placando propitiandóque immolata. Ad quod tamen proderit obſervaſſe, quæ jam ſubijcimus.

## §. 2.

### *Nonnulla ad eum affectum in nobis excitandum adjumenta.*

PRimum. Ut in Chriſti cruciatibus commeditandis, ſtudeamus eos, non velut pridem præteritos, eóq; remotos à noſtris ſenſibus, ſed tanquam recentes atque præſentes, adeóq; velut ſub ipſo aſpectu noſtro etiamnum poſitos, intueri. Sic enim ad ſenſus meditantis commovendos, & (quod nunc nominatim agimus) piæ compaſſionis affectum conciendum, majorem vim habet myſterij propoſiti contemplatio. Quemadmodum etiam de S. Franciſco, S. Birgitta, B. Angela, aliiſq; à nobis antea in loco memoratum eſt: ex quo illis Chriſti crucifixi viva quædam atq; expreſſa ſpecies eſt objecta divinitùs, exinde eam aſſiduè veluti præ oculis habuiſſe; eáq; gratiâ nunquam ſine lacrymis, Chriſti patientis recordari potuiſſe. Eámq; ſubinde teneritatem induit cor contemplantis, ut ad ſolam vocem aut nomen paſſionis Dominicæ, illico vulneretur medullitus: veluti de anima Chriſtum amante, ſcripſit loco citato S. Laurentius Juſtinianus: *Quoties in ipſius inſonuerit auribus dilecti ſui cruciatus paſſionis & opprobria crucis, toties mucronis vulnere transfigitur doloris.* *de caſto cõnub. c. 23.*

*Secundum.* Proderit proinde ex forma alibi à nobis præſcripta, eorum Chriſti amicorum, qui vel patienti ac morienti adfuerunt, vel mortuo obſecuti ſunt, perſonas ac ſenſus in ſe transferre. Quo modo poſſumus, exempli causâ, nunc juxta crucem cum DEI Matre, mœrore ac dolore confixi ſtare; nunc cum Magdalena ad crucem ipſam procumbere, complecti crucifixi pedes, & ſtillantis amoris gut-



Digitized by Google

*quid reſtat, niſi ut de corpore excidamur?* Et rurſus: *Certè videtur, quòd, tanquam membra putrida, jam ſumus exciſi à capite noſtro, quia ipſo vulnerato, ejus vulnera non ſentimus.* Tum ſubdit exclamans: *Heu! heu! Domine mi, quare me feciſti, ſi non debeo tibi eſſe conjunctus? aut, ſi tibi ſum conjunctus, quare non ſum tecum pariter vulneratus?* Hæc Bonaventura: quod item argumentum paucis proponit S. Laurentius Juſtinianus, in lib: de caſto connubio, cap. 23. extremo.

Ergo cujusque noſtrum magni intereſt, iſtum tenerioris pietatis affectum in ſe perſentiſcere; aut ſi eum in nobis non experimur, ad eum nos identidem per Dominicæ paſſionis meditationem exercere.

Neque verò id erit difficile, amabilem JESUM pauld attentiùs contemplanti, aut inter immites carnificum manus denſis conſciſſum vulneribus, ſuóq; innatantem ſanguini; aut bajulantem ſibi crucem, & ſub indigno pondere miſerè fatiſcentem; aut ſuo jam ſuffixum patibulo, membríſq; in eo crudeliter diſtentis atque diſtractis, inter ſummos angores expirantem; aut demum arbore infelici detractum, & in mœſtæ parentis gremio, exanimem, exanguem, lividum, vultu pallente, corpore lacero, diſſoluto ac fluxo, jacentem. *Orat. de Deit. Filij.* Nam ſi Gregorius ille Nyſſenus, ad ſolum imaginis aſpectum, in qua oculis ſubijciebatur præclarum Abrahami facinus, unigenitum ſuum dilectiſſimum, DEO ita jubenti ſacrificare ſatagentis, ſic intimis afficiebatur ſenſibus, ſibi ut à fletu temperare non poſſet; uti ipſe de ſe ſcriptum reliquit, *Act. 4.* atque in Nicena 2. Synodo eſt annotatum; tametſi hæc non niſi rudis & imperfecta erat adumbratio Chriſti, *Adu. Judæ. c. 11.* (prout loquitur Tertullianus) *in victimam conceſſi à Patre*: quid non in animo Chriſtiani hominis efficiet, fideli commentationi ſubjectus, & vivâ imagine figuratus DEI Filius, vera illa & eximia hoſtia, non jam ſolâ animi deſtinatione, ſed re ipſâ & cœde veriſſima, pérq; acerbiſſimos cruciatus, in

Digitized by

in ara crucis, æterno Patri nobis placando propitiandóque immolata. Ad quod tamen proderit obſervaſſe, quæ jam ſubijcimus.

## §. 2.

### *Nonnulla ad eum affectum in nobis excitandum adjumenta.*

P*Rimum*. Ut in Chriſti cruciatibus commeditandis, ſtudeamus eos, non velut pridem præteritos, eóq; remotos à noſtris ſenſibus, ſed tanquam recentes atque præſentes, adeóq; velut ſub ipſo aſpectu noſtro etiamnum poſitos, intueri. Sic enim ad ſenſus meditantis commovendos, & (quod nunc nominatim agimus) piæ compaſſionis affectum conciendum, majorem vim habet myſterij propoſiti contemplatio. Quemadmodum etiam de S. Franciſco, S. Birgitta, B. Angela, aliiſq; à nobis antea in loco memoratum eſt: ex quo illis Chriſti crucifixi viva quædam atq; expreſſa ſpecies eſt objecta divinitùs, exinde eam aſſiduè veluti præ oculis habuiſſe; eáq; gratiâ nunquam ſine lacrymis, Chriſti patientis recordari potuiſſe. Eámq; ſubinde teneritatem induit cor contemplantis, ut ad ſolam vocem aut nomen paſſionis Dominicæ, illico vulneretur medullitus: veluti de anima Chriſtum amante, ſcripſit loco citato S. Laurentius Juſtinianus: *Quoties in ipſius inſonuerit auribus dilecti ſui cruciatus paſſionis & opprobria crucis, toties mucronis vulnere transfigitur doloris.* *de caſto cõnub. c. 23.*

*Secundum*. Proderit proinde ex forma alibi à nobis præſcripta, eorum Chriſti amicorum, qui vel patienti ac morienti adfuerunt, vel mortuo obſecuti ſunt, perſonas ac ſenſus in ſe transferre. Quo modo poſſumus, exempli causâ, nunc juxta crucem cum DEI Matre, mœrore ac dolore confixi ſtare; nunc cum Magdalena ad crucem ipſam procumbere, complecti crucifixi pedes, & ſtillantis amoris gut-

*quid reſtat, niſi ut de corpore excidamur?* Et rurſus: *Certè videtur, quòd, tanquam membra putrida, jam ſumus exciſi à capite noſtro, quia ipſo vulnerato, ejus vulnera non ſentimus.* Tum ſubdit exclamans: *Heu! heu! Domine mi, quare me feciſti, ſi non debeo tibi eſſe conjunctus? aut, ſi tibi ſum conjunctus, quare non ſum tecum pariter vulneratus?* Hæc Bonaventura: quod item argumentum paucis proponit S. Laurentius Juſtinianus, in lib: de caſto connubio, cap. 23. extremo.

Ergo cujusque noſtrum magni intereſt, iſtum tenerioris pietatis affectum in ſe perſentiſcere; aut ſi eum in nobis non experimur, ad eum nos identidem per Dominicæ paſſionis meditationem exercere.

Neque verò id erit difficile, amabilem Jesum paulò attentiùs contemplanti, aut inter immites carnificum manus denſis conſciſſum vulneribus, ſuóq; innatantem ſanguini; aut bajulantem ſibi crucem, & ſub indigno pondere miſerè fatiſcentem; aut ſuo jam ſuffixum patibulo, membriſq; in eo crudeliter diſtentis atque diſtractis, inter ſummos angores expirantem; aut demum arbore infelici detractum, & in mœſtæ parentis gremio, exanimem, exanguem, lividum, vultu pallente, corpore lacero, diſſoluto ac fluxo, jacentem. Nam ſi Gregorius ille Nyſſenus, ad ſolum imaginis aſpectum, in qua oculis ſubijciebatur præclarum Abrahami facinus, unigenitum ſuum dilectiſſimum, Deo ita jubenti ſacrificare ſatagentis, ſic intimis afficiebatur ſenſibus, ſibi ut à fletu temperare non poſſet; uti ipſe de ſe ſcriptum reliquit, atque in Nicena 2. Synodo eſt annotatum; tametſi hæc non niſi rudis & imperfecta erat adumbratio Chriſti, (prout loquitur Tertullianus) *in victimam conceſſi à Patre*: quid non in animo Chriſtiani hominis efficiet, fideli commentationi ſubjectus, & vivâ imagine figuratus Dei Filius, vera illa & eximia hoſtia, non jam ſolâ animi deſtinatione, ſed re ipſâ & cœde veriſſima, pérq; acerbiſſimos cruciatus, in

*Orat. de Deit. Filij.*

*Act. 4.*

*Adu. Judæ. c. 11.*

in ara crucis, æterno Patri nobis placando propitiandóque immolata. Ad quod tamen proderit obſervaſſe, quæ jam ſubijcimus.

## §. 2.

### *Nonnulla ad eum affectum in nobis excitandum adjumenta.*

P*Rimum.* Ut in Chriſti cruciatibus commeditandis, ſtudeamus eos, non velut pridem præteritos, eóq; remotos à noſtris ſenſibus, ſed tanquam recentes atque præſentes, adeóq; velut ſub ipſo aſpectu noſtro etiamnum poſitos, intueri. Sic enim ad ſenſus meditantis commovendos, & (quod nunc nominatim agimus) piæ compaſſionis affectum conciendum, majorem vim habet myſterij propoſiti contemplatio. Quemadmodum etiam de S. Franciſco, S. Birgitta, B. Angela, aliisq; à nobis antea in loco memoratum eſt: ex quo illis Chriſti crucifixi viva quædam atq; expreſſa ſpecies eſt objecta divinitùs, exinde eam aſſiduè veluti præ oculis habuiſſe; eáq; gratiâ nunquam ſine lacrymis, Chriſti patientis recordari potuiſſe. Eámq; ſubinde teneritatem induit cor contemplantis, ut ad ſolam vocem aut nomen paſſionis Dominicæ, illico vulneretur medullitus: veluti de anima Chriſtum amante, ſcripſit loco citato S. Laurentius Juſtinianus: *Quoties in ipſius inſonuerit auribus dilecti ſui* *de caſto cōnub. c. 23.* *cruciatus paſſionis & opprobria crucis, toties mucronis vulnere transfigitur doloris.*

*Secundum.* Proderit proinde ex forma alibi à nobis præſcripta, eorum Chriſti amicorum, qui vel patienti ac morienti adfuerunt, vel mortuo obſecuti ſunt, perſonas ac ſenſus in ſe transferre. Quo modo poſſumus, exempli cauſâ, nunc juxta crucem cum DEI Matre, mœrore ac dolore confixi ſtare; nunc cum Magdalena ad crucem ipſam procumbere, complecti crucifixi pedes, & ſtillantis amoris gut-

tas ſtudioſè colligere; nunc cum Joſepho Arimathæo piiſq; comitibus, de ligno depoſitum condire unguentis, obvolvere linteo, lacrymis reſpergere, ac denique mœſtis exequijs luctúq; ſolenni cohoneſtare.

*L. liberorum ff. de his qui infam.* Scio equidem olim cautum fuiſſe Lege Romanâ, ne cui ſuſpendioſo luctus conſuetus adhiberetur; quòd qui funeſto illo, ac præ cæteris infami mortis genere puniti eſſent, eò viderentur ſupremis officijs, ac jure communis humanitatis indigni. At de dulciſſimo Domino ac Salvatore noſtro, qui cùm nulli culpæ affinis eſſet, ſolâ bonitate & amore noſtri adductus, ſibi crucis elegit infamiam, eóq; ab ijs quos morte ſuâ redemerit, uti magis amari, ita magis lugeri *Zach. 12.* dignus eſt, divinior ſanè Lex edicit: *Plangent eum planctu quaſi ſuper unigenitum, & dolebunt ſuper eum, ut doleri ſolet in morte primogeniti:* qui nimirum planctus ab ijs adhibendus videatur, qui Chriſti paſſionem recogitantes, intentâ quâdam contemplatione (ut cum eadem Scriptura loquar) aſpicient ad eum, quem peccatis ſuis confixerunt.

*Tertium.* Eapropter & hoc adjungimus, non eorum tantùm quos dixi, perſonas nobis in ea noſtra contemplatione aſſumendas; ſed nos ipſos quoque in perſequentium ac crucifigentium turba, magno cum pudore atque horrore noſtro, à nobis eſſe aſpiciendos atque recognoſcendos. Falleris ſiquidem, Chriſtiane, ſi in hac ſanguinolenta tragœdia, te ipſum ut nudum merúmq; ſpectatorem conſideras. Actor enim es, & cruentæ ſcenæ pars magna: ut qui per tot tua flagitia, in innocentem Dei unigenitum conjurata, atrociſſimam in mortem ipſum tradas, Judæorúmq; linguis, militum manibus, ipſum in diro patibulo ſuffigas. Vox illa tua eſt (ſi neſcis) *crucifige, crucifige eum.* Vox tua, quâ Præſes illum damnavit, & ſupplicio crucis addixit. Facinus tuum ſunt Chriſti vincula, flagrorum ictus, corporis livor, conſertæ ſpinæ; clavi, lancea, crux, facinus tuum. Ipſe Chri-

Chriſtus JESUS in cruce pendens (horror eſt dicere) opus tuum eſt; opus amoris, & opus furoris; ſed amoris tui, ô bone JESU, amoris tui, & furoris mei. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum? & plorabo die ac nocte dolorem tuum, & ſcelus ac facinus meum.

Hunc igitur in morem, non Chriſto duntaxat accepta, ſed tibi quoque ſalutaris erit compaſſio, ſi ita lugeas ejus dolores, ut ſimul deteſteris peccata tua, quæ primam illis ac ſonticam cauſam præbuêre; ſi admiſſa defleas, futura vites; ſi frigus tuum in Chriſto redamando incuſes; ſi vitæ tuæ torporem inertiámque plangas; ſi eadem ex cauſa, non tantùm propria, ſed aliena quoque, immò mundi totius peccata deplores, & vaſtam illam horrendámq; tot iniquitatum abyſſum, quæ facto impetu dulciſſimum cor innocentiſſimi JESU irrupit, & violenter oppreſſit. Verè etenim, Domine mi JESU, intraverunt aquæ uſque ad animam tuam; fluctus peccatorum noſtrorum inundaverunt, tempeſtas demerſit te; abſorptus es, ut Jonas, & projectus in profundum in corde maris; abyſſus malorum vallavit te, pelagus operuit caput tuum. Atqui ego peccavi, & tu plecteris; ego reus ſum, & tu damnaris; ego nocens ſum, & tu moreris. Verùm de hoc plura in exercitio ſatisfactionis.

*Pſal. 68.*
*Jon. 3.*

*Quartum.* Ad eundem compaſſionis affectum in nobis excitandum, juvabit ipſum Dominum Salvatorem noſtrum, tenerè atque intimè diligere: cùm ita naturâ comparatum ſit, ut ſi quid patiatur is, quem amamus, illico nos ſubeat patientis miſeratio, & quidam exiſtat doloris conſenſus ac communio; quia videlicet amici mala, veluti noſtra reputemus. Ut propterea Doctor Seraphicus, inter ea, quæ nos ad Chriſto compatiendum excitent, primo loco ponat, ut ei quis ſtudeat uniri per ferventem amorem: *Si enim ei per amorem* (inquit) *bene unitus fueris, compatieris eidem.* Et prout indicat Nicolaus Eſchius in quodam exer-

*P. 1. Stim. c. 2. & 4.*

Exerc. 8. citio; fidelis amator deberet ita uniri Chriſto, ut membrũ, ut paſſionem Chriſti magis ſentiat ſibi præſentem & infixã, quàm ſuam propriam paſſionem & afflictionem. Ex quo illa quoque exiſtit non mediocris utilitas: ut nempe gemini iſti affectus & naturali quaſi cognatione ſeſe inter ſe alant atque foveant, & mutuo conſenſu aut tanquam affectu ſeſe invicem exſuſcitent; cùm amorem conſtet compaſsionem ex ſe parere; compaſſione autem confoveri amorem atque intendi. Quod etiam video obſervaſſe S. Bonaventuram his P. 1. c. 2. verbis: *Quantò ferventiùs diliges eum, tantò magis ſuæ compatieris paſſioni: & quantò plus ei compatieris, tantò plus ergà eum tuus accendetur affectus. Unde ſic mutuò ſe augebunt dilectio & compaſſio.* Sic ille.

*Poſtremum.* Neque omittenda eſt illa præceptio. Ad hunc ſanctum affectum obtinendum, pro magno munere tibi eſſe contendendum ab ipſo Salvatore, ut vulneribus ſuis mentem tuam vulneret ac ſauciet, & cordi tuo ſenſum aliquem, ſive conſenſum dolorum ſuorum impertiat. Convertes te etiam ad beatiſsimam ſimúlq; afflictiſsimam Dei Genitricem; eámq; ſtudioſè rogabis, ut vel paſſionum filij ſui pium ſenſum imprimat cordi tuo, vel guttam infundat illius Oceani amaritudinum, quo ejus anima ſanctiſsima, in unigeniti paſsione, obruta atque abſorpta eſt ſecundùm illud Threnorum 2. capite: *Magna eſt velut mare, contritio tua.* Idémq; precaberis dilectum Jesu diſcipulum, qui & ipſe teſtis & conſors extitit paſsionum ejus. Sic enim teſta-Vit. c. 12. & 15. tur B. Angela Fulginienſis; ſeſe à Dei Matre Sanctóq; Joanne, per eos dolores, quos Chriſto patiente ſuſtinuerint, contendiſſe (& verò etiam quod contendebat impetraſſe) ſibi ut aſſiduè liceret, propoſitam habere Paſsionis Chriſti memoriam, ejúsq; dolorem perſentiſcere, aut ſaltem illius doloris (quem ipſa Virgo & S. Joannes experti fuêre) participem eſſe.

Addit

Addit loco citato Nicolaus Eſchius: rogandum ab unoquoque eſſe Dominum JESUM; *ut ſe per ardentem & reſignatum ſpiritum, per compatientem & mortificatam animã, per afflictum & excruciatum corpus, ſuæ ſanctiſſimæ crucifixæ humanitati perfectiſſimè conformare dignetur; aut ſaltem aliquo continuo dolore corporali omni tempore monere, ut ſuæ paſſionis nunquam obliviſcatur.*

Quò denique ſpectat & ardens illa S. Bonaventuræ exhortatio, quam velut clauſulam præſenti argumento appono: *Nunc ergo chariſſimi, felle & abſinthio atq; myrrha inebriemur; & ſolùm ejus vulnera ſentiamus: transfigant cordis noſtri intima, ejus convicia, flagella & vulnera; nec in nobis ſit, quod non perfundatur compaſſionis dolore, & affligatur intensè.* Addo nihilominus huic affinem ſenſum Henrici Suſonis, qui ex incenſo deſiderio membris ſuis omnibus quodammodo Chriſto compatiendi, ita eum precatur in quadam ſua meditatione: *Non ſit, mi Domine, ullum corporis mei membrum, quod non ſpeciatim tuam mortem ſuo modo meditetur, tuæq; paſſionis quandam ſimilitudinem amabiliter præſeferat, exhibeatq;.* Sic illi.

*P. 1. Stim. c. 4.*

*de paſſione ſer. 2.*

## §. 3.

### *In quo concluduntur, quæ de hoc exercitio dicta ſunt.*

EX dictis porrò perſpici poteſt; cùm compaſsionem circa Domini cruciatus exercendam ſuademus, non ſterilem aliquem à nobis commendari, inertem, otioſum mentis affectum, qui ſenſibili quadam (uti loquuntur) devotione, aut teneritudine cordis, & unâ fortaſsis alteráve lacrymulâ contentus ſit, cujus exareſcentis nullum inſuper ſit operæ pretium: ſed fœcundum, operoſum, efficacem; qui cum ſerio atque germano Chriſti noſtrâ causâ convulnerati & excruciati amore, aliiſq; præclaris ſolidarum virtutum actibus, conjunctus ſit: quarum utique ſtudium, conſtat omni

mni illi mentis piè tenereſcentis dulcedini, nimiò plus eſſe anteferendum.

Fluant igitur inter compatiendum Salvatori, fluant ſcilicet (ſi Deus dederit) animæ mœrenti dulces lacrymæ: quando & hæ Chriſto tam jucundæ ſunt, ut velut ſiti ſuæ re-
*l. 4. c. 26.* ſtinguendæ, eas in patera aurea recolligere viſus ſit S. Gertrudi: ſed tamen ſic fluant, ut non ora ſolùm pij contemplatoris irrigent, ſed intrò receptæ etiam terram cordis infundant, quò varia proferat ſanctorum affectuum germina, atque efficacis pœnitentiæ, profundæ demiſſionis, hilaris patientiæ, aliarúmq; ejuſmodi virtutum actibus efflorcſcat: quarum equidem humilia exercitia bellè dictitabat S. Franciſcus Saleſius, notæ ſanctitatis Gebennenſis Epiſcopus, eſ-
*Introd. c. 44* ſe tanquam flores (puta hyacinthos, calthas, violas) ad crucis pedem ſubnaſci & erumpere ſolitos.

Autor ſermonum ad fratres de Eremo, ſemone 11. *Horum fletuum imbribus debemus* (ait) *irrigare terram mentis noſtræ, ut pariat fructus bonorum operum, diverſoſq; flores virtutum.* Qui dum deinde piam ejuſmodi contriti cordis lacrymam, vicariam appellat Paſſionis Chriſti; ſpecioſa quidem nomenclatio, ſed minùs eſt aperta ſententia. Attamen (veluti ea quæ adjungit, indicant) eo ſenſu videtur eam paſſionis Chriſti vicariam appellare; quòd inſtrumentum ſit, quo pœnitenti applicatur ipſa mors, & paſſio Redemptoris; proindeq; toties repræſentari & renovari videatur Dominicæ mortis myſterium, quoties quis à peccato reſurgit, per pœnitentiæ lacrymarúmq; remedium.

Nunc quoniam inter varias artes, quibus ipſa exerceatur compaſsio, ea in cæteris Redemptori ſapit jucundiſsimè, quâ maternos dolores, aut ipſum in matre condoleſcentem, commiſeramur; non eſt iſta nobis prætermittenda induſtria: at quia de ea pluſcula nobis tradenda ſunt, ei exercitio proximum caput attribuemus.

# CAPUT XXV.

## *De commiſeratione etiam Matris* DEI, *filio compatientis, ſuſcipienda.*

### §. I.

### *Maternorum dolorum commiſerationem Chriſto Domino acceptiſsimam eſſe.*

QVemadmodum Beatiſsimæ DEI Matri perjucundum eſt ſtudium noſtrum, cùm in recogitandis filij ſui cruciatibus ſenſu pietatis ac miſerationis tangimur: ita viciſsim ipſi filio acceptiſsimum eſt, ſi quis in maternis doloribus animo verſandis occupetur, eiq; juxta crucem ſtanti, ac cum Unigenito ſuo patienti, pio conſenſu compatiatur. Quod ut confirmem, quiddam adjungo, quod primo aſpectu mirum fortaſſe videbitur.

Siquidem in Vita B. Veronicæ de Binaſco, ex Ordine S. Auguſtini, Chriſtus ei Virgini dixiſſe fertur: gratioſiſsimas equidem ſibi eſſe lacrymas, ex pia paſsionis ſuæ meditatione manantes: attamen ſibi gratiorem eſſe recogitationem ac ſenſum dolorum, quibus Deipara Virgo in ipſa Chriſti paſsione conflictata eſt; idq, propter ſuum adversùs illam, inexplicabilem & incogitabilem amorem. Ubi tametſi non deerit fortè, qui exiſtimet (quod in rem noſtrã & ipſum valeret plurimùm) hæc, quâdam ſermonis figurâ, & quaſi rei augendæ gratiâ ita à Chriſto dicta eſſe, ut nempe duntaxat ſignificare voluerit: ſummo ſe flagrare deſiderio, ut Matris ſuæ dilectiſsimæ dolores (omni quidem ſenſu & opinione noſtrâ majores) devoto ſtudio commeditemur: nihil tamen cauſæ eſſe video, cur ipſa verborum proprietas relinquenda ſit, cùm & in rigore ſermonis non uno ſenſu vera eſſe poſſint, ſi modò matrem, ejúsve dolores, non quo-

*l. 1. c. 9. apud Bollãd.*

quomodocunque, aut per ſe ſolitariè ſpectemus, ſed cum certo reſpectu ad filium, atque ad ipſam filij paſsionem.

22. q. 27. a. 8. Nam quemadmodum cum S. Thoma ſentiunt communiter Theologi: diligere proximum propter DEUM, majoris eſſe excellentiæ & meriti, quàm tantùm DEUM diligere propter ſe ipſum, quia ſic dilectio proximi includit etiam dilectionem DEI: ita dicere poſſumus in præſenti; pium affectum erga dolores matris, filij reſpectu conceptum, Chriſto gratiorem jucundiorémq; eſſe, quàm ſi cruciatuum ipſius filij ſolitariâ commiſeratione tangamur; quòd ea pietas adverſus matrem, inſuper includat pietatem in filium: qui utique, cùm vel uni ex minimis ſuâ causâ exhibitam miſericordiam, perinde ac ſibi impenſam aſpiciat; multò magis, quod in deſolatam afflictiſsimámq; ejus parentem commiſerationis ac velut ſolatij collatum ſit, ad ſe pertinere exiſtimabit.

de lam. B. V. l. 1. c. 35. l. 6. c. 9. Rurſum, ſi ex S. Bernardi aliorúmq; Doctorum ſenſu (quod item non ſemel B. Birgittæ revelatum accepimus) dolor ille, quem de matris luctu & dilectiſsimi cordis ejus anguſtijs, ſympathiâ quadam percipiebat filius, excelſiſſe perhibetur eum dolorem, quem de ſuis ipſe vulneribus cruciamentiſq; caperet, ita ut (quæ verba ſunt Arnoldi Carnotenſis) *in matre ampliùs, quàm in ſe pati videretur:* conſequens eſt, ut (quod ajunt) ex parte ſubjectæ materiæ, & cæteris paribus, gratius illi accidat ſtudium noſtrum, cùm ipſi compatimur in matre, eúmq; dolorem, quem ipſe maximum atque acerbiſsimum expertus ſit, benevolâ quâdam condolentiâ quodammodo quaſi lenire ac mitigare conamur.

De Laudib. B. M.

Tandem ea eſt vis magni & ardentis amoris; ut qui alterum vehementer diligat, ſi quando utrumq; una involvat calamitas, illi potiùs quàm ſibi ſuccurri malit: præſertim ubi is amantis gratiâ in eam neceſſitatem inciderit. Cùm igitur optimus Redemptor parentem ſuam nimiopere dili-

Digitized by Google

diligeret, & dolorum ejus magnitudinem perſpectam haberet, iisq; illam intelligeret, ſuâ unius causâ atque amore, opprimi & quaſi exanimari: potuit non immeritò, iſtud ſibi debiti ſolatij, quod dolenti præſtat piè condolentis affectus, in dulciſsimam parentem ſuam quodammodo transferre, atque ut ei potiùs à nobis exhibeatur, expetere; atq; ita teſtari, id ſibi gratius acceptiúsq; eſſe.

## §. 2.

### *Ad idem exercitium uſurpandum propria quadam incitamenta.*

HOc igitur *primum* ac princeps eſto in rem præſentem incitamentum: id exercitij Filio Virginis Domino noſtro ſummoperè placere, & ſi quem pietatis affectum in Matris dolentis ſolatium impenderimus, id omne tanquam ſibi impenſum, gratanter acceptum habere.

*Secundum:* Ipſam etiam Virginem Dei Matrem id ipsũ à nobis ſtudioſè expetere. Cujus utique illæ ſunt voces ad S. Birgittam: *Reſpicio, ſi fortè ſint aliqui, qui compatiantur mibi, & recogitent dolorem meum: & valde paucos invenio, qui cogitant tribulationem & dolorem meum. Ideo, filia mea, licet à multis oblita & neglecta ſim, tu tamen non obliviſcaris me: vide dolorem meum, & imitare quantum potes. Conſidera dolorem meum & lacrymas, &c.* *L. 2. c. 24.*

*Tertium:* quòd id ipſum à nobis poſtulet magnitudo doloris ejus: quæ nempe & à filij ſui nativitate (ut ipſa dicebat eidem S.Birgittæ) uſque ad mortem ejus, tribulatione plena fuit; & filio ſuo moriente, in abyſſum quandam amaritudinis immerſa eſt; uti ponderabitur paragrapho ſequenti.

*Quartum:* quòd eo piæ mentis officio, gratus agnoſcetur in amantiſſimam Matrem animus, increſcet amor, tenereſcet cordis devotio, roborabitur fiducia, & multi-



Digitized by Google

plex ab ea præſidium in caſibus duris, aut dubijs rebus accedet. Quemadmodum eadem S. Birgitta alio in loco refert ſibi dixiſſe Chriſtum: virum quendam magnum, ſed multis implicatum criminibus, propterea quòd Matris Dei doloribus piè compati conſueſſet, ſub vitæ exitum, magnâ à Deo cordis contritione donatum eſſe, atque ita ſalutis compendium inveniſſe.

*L. 6. c. 97.*

Accedit denique, multis Sanctorum id exercitij ſanè quàm familiare fuiſſe. Atque, ut de altero ſexu jam nihil dicam: in primis S. Gregorius, cujus eſſe fertur Planctus Virginis, cujus initium eſt, *Stabat Mater doloroſa* (uti antea monui) quantopere ea res ſibi cordi eſſet, ſatis oſtendit; dum tanto affectu contendit ab ipſa Dei Matre, & quaſi pro ſummo dono flagitat, ut particeps factus doloris ejus, poſſit cum ea lugere, cum ea juxta crucem ſtare, eandémq; in planctu ſociare. Qualiter itidem B. Franciſcum Borgiam, crebrò inſtantérq; ab Dei Matre petere ſolitum accepimus, ut illius gladij doloris, quo ejus anima ſanctiſſima filio patiente transfixa & convulnerata eſt, ſenſum aliquem ſibi impertiri dignaretur. At S. Ignatius Fundator ac Patriarcha noſter, à prima ſuæ converſionis die, uſque ad ſenium in pectore ſemper geſtabat ad cor imaginem quandam Matris dolentis, ad crucis pedem conſidentis, & doloris gladio transverberatæ; per illam ſe à Deo ubique miris modis adjutum teſtatus. Quæ quidem imago, in Collegio noſtro Cæſarauguſtano, ſub titulo S. Mariæ à corde, religiosè aſſervatur & colitur; ejúsq; ectypon non ita pridem, adſcripto hoc ipſo elogio, Romæ vulgatum. S. Bonaventura, uti ſuæ in filij dolores pietati teſtandæ atque fovendæ, Officiũ de Paſſione Domini; ita pro ſuo in Matris dolores religioſo ſtudio, Officium conſcripſit de Compaſſione B. Mariæ, quod videre licet parte 2. Opuſculorum ejus. Idem in Stimulo divini amoris, tum alibi frequenter, tum præcipuè

*In M. S.*

parte

parte 1. cap: 3. tam ſuaviter ac tenerè agit de ijsdem Virginis doloribus, eóq; in argumento tantâ varietâte piorum ſenſuum verſatur; ſatis ut appareat, quàm eos crebrò ſeu mente revolveret, ſeu intimâ animi compaſſione proſequeretur. Eandem dolorum Filij Matrísq; memoriam, quàm ſeverâ in ſemetipſum religione tueretur B. Henricus Suſo, parte 2. c. 3. commemoravimus. Relegíq; poſſūnt quæ ibidem cap. 13. diximus, de erecta jam olim locis varijs, in Marianorum dolorum memoriam ac cultum, piâ fraternitate.

## §. 3.

### *Quanta fuerit dolorum Deiparæ filio compatientis magnitudo.*

UT eorum dolorum acerbitas, quibus in filij paſſione Dei Mater concruciata atque oppreſſa, & tantùm non exanimata eſt, poſſit aliquouſq; æſtimari, duplex quaſi menſura aſſumenda, & præ oculis habendâ eſt; amor Matris, & dolores filij. Quorum ille quàm ingens, & ſupra quemcunq; omnium matrum amorem eſſet, ex eo licet colligere; quòd unigenitum in cruce pendentem, non tantùm ut filiū uteri ſui aſpiceret, & dilectum viſcerum ac votorum ſuorū, ſed tanquam Dominū ac Deum ſuum divinâ charitate complecteretur. Cùm & aliunde dolorum ejus immenſitatem, & vi luminis divinitùs infuſi clariſſimè perſpectam haberet, & eos vi nimiæ charitatis, conſenſu quodam in ſe transferret, ac filij mortem quodammodo ſuam faceret.

Ut proinde ipſa Beatiſſima Virgo, tribus verbis rem omnem complexa eſſe videatur, cùm de ſe dixit S. Birgittæ: *Dolor ejus erat dolor meus, quia cor ejus erat cor meum.* Quibus congruenter etiam S. Bonaventura: *Ibi filius* (inquit) *crucifigebatur cum matre, & propter mutuam & intenſam dilectionem, ex compaſſione mutua erat nimia afflictio utriusque; & maximè cùm pro invicem paterentur. Unde paſſio filij, erat* *L. 1. c. 35.* *P. 1. Stim. c. 4.*

*paſſio matris.* Nimirum abyſſus abyſſum invocabat; dum aſſiduâ quadam amoris doloriſq; reciprocatione, cruciatus filij in matris cor ac pectus devolverentur, ijdémq; rurſum è corde matris inſtar fluctuum repercuſſorum non ſine incremento in cor filij redundarent. Multiplici igitur amaritudinis abyſſo oppreſſum tunc fuit cor Virginis; ut jam non tam Maria eſſet, quàm Mara, hoc eſt amara: & ſe dolore fuſcam, & filij ſanguine tanquã decoloratam contemplans, dicere poſſet, quod ei tribuit Canticorum vetus interpres apud Delrium: *Ego quidem ſimilis ſum pelli rubricatæ, quia per compaſſionem doloris tincta ſum in ſanguine filij mei.*

Cant. 1.

Quapropter ad eam Marianorum dolorum magnitudinem exactius declarandam, illud primùm licebit cum SS. Patribus dicere: tormenta omnia & cruciatus, quos in cruce pendens filius ſuſtinuit in corpore, eoſdem illam ſtantem juxta crucem, quodam conſenſu paſſam eſſe in corde. Hoc enim in primis docent Ildefonſus, Sophronius, Bernardus & alij; qui addunt idcirco reginam martyrum, & plus quàm Martyrem fuiſſe. Quò etiam ſpectat illud B. Laurentij Juſtiniani: *Clariſſimum paſſionis Chriſti ſpeculum effectũ erat cor Virginis, nec non & perfecta mortis imago. In illo agnoſcebantur ſputa, convitia, verbera, & Redemptoris vulnera.* Bonaventura autem, ad hujus maternæ compaſſionis energiam exprimendam, ſpectare videtur cor Virginis velut centrum quoddam, in quod filij dolores in unum collecti, & velut ad vim majorem conglobati ſint. Ita enim ait Virginem alloquens: *Ejus vulnera* (nimirum filij) *per corpus ejus diſperſa, ſunt in tuo corde unita. Ibi, Domina, lanceatum eſt cor tuum; ibi ſpinis coronatum; ibi illuſum, exprobratum, & contumelijs plenum, aceto & felle potatum.* Qui proinde mox cor illud afflictiſſimum miſereſcens: *O cor amoris* (exclamat) *cur converſum es in globum doloris?* Et infrà: *Cor*

De triump. Chr. ago. c. 21.

P. 1. Stim. c. 3.

*Cor tuum alienatum totum præ dolore, non erat in te, ſed in affictione filij, & in vulneribus unici, & in morte dilecti.* Diſertiſſimè autem Richardus à S. Laurentio de Laudib. B. Mariæ: *Tam devota coadjutrix extitit ad mundi redemptionem; ut ſicut non fuit dolor, ſicut dolor ille, quem ſuſtinuit filius pro mundi redemptione: ſic non eſſet dolor, ſicut dolor ille, quem ipſa ſuſtinuit in corde pro eadem cauſa.* Et B. Albertus Magnus in opere itidem de Laudibus Mariæ: cùm eam dixiſſet fuiſſe quaſi roſam, rubricatam filij ſanguine: *Quantum enim* (ſubdit) *filius paſſus eſt corporaliter; tantum ipſa compaſſa eſt præcordialiter. Itaque pijſſimum cor ejus* (ut verbis Joannis Thauleri primam hanc rationem ſeu conſiderationem concludam) *velut uva, prælo crucis expreſſum eſt; adeò, ut cum filio ſuo potuerit dicere: Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem.*

*L. 3. fol.* [illegible]

*L. 12. c. 4.*

*Expl. paſſ. c. 17.*

Accedit deinde ad eandem dolorum Mariæ magnitudinem exaggerandam; quòd, ex mente S. Damaſceni: *quos in partu dolores effugerat, eos paſſionis tempore ſuſtinuit; ut quæ materná compaſſione viſcera ſibi lacerari ſenſerit.* Eóque ſcilicet crudelius, quod ut philoſophatur Rupertus Abbas: non modò Unigenitum ſuum, eúmq; jam ſanguinolentum ac lacerum, iterum quaſi parturierit; ſed & nos omnes cum Unigenito ſimul utero ſuo concludens, omnium noſtrûm ſalutem pepererit.

*L. 4. de fide c. 15.*

*L. 13. in Ioann.*

Cúmq; id habeamus inſuper ex ejuſdem Damaſceni ſententiâ: *ſicut antequam ullo partûs dolore afficeretur, peperit; ita etiam ipſius è vita diſceſſum doloribus caruiſſe:* illud pariter dicere licebit; eam in paſſione Unigeniti, non tantùm dolores partus, ſed etiam mortis angores, eſſe expertam; ut nimirum hi utrique cruciatus, quibus ex ſpeciali Dei diſpenſatione caruit, non ab ea abſolutè ſublati, ſed in hos acerbiſſimos atrociſsimóſque commutati eſſe videantur.

*Orat. 2. de dorm. B.M.*

Quod

Quod quidem à nobis non temerè dictum agnoſces, ſi attenderis, ex S. Anſelmi aliorumq; Doctorum ſententia: amantiſsimam Filij Unigeniti matrem, in eo temporis articulo, ijs fuiſſe angoribus oppreſſam, ut vi doloris extingui debuerit, niſi eam filij ſui ſpiritus miro quodam modo intrinſecus corroboráſſet. Atque ſi nonnullis uſuveniſſe compertum eſt, ut Servatoris noſtri cruciatus inſolitâ quadam animi contentione recogitantes, amoris dolorisq; vehementiâ corde diſrupto, extinguerentur: quanto id magis Dei parenti contingere potuit, quæ & unigenitum ſuum immenſo plus diligeret, & paſsionum ejus cruentam tragœdiam, non mentis duntaxat imagine, ſed ipſis oculis coràm ſpectaret, & acerbitatem doſorum ejus, cùm acutiùs perſpiceret, tum etiam prudentiùs æſtimaret.

*L. de excell. V. c. 5.*

Poſtremò par fuit (ut ex hoc denique dolores Virginis æſtimes) ut quæ, ex divina deſtinatione filij ſui in mundo redimendo certâ ratione cooperatrix exſtitit; ſimul cum illo corde convulnerata, cum illo corde concrucifixa, cum illo etiam corde commoriens, ipſos itidem dolores mortis pro noſtri amore experiretur. Quam cogitationem hoc ego loco non attexerem, niſi eandem Dei Matrem, & à Richardo à S. Laurentio verbis ſuprà laudatis, & à B. Alberto Magno, aliiſq; non paucis, coadjutricem filij ad mundi redemptionem viderem appellatam; & tandem audirem apud S. Birgittam in hunc modum diſertè loquentem: *Ego & filius meus redemimus mundum quaſi cum uno corde.* Cui modo loquendi etiam adſtipulantem invenio Theopneuſtam illam S. Catharinam Senenſem, in oratione quadam, his verbis: *Chriſtus redemit mundum ſuâ paſſione, Maria cum dolore corporis & animæ.*

*Super Miſſ: ad q. 148.*

*L. 1. c. 35. & alibi.*

*In die Annunc.*

Quæ tamen ne quiſquam ſecus atque oportet intelligat, & anſam exinde ſumat errandi; diſquirere placet hoc loco, quidnam hoc in genere ex mente ſacrorum Doctorum ipſi

ipſi Dei Matri poſſit attribui: ex quo deinde proclive ſit, quantum eâ cauſâ eidem debeamus, recognoſcere.

## §. 4.

### *Adduntur nonnulla ad majorem dictorum explicationem.*

IN primis prædictas aliásve ſimiles loquendi formas, quibus ſanctos Patres ſacróſq; Doctores ſæpiùs uſos eſſe reperimus, nemo (opinor) ſic accipiat; quaſi Dei Mater, etiam cum filio ſuo, verè ac propriè mundi redemptrix extiterit: quippe cujus mèrita (prætèrquam quod vim omnem ac dignitatem ſuam, à filij meritis velut à radice acceperint) etiã cum ſuo quantocunque valore, condignum aut æquale pretium redemptioni mundi eſſe non potuerint; ut in ſchola demonſtrant Theologi. Neque ſic, quaſi per matris dolores acceſſio aliqua aut adjectio facta ſit, ad complendum pretium illud magnum, quo empti ſumus ac redempti à filio: cùm hujus merita, utpote valoris infiniti, abundè ſufficerent ad copioſam & ſuperabundantem redemptionem. Verùm prædictæ SS. Patrum locutiones aliquo ex his modis universè accipiendæ ſunt: ut nimirum Deipara Virgo, ſive ad majorem cum divina voluntate conſenſionem, ſive ad expreſſiorem cum filio ſuo patiente ſimilitudinem, ſive ad conteſtandum hac in parte incredibilem ſuum erga humanũ genus amorem, dolores ſuos cum Redemptoris cruciatibus conjunxerit, eóſq; pariter (quantũ in ſe erat) pro mundi redemptione obtulerit, ſéq; etiam ipſa quodãmodo pro nobis immolaverit; parata etiam noſtrâ cauſâ crucifigi ac mori unà cum filio, ſi id opus fuiſſet, aut ita Deo complacitũ eſſet.

Ex quibus videtur triplex potiſſimùm haberi ratio, ſecundùm quam dicatur Dei Mater ad opus noſtræ Redemptionis unà cum filio conveniſſe: quarum unaquæque, uti ad ipſius Virginis gloriam, & noſtrum omnium conſolationem facit,

facit, ita ſigillatim à nobis modò explicanda eſt, & aliquo pondere autoritatis ſtabilienda.

*Prima* igitur eſt: quòd Virgo beata cruentæ filij ſui unigeniti immolationi pro ſalute noſtra, libens aſſenſa ſit, atq; eo aſſenſu eum quodãmodo pro nobis in mortem tradiderit; atq; eo pacto humano generi redimendo adlaborarit.

*Diſt. 48. a. 2. q. 2.* *Etenim nullo modo eſt dubitandum* (inquit Doctor Seraphicus ſcribens in 1. ſententiarum) *quin virilis ejus animus & ratio conſtantiſſima vellet etiam tradere filium ſuum pro ſalute generis humani, ut mater per omnia conformis eſſet Patri.* Et

*Tract. 2. de Canticis.* de eadem loquens Joannes Gerſon: *Proprium filium ſuum, dilectum viſcerum ſuorum conſenſit crucifigi pro redemptione noſtri, dans nobis illum, utique cum gaudio & exultatione, quæ ſummam ſuperabant carnis anguſtiam.* Denique Richardus à

*L. 4. tit. Mariæ dilectio.* S. Laurentio: *Tunc enim* (inquit) *propter nimiam charitatem quâ dilexit nos, dedit unigenitum pro ſcelere noſtro, & fructum*

*Mich. 6.* *ventris ſui pro peccatis animarum noſtrarum.* Et infrà: *Unde ſecurè dici poteſt & credi, quòd ſicut dicitur de Patre* (Joannis 3.) *Sic DEUS dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret pro mundo; ſic & dici poteſt de ea: ſic MARIA dilexit mundum, hoc eſt peccatores, ut filium ſuum unigenitum daret pro ſalute mundi.* Quibus conſonat Joannes Thaulerus apud Bloſium in Explicatione paſſionis cap: 6. & 13.

*Secunda:* quòd (ut dicebamus) ad mortem pro nobis unà cum filio ſubeundam paratiſſima fuerit; immo ad hoc ipſum ſeſe obtulerit, ſi qua id ratione ad opus humanæ redemptionis conferre poſſet.

Quod cæteris expreſſiùs tradit Arnoldus Carnotenſis, Abbas Bonæ vallis, ad quem S. Bernardus ſub mortem, poſtremam ſuam dictavit epiſtolam, & qui ejuſdem S. Bernardi vitæ librum ſecundum ſcripſit. Is igitur ſermone 3. de ultimis verbis Domini, de DEI Matre cruci adſtante loquens: *Optabat quidem ipſa* (inquit) *ad ſanguinem animæ, & carnis ſuæ*

*ſua addere ſanguinem, & elevatis in cruce manibus celebrare cum filio Sacrificium veſpertinum, & cum Domino JESU corporali morte redemptionis noſtræ celebrare myſterium. Sed hoc ſolius ſummi Sacerdotis erat privilegium, ut de ſanguine munus intra ſancta inferret, nec poterat ei conſors hac eſſe cum aliquo dignitas, & in reparatione hominis, nulli angelo, nulli homini cum eo fuit aut eſſe potuit communis autoritas. Cooperabatur tamen plurimùm ſecundùm modum ſuum, ad propitiandum DEUM, ille Matris affectus.* Hæc ibi. Quod autem ulteriùs ſermone alio ſignificat idem autor: fortaſſis exiſtimaſſe B. Matrem, ſua ipſa morte ſe aliquid publico muneri redemptionis addituram: rectè eo loco admonet Franciſcus Titelmannus, piè intelligendum eſſe; non quaſi putaverit filij mortem non ſufficere ſine ſua, aut ſe poſſe in tanto opere filio ſuo quaſi ex ſe inſufficienti cooperari, ſed tantùm quòd deſiderabat ſe quoque impendere in idem opus, in quod filius ſe impendebat. Cæteroqui enim (quod non obſervat Titelmannus) verba illa non tam Arnoldi ſunt, quàm Ambroſij in Lucæ caput 23. & alibi, ita ſcribentis: *Aut fortaſſe quia cognoverat per filij mortem mundi redemptionem, aula regalis putabat ſe & ſuâ morte publico muneri aliquid addituram. Sed JESUS non egebat adjutore ad omnium redemptionem, qui dixit: factus ſum ſicut homo ſine adjutorio, inter mortuos Liber. Suſcepit quidem matris affectum, ſed non quæſivit hominis auxilium.* Audiatur etiam Richardus à S. Laurentio loco ſuprà citato: *Tanta fuit MARIÆ charitas ad nos, ut quaſi gaudenter quodammodo ſuſtinuerit mortem filij, & cum ipſo deſideraverit, ſi neceſſe eſſet, mori ob redemptionem generis humani.*

*De Laudib. Mariæ.*

*L. 10. in Luc. & l. 3. epiſt. ep. ult.*

*Tertia:* Quòd filio ſuo ex toto corde compatiendo, ejúsq; dolores in ſe, quoad licuit, transferendo, & ſanguinem cordis cum filij ſanguine commiſcendo, ſeſe etiam reipsâ, certá ratione, pro nobis immolaverit, & in illa cordis



Digitized by Google

ſui cruce & patibulo ſpiritûs, velut hoſtia viva, ex filij ſui imitatione, pependerit.

*De Laudib. Mar. ſerm: 3. cit:* Præclarè enim hîc Arnoldus Abbas: *Omninò tunc erat una Chriſti & MARIÆ voluntas, unúmq; holocauſtum ambo pariter offerebant DEO; hæc in ſanguine cordis, hic in ſanguine carnis.* Et alio in loco: *Nimirum in tabernaculo illo* (in monte ſcilicet Calvariæ, velut in tabernaculo fœderis) *duo videres altaria: aliud in pectore MARIÆ, aliud in corpore Chriſti. Chriſtus carnem, MARIA immolabat animam.* Quam loquendi figuram imitatum invenio Joannem Thaulerum, dum matrem dolorum his alloquitur, quæ pro clauſula capitis appono: *Expl: paſſ. c. 17.* *Hic videre erat duo altaria, Patri cœleſti ob excellentiam Sacrificij gratiſſima, alterum in filio tuo, alterum in te. Et quia in ſacrificio ſanguinem exteriùs cum filio fundere non poteras, decoxiſti atque abſumpſiſti illum intus ferventiſſimo amoris atq; doloris igne. Atque hoc pacto ſacrificium tuum pro cunctis gratiæ filijs (quorum ipſa mater es) feciſti atque immolâſti.* Iſta Thaulerus.

Ex quibus ad extremum conficiemus, quantum debeamus amantiſſimæ DEI Matri; & quàm illa meritò à nobis poſtulet, ut ei ex animo compatiamur: ut quæ dolores illos incredibiles, non tantùm Unigeniti gratiâ, ſed noſtrâ etiam causâ ſuſceperit, ſeq; ipſa pro ſalute noſtra (quantum in ea fuit) mente promptiſſimâ unà cum filio, hic patiendo, illa compatiendo, divinæ juſtitiæ immolaverit. *Et in hoc* (inquit S. Bonaventura loco citato ex primo ſententiarum) *miro modo debet laudari & amari, quòd placuit ei, quòd Unigenitus ſuus pro ſalute generis humani offerretur. Et tantùm compaſſa eſt* (ſubdit) *ut ſi fieri potuiſſet, omnia tormenta quæ filius pertulit, ipſa multò libentiùs ſuſtinuiſſet.* Ita S. Doctor: pleraque eorum quæ hoc capite diximus, ſuo calculo confirmans.

CAPUT

Digitized by Google

# CAPUT XXVI.

## *Qui conveniat animam Chriſto patienti devotam, in ejus myſterij admiratione, eiq; cognatis affectibus, interdum exerceri.*

### §. I.

*Actus Admirationis.*

SI qua unquam res admiratione, immo ſtupore & ecſtaſi digna fuit, ea certè eſt, Chriſtus patiens, Chriſtus moriens, & paſsione ac morte ſuâ perficiens opus redemptionis noſtræ. Hoc enim opus eſt, ad quod (vel ipſo Paulo præeunte) transferre liceat ea Habacuc Prophetæ verba: *Aſpicite in gentibus, & videte; admiramini, & obſtupeſcite: quia opus factum eſt in diebus veſtris, quod nemo credet cùm narrabitur.* Quod enim, amabo, eſt opus illud adeò admiratione & ſtupore dignum; niſi quòd intuemur DEI filium, Dominum Majeſtatis, & regem gloriæ, pro viliſsimis mancipijs, pro ſervis nequam, & infenſiſsimis inimicis, Tertulliani verbo, *in tantum humilitatis exhauſtum*; ut ab ijs ipſis, quorum amore huc deſcenderit, vincula ſuſtineat & opprobria, dolores & ignominiam, alapas & ſputa, flagella & coronam ſpineam, clavos & crucem, vulnera & mortem? *Opus, quod nemo credet, cùm narrabitur:* quia ſi humanis rationibus iſta penſentur, & niſi vis major intellectum ſibi ſubijciat; quàm rerum iſtarum vel ſuſpicio longè eſt ab humana mente, tam procul eſt earum fides à corde.

*Act. 13.* *Habac. 1.* *De Car. Chr. c. 15.*

Enimverò (ſi rem, quatenus oportet, perpendimus) tanta eſt, támq; incredibilis, ejus operis admirabilitas, ut omnem tranſcendat & exſuperet etiam Angelicam intelli-

gentiam. Ut enim hoc dicam cujusdam exempli gratiâ: Si Deus ſupremum Angelorum, aut unum quemvis ex eorum numero, eâ gratiâ deſtinaſſet in terras, ut ſub aſſumptâ qualitercunq; hominis figurâ atque habitu, pro ſalute noſtra procuranda, mortalium omnium injurijs ac ludibrijs objiceretur: obſtupeſceret, credo, ad factum inſolens reliqua cœleſtis militiæ multitudo; &, niſi quòd in illo beato ſtatu, Dei voluntatem ſubmiſsè reverentur in omnibus, tamen ſi facti naturam ſpectes, æmulatione aliquâ ſcilicet, & nonnullo quoq; indignationis ſenſu tangerentur; quòd inſontem pro reo, ſanctiſſimum pro impio, beatiſsimum pro infelicisſimo, ſublimem prorſus cœleſtémq; naturam pro terræ filio ac luto vili, ei ſubijceret indignitati. Quo igitur modo eos nunc affici oporteat, cùm communem ſuum totiúsq; univerſi procreatorem, Patrem, Dominum, Principem, à cujus immenſa dignitate, ſublimitate, excellentia ſeſe infinito diſtare intelligunt, contuentur vermium viliſsimorum ingratiſsimorúmq; gratiâ, in eam dolorum, opprobriorum, ærumnarum abyſſum eſſe devolutum.

Hujus adeo rei myſterium, tam ab omni mente, & quamvis acutâ ac perſpicaci intelligendi vi remotum atque ſubductum eſt; ut ſublimiſsimi quique Seraphinorum illud ſuſpectent attoniti, & id, cujus modum & rationem ſatis capere & exprimere nequeant, ſolâ quodammodo admiratione venerentur.

*Iſai. 6.* Huc etenim illud referri poteſt, quod (teſte S. Hieronymo) quidã Latinorum Interpretum, per *duo Seraphim* (qui apud Iſaiam *clamabant alter ad alterum*) *vetus & novũ teſtamentum* dicunt adumbrari; & *mirari ad invicem, quòd DEUS Sabaoth in forma DEI Patris poſitus, formam ſervi acceperit, & humiliaverit ſe uſque ad mortem, mortem autem crucis.*

Cui cogitationi non abſurdè hanc adjunxerimus: Quemadmodum ſcilicet cœleſtes illi Seraphini, divinæ naturæ

turæ infinitatem, ineffabilémq; eminentiam contuentes; cùm ſe ex immenſo illo divinarum laudum pelago, cui immerſi ſunt, ut ita loquar, evolvere non valeant, aut id etiã, quod de illo capiunt, liberè profari; aſsiduo clamore ſuum illud ſolenne congeminant: *Sanctus, ſanctus, ſanctus;* unâ illâ voce omnem complexi divinæ naturæ abſolutionem: ita cùm ad ipſum Chriſtum converſi (cujus gloriam Joanne teſte, eo loco vidit Iſaias) ejus in forma ſervi humilitatem, abjectionem, exinanitionem contemplantur, & quò tandẽ noſtrâ vermium causâ ſumma illa majeſtas, & ad quàm indigna, quámq; acerba, ídq; ſolâ ſuæ bonitatis atque amoris incitatione, deſcenderit: non habent, opinor, quo portentum illud ineffabilis benignitatis celebrent ac proſequantur acroamate, niſi Amoris nomen iterent, iteréntq; aſſiduè, ad invicem exclamantes: *ô amor! ô amor! ô amor!* eáq; congeminatione magnam myſterij admirabilitatem indicantes. *Joann: 12.*

Quod ipſum ſubinde etiam in hac mortali vita uſuvenire legimus animabus ſanctis, in penitiorem ejus myſterij contemplationem ingreſſis. Quas inter B. Magdalena de Pazzis; cùm aliquando immenſam Chriſti pro nobis Crucifixi charitatem profundiùs commentata eſſet; ſummâ illius admiratione ſic affecta eſt, ut ſui vix potens, cum Crucifixi effigie, omnia ædium hortiq; ſpatia ultro citróq; concurſans, nihil præterquàm exclamaret: *ô amor! ô amor! ô amor!* atque ab obvijs Sodalibus, ut is amor ametur, contenderet. *P.1.Vit. c.11.*

Subinde igitur ſimili aliquâ ratione, ad aſpectum Jesu crucifixi exerceri poterimus; ex ejus myſterij attentiori conſideratione, Amorem, Amorem, Amorem congeminantes. Quæ quidem, tametſi id unum agas (uti hîc etiam obſervat P. Rodriquez) optima erit & multùm utilis oratio. *P.1. tract. 7. c. 7.*

Poſſumus etiam, velut pro loci compoſitione, figurare

re animo, tanquam ſi ad Chriſti crucem in monte Calvario, cum DEI Matre & dilecto diſcipulo, adſtemus; eorúmque proinde habitum affectúmq; obſervare, quos dubium non ſit, etiam inter acerbiſſimos dolores, earum rerũ quæ tunc gererentur altâ contemplatione ſuſpenſos, eo ſpectaculo miraculóq; hæſiſſe attonitos: ſecundùm quod Simon de Caſsia, ad illa verba S. Joannis: *Stabant autem juxta crucem JESU, &c. Sed Mater ejus* (inquit) *mente plus quàm oculis ferebatur in illum. Et quanquam preſſa doloribus, perſpicaci cordis aſpectu contemplabatur illum, atque præſentia & futura myſteria ejus, cùm illuminandus eſſet mundus in ſplendoribus ejus.* Hæc illa ſpectabat videlicet, cùm ea animi ſpectaculo perculſi admiratione, quam utique adferre atque inferre conſueverit, rei magnæ atque inſolentis præſens contemplatio. Neque diverſus erat cœleſtis illius aquilæ, Joannis inquam, eadem myſteria profundâ ſecum meditatione convolventis, affectus. Cùm ille fortaſſis retractaret animo, particulatímq; expenderet, quod compendio Chriſtum Nicodemo dixiſſe meminerat: *Sic DEUS dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret.* Ubi vocula *ſic* admirationi ſervit, & multas gravésq; cauſas ſuggerit admirationis.

*L. 13. qui de paſſione.*

*Joann. 3.*

*Sic* enim, *ſic DEUS dilexit mundum, ſic*, inquam, *ſic*; hoc eſt, uſque ad ſummam & inauditam & incredibilem filij ſui unigeniti depreſsionem & exinanitionem. *Sic, ſic*; hoc eſt, uſque ad vincula, ſputa, ſannas, flagella; uſque ad ludibrium coronæ ſpineæ; uſque ad crucis patibulum; uſque ad infamem & turpiſſimã atque acerbiſſimam necem. *Sic, ſic, ſic, DEUS dilexit mundum.* Ut jam ſit, quod rurſum exclamare libeat: *ô amor! ô amor! ô amor!* O amor, qui de ſinu Patris quodammodo detrahis unigenitum! ô amor, qui (ſecundùm hominem loquor) DEI ſapientiam infatuas! ô amor, qui infirmum facis, omnipotentem! Iterum hìc dicam: *ſi contra DEUM fortis fuiſti*, ô amor! *quantò*

*Geneſ. 32.*

*quantò magis contra homines prævalebis?* Et tamen cor noſtrum caute durius, non liqueſcit ad hoc incendium; & cùm tot cauſas Deum amandi habeamus, aliâ qualibet flammâ capi faciles, etiam fatuos ignes ſequimur; & (quod novâ rurſum admiratione dignum eſt) ad ejus amorem, cui uni amando facti ſumus, præduri ac flecti indociles, & tanquam ſine ſenſu perſtamus. Ut meritò dolens quisq; exclamet cum S. Bonaventura: *Undiq; me circumdat amor; & neſcio quid ſit amor.* *P.2.Stim.c.2.*

## §. 2.

### *Admirationis fructus.*

AT neque exercitationem hujusmodi rem otioſam ac ſterilem eſſe putes, aut fructu vacare temporis moram, quam ei tractandæ fortaſſe deputaveris: quin potiùs id opus exiſtima, plenum eſſe non modò ſolatij, ſed etiam compendij ſpiritualis. Siquidem in primis ea divinæ bonitatis admiratio, egregia quædam laus Dei eſt; quia non admiramur, niſi cujus ſummam eminentiam agnoſcimus, ipſáq; noſtrâ admiratione conteſtamur. Ut quod apud Agellium Muſonius dixit Philoſophus: *magnam laudem non abeſſe ab admiratione;* id convertere nobis liceat, & dicere: admirationem à magna laude non abeſſe; immo ipſam, magnam laudem eſſe. Etenim ſi nulla laus hac illuſtrior eſſe poteſt, quàm cùm rem quampiam ſic commendamus, ut dicamus eſſe prorſus admirabilem: ipſa profectò admiratio, magna laus erit; cùm actus ipſe admirandi, tacita quidem, ſed efficaciſſima ſit profeſſio admirabilitatis. *l.5.c.1.*

Neque fallor, opinor, ſi dixero: magnam eam laudem, quâ beatæ mentes divinam gloriam intermiſſo conatu concelebrant; in aſſidua iſta (quam paulò antè memorabamus) ſempiternæ naturæ, & incommutabilis pulchritudinis admiratione, magna ex parte conſiſtere. *Hac namq; beata viſio*

Digitized by Google

*De diſcipl. monaſt.* *viſio* (inquit in eam rem B. Laurentius Juſtinianus) *& viſionis admiratio, vita æterna eſt.*

Rurſum: ea ipſa divinæ bonitatis, in Unigeniti præſertim paſsione ac morte relucentis, admiratio, confeſtim amorem ejuſdem bonitatis ingenerat, aut ſanè conceptum, partúmve fovet, alit, intendit. Quid enim factu proclivius, quàm ut inflammati, ejus amore rapiamur; cujus præſtantem atque incredibilem bonitatem, cum admiratione, contemplamur? Nam, ut de Beatis, claro divinitatis conſpectu fruentibus, ait quidam autor inter opera S. Auguſtini: *Admirantes diligunt, & diligentes admirantur; ut inextinguibiliter per admirationem ardeat dilectio, & ſuaviter in dilectione ferveat admiratio.* *Super Magnif. t. 9.*

Atque ex his porrò & iſti ſubnaſcuntur affectus. Primùm ſuavis quidam & intimus exultantis animi ſenſus; dum ſeſe conſpicit tantoperè à Deo amatum, & tanto pretio à Christo Jesu redemptum. Sic enim & S. Bonaventura parte 1. Stim: cap: 4. fines varios exercitationis circa Domini paſsionem exponens, conſiderationi ad compatiendũ, ſubjungit conſiderationem ad admirandum, & huic conſiderationem ad exultandum. Uti etiam Henricus Harphius *L. 3. c. 39.* in ſua Theologia myſtica, magnitudini admirationis ſubnectit magnitudinem exultationis.

Hinc etenim homini completur mens ſanctâ dulcedine; neque mente tantùm, ſed quaſi omnibus etiam membris ſui corporis, exultat in Deum amore ſui crucifixum; exclamans cum Rege Propheta: *Omnia oſſa mea dicent: Domine, quis ſimilis tibi?* *Pſal. 34.* Quæ quidem eſt ſimul admirantis, & admirando laudantis; ſimul (quod ajunt) medullitus intimisq; ſenſibus exultantis, oratio.

Ex quo etiam exiſtunt feſtivæ voces, gratiq; animi in amantiſsimum ac beneficentiſsimũ Redemptorem indices: quales vel illæ ſunt in Apocalypſi, Sanctorum Deo & Agno qui

qui occiſus eſt gratulantium, & omnem ſuam felicitatem eis acceptam referentium: vel ejusdem Prophetæ in pſalmis ſuis; ubi modò ſe ipſum & omnia interiora ſua concitat ad benedicendum Deo, qui omnibus ſuis iniquitatibus propitiatus ſit, vitam ſuam de interitu redemerit, & miſericordiâ ſe coronârit ac cinxerit; modò alios advocat ad beneficiorum ab illo acceptorum conſcientiam: *Venite* (inquiens) *audite, & narrabo omnes qui timetis* DEUM; *quanta fecit Dominus animæ meæ*; modò quaſi ad id ipſe per ſeſe non ſufficiat, provocat res creatas omnes, ut Deum quà poſſunt arte laudent, ſibíq; ad ei pro tantis promeritis gratulandũ, quaſi vicariam aut ſubſidiariam operam præſtent. *Pſal. 65.*

Hic eſt enim deniq; extremus ac potiſſimus iſtius exercitationis fructus: incenſa nimirum atque inſatiabilis, in animo tantam Chriſti charitatem admirantis ac deamantis, ipſum amantiſſimum Salvatorem, quibus poterit modis, laudandi extollendíq; cupiditas, ejúsq; dulcem miſericordiam, non in iſta tantùm mortali vita, ſed multò maximè in beata illa & immortali in æternum celebrandi. Cúmq; huic muneri, pro eo ac vellet, implendo, quidquid conetur, tamen imparem ſe ſentiat; circumſpicit omnia, num quid alicunde ſubſidij ſeſe offerat; invitátq; proinde in ejus officij ſocietatem cœlum & terram, nec Angelos modò hominésve, ſed res univerſas, etiam inſenſibiles & inanimas; ut fiat denique quod ſcriptum eſt: *Et omnem creaturam quæ in cœlo eſt, & ſuper terram, & quæ ſunt in mari, & quæ in eo; omnes audivi dicentes: Sedenti in throno & Agno benedictio & honor, & gloria, & poteſtas in ſæcula ſæculorum.* *Apoc. 5.*

De hoc porrò affectu divinæ laudis, uti fructu quodam admirationi agnato, ad quandam materiæ præformationẽ, & quaſi in anteceſſum hæc poſuimus. Alioqui per ſe digna res eſt, cui pleniùs retractandæ ac reguſtandæ, novo hinc ſumpto exordio, caput proprium attribuamus.

# Caput XXVII.

## *Exercitium ſuperiori affine: Gratiarum actio & vox Laudis.*

DUo hæc invicem jungimus, ſecuti Scripturam Iſaiæ 51. capite; eóq;, quia in re præſenti, pro accepto dono gratias agere, & donatorem ipſum ut beneficum ac munificum laudare, paria ſint, & quaſi pro uno eodémq; reputentur.

### §. I.

### *De eo exercitio aliquid præmiſſum generatim.*

EQuidem, uti principio (hoc eſt, parte primâ extremâ) diſputavimus; par eſſet, hominem Chriſtianum, quantum fert vitæ mortalis conditio, redemptionis noſtræ incomparabile beneficium noctes diésq; tractare animo, ſecúmq; reputare; ſimúlq; ipſi Redemptori aſſiduam pro eo gratiam habere atque referre. Ea quippe eſt ejus beneficij magnitudo, ut tametſi duntaxat ut ſemel exhibitum præteritúmq; ſpectetur, ei tamen nos ipſos in omnia deinceps ſecutura ſæcula debeamus; & rurſum ea eſt ejuſdem ſemper vigentis, ſempérq; operoſi perennitas, ut alijs aliiſq; in horas ac momenta ſingula nos bonis doníſq; cumulans, veluti perpetuò novum ac recens, ipſóq; uſufructu ſuo ſemper increſcens, novam ſemper ac novam, eóq; ipſo perpetuam, à nobis gratiam poſtulare videatur. Ut proinde hic quoq; valeat, quod in ſimili cauſa Chryſoſtomus: *Non tam ſæpè reſpirare oportet, quàm DEI* (dicamus nos, quàm Chriſti Domini ac Redemptoris noſtri) *meminiſſe.*

Accedit; quòd cùm, ex Angelici Doctoris receptâ
*22. q. 107. a. 2.* ſententia, tria ordine quodam ad gratitudinem requirantur: primum, acceptum beneficium agnoſcere; alterum, illud lau-

laudare, & gratias agere; poſtremum (prout facultas ac vires ſuppetent) facto ipſo gratiam rependere; aliunde autē, ſive ob immenſam ipſius promeriti magnitudinem, ſive ob perſonæ cui obſtricti ſumus infinitam excellentiā, noſtrámque ex altero extremo vilitatem, inopiam, infirmitatem, nihil ſit quod illi valeamus rependere, niſi cor amoris, & laudis, & gratiarum actionis pleniſſimum: jure utique à nobis poſtulat, ut de eo quod nobis ſuppetit, primo inquam & altero illo gratitudinis genere, poſtremum quod nobis deeſt (quoad ejus quidem fieri poterit) ſuppleamus; hoc eſt, ut crebrò ardentérq; repetitis, ſinceris obſtrictæ voluntatis affectibus, velut exili quodam tributo, totum quod ſumus habemúsve, Redemptoris ipſius beneficio tenere nos profiteamur; ac denique eam, de qua loquimur, gratiarum actionem, & vocem laudis, tanquam duo minuta de paupere noſtro peculio, in afflictiſſimi pro nobis cordis Jesu (ut cum Thaulero illud appellat Bloſius) gazophylacium, immittamus.

Quapropter cùm commendatione, tum verò etiam imitatione dignum videtur eorum ſtudium; qui nullam diei horam præterfluere, ſibive elabi ſinunt, quin (ad ipſum, opinor, ſonum horarium) caput aliquod paſſionis Chriſti, brevi quadam animi reflexione, in memoriam revocent, ſimúlq; modicâ ad ipſum Jesum aſpiratione, pro eo cruciatu ipſorum causâ tolerato, gratias agant, promptúmq; ad ejus obſequia animum, atque id fortaſſis quod eâ horâ tractant operis, ad ejus honorem atque gloriam offerant. Quam artem clarum eſt (quanquam ab homine exercitato, quaſi puncto temporis peragi poſſit) tamen ſive ad ipſum Salvatorem demerendum, ſive ad opera quotidiana innocenter piéq; exigenda, hoc eſt, ad bene beatéq; vivendum, ipſo ſuo genere conferre plurimùm.

Sed quoniam neque hoc omnibus convenire videbitur

tur (varia quippe ſunt hominum aut ingenia, aut ſtudia) id ſaltem conſultum, enitendúmq; erit unicuique, ut varijs per diem occaſionibus, putà cùm inter vias fortè in Crucifixi ſignum aliquod incurrit, cùm templum obvium, etiam obiter precandi cauſâ ſubit, cùm manè aut veſperi ad ſtatas preces vel conſcientiam excutiendam ſe colligit, piâ aliquâ mentis aſpiratione, Chriſto pro ſe paſſo gratias agat, & vel tenue ſaltem debitæ laudis penſum referat. Tum verò illud addat inſuper, ut ex intervallo, atque opportuno ad id delecto tempore, in eo adverſus bonum Jesum non ingratæ mentis officio, operoſiùs ſe accuratiúsq; exerceat. Quam in rem nonnullas adſcribo cogitationes meas; ſi quis eas fortè non indignas cenſeat, quas ſimili aliqua in exercitatione uſurpet.

## §. 2.

### *Priora monita ad uſum præſentis exercitij conducentia.*

PRimò igitur, uti dicebam, idoneo aliquo tempore, ſive quod ſtatæ meditationi quotidie deſignatũ habeas, ſive alio extra ordinem aſſumpto, coram aliqua Chriſti patientis imagine, ad iſtud erga benigniſsimum Redemptorem non ingratæ mentis obſequium, hunc ferè in modum exercebere.

Piæ commentationis argumentum ſit Dominicæ paſſionis hiſtoria: cujus partes ſingulas, aut præcipua ejus capita ita percurras; ut, exempli causâ in illius quod primùm occurrit, puta orationis in horto, agoniæ, & ſudoris ſanguinei contemplatione tamdiu inſiſtas, uſque dum commoveri animo, & ad condolendum compatiendúmq; Domino tuo inclinari te ſentias. Tum verò in ipſos gratitudinis affectus effuſus, laudabis & gratus agnoſces immenſam erga

te

te charitatem Domini tui, qui tuâ gratiâ tam incredibiles cruciatus, & hos nominatim dulciſſimi ſui cordis angores ſuſceperit; gratias ei ages amantiſſimas pro tam ſingulari beneficio; eiq; cor tuum, ac promptum animum, ad ſimilia pro ejus amore libenter ſufferenda offeros.

Atque ubi hiſce affectibus, quantum animi feret devotio, & (ut S. ait Bonaventura) *amoris ſapor*, indulſeris: inde progredieris ad aliud atque aliud myſterium, in eorum ſingulis particulatim contemplandis tantiſper (ut dictum eſt) inſiſtens, atque pro clauſula contemplationis, in jam memoratis affectibus, aut his ſimilibus, pro myſterij diverſitate, ſtudioſiùs te exercens. *In tab. Stim. div. amoris.*

Videri poſſunt apud Bloſium, atque ſubinde uſurpari, nonnullæ (ut ipſe appellat) *Doxologiæ & gratiarum actiones*, quibus Dei Filium, Jesum dulciſſimum adorat, laudat, glorificat, eiq; ſigillatim gratias agit, pro quovis ipſius labore, dolore, cruciatu, opprobrio, anguſtia, cruce ac morte, hoc eſt (ut ipſe ait) pro univerſis miſerationibus ſuaviſſimæ pietatis ejus: earum ſingulas ijsdem verbis exordiens, atq; ad extremum piâ ac prædulci prece concludens, cum exigua quandoque juxta myſterij rationem diverſitate. *Scrin. ſpir. &c.*

Aliàs autem poteris non diſſimiliter exerceri, non jam percurrendo Dominicæ paſſionis hiſtoriam, ſed Chriſti in cruce pendentis (cujus effigiē eapropter præ oculis habeas) membra ſingula plagáſve piâ meditatione luſtrando: & quid in ſingulis paſſus ſit Salvator moroſè diſpiciens, & pro ſingulorum cruciatuum acerbitate privatim ac propriè gratias agens, & quid te par eſſet eâ causâ facere aut pati cum animo tuo exquirens, ac denique dolores omnes, quos ijsdem in membris te fortè experiri contigerit, in ejus beneficij recognitionem, & quandam velut repenſationem offerens.

Quæ quidem exercitij ratio, quàm Chriſto grata ſit, inde

L. 2. c. 14. inde collige; quòd S. Mechtildi aliquando manifeſtaverit: eum qui ipſi gratias agit, pro membrorum in cruce diſtenſione, v. g. perinde facere, acſi ei plagas leni unguento unxiſſet; qui pro ſiti ardente, quam noſtrâ cauſâ pertulit, perinde atque ſi optatum potum ipſo in tempore præbuiſſet; & ita de alijs.

*Secundò:* Inter exercendum, veluti oppreſſus ipſâ beneficij magnitudine, ſubinde apud Clementiſſimum JESUM amanter excuſabis virium tuarum imbecillitatem, & ſenſuum affectuúmq; inopiam: quâ fiat, ut ne pro eo quidem ac velles, nedum pro eo ac res poſtulat, laudem ei dicere, gratésve rependere poſſis. Præclarum id quippe DEóque dignum præconij genus eſſe videtur: ſi, quia ſupremæ illius Majeſtati, amori, beneficentiæ dignè celebrandæ, prorſus imparem te ſentias, id quaſi pro omni laudatione profiteare; apertè ingenuéq; confitens, illam ſive divinæ ipſius naturæ, ſive propenſiſsimæ, ad ſe totam in nos profundendam indolis bonitatiſq; excellentiam, omni (etiam angelicâ) eam laudandi facultate, voluntate, conatu, deſiderio, immenſùm ſuperiorem eſſe.

Cui interim tuæ egeſtati parte aliquâ ſublevandæ atq; ſupplendæ, tanquam impatientis deſiderij æſtu jactatus, ſolicitabis res creatas omnes, & (prout capite ſuperiori præmonuimus) eas velut in partem vocabis tam dulcis officij, ut quod ore unico minùs vales, id innumerabilibus totius naturæ linguis efficere coneris. Ideóq; cum pſalte regio,
Pſ. 148. aut regijs illis fornacis Babylonicæ pueris, non ipſum tan-
Dan. 3. tùm cœlum & terram, maria & abyſſos, montes & colles, Solem & Lunam, noctes & dies, aliáque ejuſmodi advocabis; ſed ipſas etiam volucres cœli, ac maris terræq; beſtias, ipſóſq; adeo (Davidis exemplo) ſerpentes & dracones deſerti. Habent quippe & hi linguam ſuam, quâ ſui enarrent gloriam ac munificentiam Conditoris: ut hoc ipſe DEUS velut

lut gratulabundus prædicet, per Iſaiam dicens: *Glorificabit me beſtia agri, dracones & ſtruthiones.* *Iſai. 43.*

Quo loco rurſum mihi admonendus es: ut quando creatam naturam omnem, ad divinam illam laudationem gratulationémq; provocas, & ad tua vota tanquam ſubſidiariam accerſis; tu ei viciſſim eam in re præſenti præſtes operam, ut Chriſto mundi Redemptori, & totius univerſi Capiti, ipſius rerum univerſitatis nomine quandoq; gratuleris. Siquidem cùm inter mortales, nimio plures reperiantur, qui Dominum Jesum mortem pro ſe paſſum ignorent, aut pro tam ingenti beneficio gratias agere contemnant; cætera autem natura rerum, utpote bruta aut inſenſibilis, neque cor neque mentem habeat, quibus Dominum ſuum ac Principem amare aut agnoſcere poſſit: poſtulare videtur tua adverſus Jesum, communem Dominum, devotio; ut & iſtorum ingratorum nomine, peculiarem ei interdum gratiam habeas, & reliquæ etiam naturæ vice, eidem amorem, cultum & obſequium deferas; & ſicut illa tuum quodammodo, ita tu illius ea in parte defectum ſuppleas. Hac etenim arte (uti bonas mentes quandoque delectat pia aliqua iſtiusmodi commentatio) id tibi conſecutus videbere; ut numeroſo quaſi concentu, & non modò conſpirantibus in unum, ſed vario tanquam repercuſſu, intendentibus ſeſe univerſæ naturæ vocibus, ad Dei Chriſtiq; gloriam, plenior exultet gratiarum actio, & vox laudis jucundior exiſtat.

## §. 3.

### *Poſteriores eandem in rem præceptiones.*

Tertiò: Sed quando hanc omnem, quæcunq; eſt, vel divinis ipſis beneficijs, vel votis animæ Deum valdè amantis, laudem imparem eſſe comperies; eò denique mente conſurges, ut non per te ipſum duntaxat, nec per iſta ſolùm rerum creatarũ velut inſtrumenta vicaria, Dominum tuum laudi-

laudibus ac gratiâ perſequi ſtudeas; ſed huic quoque naturæ totius ſupplendæ infirmitati, potentius ſubſidium, ipſum inquam, Dominum ac mediatorem tuum Chriſtum Jesum adhibeas; eum impensè atque demiſsè rogans, ut in hac quoque re tuus ſit interpres apud Patrem; & quam per te ipſum minimè vales, hanc ipſe divino ac dulciſſimo corde ſuo, oréq; ſuo ſanctiſsimo, pro ſummo humanæ redemptionis beneficio, ſéq; ipſo adeò nobis conceſſo, æterno Patri gratiam habeat; eidémq; ijsdem nominibus, quaſi vice tuâ præclaram ac dignam laudem offerat. Nam ſicuti Chriſtus Verbum eſt Patris, quo ſuum præſertim immenſum erga nos amorem charitatémq; proloquitur: ita ipſe viciſſim (ex alibi à nobis laudato B. Ambroſij monito) debet eſſe *vox noſtrâ quâ loquamur ad Patrem*, quâ ei laudem, quâ gloriam, quâ demum debitum gratiarum officium perſolvamus.

Ad quod nos etiam hortari videtur Apoſtolus, cùm
*Heb. 13.* ait: *Per ipſum ergo* (ſcilicet Chriſtum) *offeramus hoſtiam laudis ſemper DEO; id eſt, fructum labiorum, confitentium nomini ejus.* Quaſi nempe par ſit, ut quomodo per ipſum bona omnia à Deo accepimus; ita & per ipſum pro ijsdem Deo tributum gratiarum, laudiſq; hoſtiam reddamus.

*Per ipſum* igitur, hoc eſt, ut per internuntium & interpretem, qui nomine noſtro, ſed verbis ſuis, id quidquid eſt officij, multò digniùs ac convenientiùs exequatur. *Per ipſum*, hoc eſt, per omnia ſacratiſſimi Corporis ejus membra; per vulnera, tanquam per totidem ora aut linguas;
*l. 2. c. 23.* *per cor, tanquam organum dulciſſimum*; ut in ſimili argumento faciebat B. Gertrudis. *Per ipſum* denique; hoc eſt, Chriſtum ipſum, tanquam hoſtiam verè Euchariſticam, neque accepto dono aut beneficio minorem, Deo repræſentando ac redhibendo. Nam cùm Chriſtus paterno munere noſter totus factus ſit (illum quippe nobis donavit Pater,
*Joahn. 4.* eóq; *donum DEI* ſeſe alicubi appellare videtur), quænam æ-

quior

Digitized by Google

quior erit gratiæ referendæ ratio, quàm ſi Patri cœleſti filium ſuum dilectiſſimum, hoc eſt, gratiam pro gratia, reddamus; & (quando nobis ſe ipſum quoque Chriſtus tradidit) ipſummet ſibi, grati animi nomine, redonemus?

*Quartò:* Quod autem verbis modò laudatis ſpeciatim ſubmonet Apoſtolus: ut *per ipſum ſemper* offeramus Deo laudis hoſtiam; neſcio an eò pertineat, quò intelligatur (quæ quidem pia eſt, nec à vero abhorrens meditatio) cùm ea ſit naturæ noſtræ infirmitas, ut, ſeu ipsâ mentis volubilitate & inconſtantiâ, ſive varijs corporis præpediti neceſſitatibus, non ſemper poſſimus in divinas res intendere, neque per nos ipſi hoſtiam laudis fructúmve labiorum Deo offerre: idcirco providendum nobis eſſe, ut id ſaltem per alium præſtemus; per eum videlicet, qui ex ſuſcepto mediatoris officio (velut idem Paulus alibi ait) *ſemper vivens* eſt (utique & animo ſemper vigente ac pervigili) *ad interpellandum*, venerandúmq; atque laudandum Deum, *pro nobis.*

Quò ſibi fortaſſe non improbanda videatur iſta præceptio: ut ſiqua ſubinde operoſior moleſtiórve occupatio incidat, quæ mentem pluſculum divertat à ſtudijs ſpiritualibus; ſibi tum ad Jesum amanti ſuſpiratione converſus, excuſatáq; humiliter infirmæ naturæ neceſſitate, eum verecundè ingenuéq; roges, tui ut occupati, pro immenſa ſua bonitate, in Deo amando laudandóq; vices gerere, & in eo munere ſibi alioqui jucundiſſimo, & quod vel non rogatus libenter præſtet, id te nunc demiſsè flagitante, tuus apud Patrem interpres eſſe ne gravetur.

Rurſum, cùm quietis neceſſariæ gratiâ lecto te trades; illum quidem ipſum ſomnum tuum (quem ad Dei gloriam ſuſcipis) unáq; cordis tui motiones omnes, ac reciprocos pulmonum anhelitus, ei ſopori diviniſſimo, quem olim in terris Chriſtus cepit, adjunges, ei pariter ſupplicans, ut cùm jam per ſomnum id nequeas, tuo ita volentis deſide-



Digitized by Google

rantíſq; nomine, gratiarum actionem vocémq; laudis Deo ac Patri contribuat. Sicq; corde tuo (hoc eſt, Chriſto) pro te vigilante, ac Deo perpetuum ſacrificium laudis offerente, tranquillè ac purè ad Dei gloriam ſomnum capies.

Eritq; fortaſſis cui in mentem veniat hoc loco; ad hoc quod commendamus mentis propoſitum votúmq; expreſſiùs ſignificandum, ſi quem in ſuo cubiculo conſuetæ precationi deſtinatum locum habeat, Crucifixi ſignum aut aliã ejus effigiem vice ſuâ ſupplicem ſubſtituere; eóq; pacto, veluti vicariâ operâ, etiam per noctem pietatis ſuæ officia quodammodo perpetuare.

Quippe his ſimilia in Sanctorum geſtis legimus: neque animæ ſanctæ artes ejuſmodi habuere pro levibus; quas utique ipſo experimento condiſcerent, ad ſanctæ devotionis ſpiritum, fervorémq; divini amoris in ſe alendum exaugendúmq;, haud mediocriter conferre.

Adde his non abſimiles præceptiones S. Mechtildi ab ipſo Chriſto traditas, ita referente Bloſio in Monili ſpirituali: *Dominus* (inquit) *dixit ad Virginem Mechtildem: Quando quis ſomnum capere vult, meditetur aliquid de me, aut mecum loquatur. Ita enim licet corpore dormiat, mente tamen vigilabit ad me.* Et poſteà: *Etiam dormiturus quiſq; deſideret, ut ſingulas reſpirationes, quas nocte illâ faciet, tanquam eximiam mei laudem ſuſcipiam: & ego qui ſanctis votis piæ amantíſq; animæ deeſſe non poſſum, in veritate deſiderium ejus adimplebo.*

cap. 9.

Tali igitur aliquâ ſolertis mentis applicatione, perpetuare poteris laudis & gratiarum officia; & (quod de Jacobo Patriarcha inter dormiendum myſticam illam ſcalam contuente, dixit B. Ambroſius) *bonus in ſomno operarius*, etiam omni ceſſante mentis vigilantis officio, divinæ gloriæ quodammodo operaberis.

l. 2. de Jacob c. 1.

*Quintò*: Pars etiam quædam gratitudinis adverſus Chri-

Chriſtum, Dominum ac Redemptorem noſtrum erit: Deo Patri gratias agere, quòd filium ſuum noſtrâ gratiâ in paſſione ſua uſque eò dejectum atque depreſſum, exinde gloriâ & honore coronaverit; atque ex profunda illius exinanitione, majorem tum nominis ſui, tum ipſius Unigeniti gloriam, decus, exaltationem collegerit. Quippe & universè omnis undecunque divinæ gloriæ manifeſtatio, gratum à nobis animum exigit; ita nos informante Eccleſia, quæ in Doxologia ſacrificali, Deo etiam gratias agit, *propter magnam gloriam ſuam*; eâ nimirum ratione, quòd licet ex omnibus, quæ nobis Deus dare conſuevit, ſolam gloriam ſibi velit eſſe propriam; non tamen hanc ſibi ita reſervet, quin eandem velit omnem noſtris commodis utilitatibúsq; ſervire, cùm eâ ipſe non egeat, ut qui per omnia ipſe ſibi ſufficiens ſit. Et peculiaris eſt gloriæ Chriſto à Patre conceſſæ ratio. Hæc enim, non uno nomine ſpeciatim, beneficium noſtrum eſt: tum quia conceſſa naturæ noſtræ, cujus honor etiam pertineat ad ſingulos; tum quia Domino, patrono, duci, principi, liberatori, aſſertoriq; noſtro delata; tum quia merces eſt ejus laboris, quem ipſe noſtrâ causâ ſuſceperit; ac proinde ejus obligationis, quâ natura noſtra ſe liberare non poterat, ab illa divina & locuplete manu, nonnulla quaſi exolutio. Addo, ipſo amore omnia communia effici; ut proinde quidquid dilecto Jesu honoris aut gloriæ accidit, juxta acſi iſtud omne noſtrum ſit, eapropter & ipſi gratulari, & nobis gaudere debeamus.

## §. 4.

*Animæ Chriſtum impensè laudare ſatagentis, in ídque quàm poteſt longiſſimè, deſiderio extendentis ſe, atq; exporrigentis, paradigma.*

VErùm ut rem omnem in breve contraham, in qua pertractanda ſicubi viſus ſum prolixior, penſabit credo

prolixitatem ipſa materiæ officiiq; ſuaviſſimo Redemptori debiti dulcedo; extremum hoc monitum eſto.

Paupertati noſtræ, quod quidem ad præſens attinet, non leve hinc ſolatium ſuppetere; quòd, ſi in gratia Amori noſtro crucifixo referenda, rebus ipſis divites non ſumus; at ipſis tamen deſiderijs oppidò munifici, & votorum largi atque profuſi eſſe poſſimus.

In hanc igitur artem induſtriámve extremo te conatu explica; & concepto, quoad animus tuus longè latéq; protendi poteſt, immenſo, ardenti, inſatiabili Dominum Jeſum dilaudandi deſiderio, id pro eximio genere laudis (ſicuti reverà eſt) ſufficere.

Optabis ſubinde, exempli causâ, ut omnium qui unquam fuêre, ſunt & futuri ſunt, hominum cordibus ac linguis præditus eſſes, quò tibi liceret pro voto tuo, per omnia temporum locorúmq; ſpatia, communem Dominum amare, colere, celebrare; eiq; valeres omnium voce, & velut totius naturæ præco, legatus, interpres, pro opprobrijs gloriam, pro victoria laudem, pro amore amorem, pro beneficijs gratiam, in omni etiam æternitate repræſentare.

Optabis aliàs, ut membra omnia, articuliq; corporis tui, muſculi, oſſa, membranæ, nervi, fibræ, arteriæ, in plectra vertantur & chordas; & hinc innumera organa exiſtant, divinis laudibus aſſiduo carmine concelebrandis, accommodata. Itémq; ut omnis animi tui membrorúmque tuorum motio, actus ſenſuum, agitatio cordis, venarum pulſus, arteriarum micatio, aſpiratio pulmonum, ſanguinis fervor, ſpirituum diſcurſus, omnis inquam vigentis animæ operatio atque energia, pars quædam exiſtat divinæ laudis, & aſſidua atque feſtiva miſerationum Domini prædicatio.

Tandem (libera enim ſunt cordis humani deſideria, & pro voto ſuo quidvis fingere, difficile non eſt amanti) ut tu ipſe demum quantus quantus es, totus vox fias optabis, ſono-

ſonota, efficax, infatigabilis, & velut Echo aſſiduè repetens reddénsq; ſonum divinæ laudis, ex univerſis ejus operibus, naturæ, gratiæ, atque gloriæ modulatè reſultantis. Nam cùm verbi intus in mente concepti, partus quidam atque expreſſio ſit externa vox; & mundus iſte aſpectabilis Verbo Domini (ut ait Scriptura) firmatus ſit, Deóq; loquente atque dicente prodierit; conſequens eſt, iſtas naturas omnes, ſed pro modo ſuo quamlibet, vocem quandam eſſe autoris ſui, tum ipſius erga nos amorem, tum laudes reliquas excellentémq; ſummæ divinitatis gloriam (ſi quis ei ſono aures aptatas aſſuefactáſve habuerit) non obſcurè prodentis & enarrantis. Ubi rurſum tibi gratulabere, quod ad Dei Chriſtiq; gloriam vocaliſſimè annuntiandam, factus ſis *in animam viventem*, ſive ut Chaldæus vertit, *in animam loquentem.* Unde etiam exultans dices, exclamabiſq; cum Rege Propheta: *Et anima mea illi vivet, & ſemen meum ſerviet ipſi:* cogitationes, inquam, affectus, vota, deſideria, qui veluti quidam mentis noſtræ partus ſunt, ſanctorúmq; operum ac beatæ ſemina immortalitatis. Ut quid enim vivo ac ſpiro (inquies) niſi ut te diligam, tibi vivam, ad te aſpirem, in te ſuſpirem, tecum conſpirem, ac denique expirem, ô dilecte mi, & dulciſſime Sponſe animæ meæ? *Gen. 2.* *Pſal. 21.*

At ecce hîc tandem ſubjunctum habes ſanctorum iſtorum affectuum votorúmq; exemplum, & tanquam formam quam imitere; ſi quando te par mentis ardor, aut Divini Spiritûs ſubſimilis afflatus inceſſerit.

Admirabilis quippe eſt ac penè incredibilis eo in genere ardor animi Henrici Suſonis ex Ordine Prædicatorum, viri omnino pij, & pro Chriſti amore ac gloria multis horrendiſque vexationibus exerciti: qui in Dialogo æternæ Sapientiæ, poſt expenſa capitibus pluribus divina beneficia, & iſtud nominatim quo de agimus, amariſsimæ paſsionis ac mortis Chriſti; ingenti incenſus tantam bonitatem aſsiduè *c. 25.*

lau-

laudandi deſiderio, in omnes ſeſe convertit artes, modóſq; omnes ac rationes exquirit, quibus ſuæ illi ardentiſsimè cupiditati aliquouſque obſequi atque ſatisfacere poſsit. Delectat nonnulla ex ejus prolixiore diſcurſu ſpeciminis gratiâ libare, in breve contracta, meis ferè verbis, ſed autoris paſſim ſententiâ retentâ. Sic igitur ille, ad DEUM ſuſpirans, inter cætera:

Quis dabit, inquit, æſtuanti cordi meo, ut aliquando te, pro eo ac deſidero, laudare poſſim; tótq; de intimis meis præcordijs tibi gratiſsimæ laudationes exiſtant, quot unquam fuêre muſicorum organorum ſoni ſuaves, quot telluris herbulæ, quot atomi in ſole volitantes; neque vel momentum, laudis tuæ vacuum exigam, ſed quâdam laudandi te perennitate, illam vel modò experiri incipiam, alterius vitæ deſideratam felicitatem? Crebrò equidem dixiſſe memini inter æſtus deſideriorum meorum: Quid tantopere properatis, cœleſtes orbes? Ut quid tantâ curſûs incitatione, momenta & horæ, dies & anni feſtinatis? Siſtite parumper, amabò, aut moderamini ſanè curſum iſtum agitationémve præproperam; dum pro voto Dominum meum laudibus celebrem, neque antè de vita, quàm iſtâ perfunctus voluptate, decedam.

Indignus quidem ſum, Domine, qui tibi laudem ullam offeram: attamen id ſaltem optare auſim, ut in vicē meam te prædicet cœlum, cùm maximè præclarâ ac feſtâ luce ſiderum ſuorum perfuſum eſt; celebret & terra, omnigenâ ridens florum ac colorum amœnitate; laudem dicant tibi in unum collectæ cogitationes omnes & flagrantia deſideria, quibus unquam arſêre animæ ſanctæ, Divini Spiritûs inundante gratiâ perfuſæ.

Enimverò, uti perſpicio, laudare te affectant omnia, quo modo & quâ voce poſſunt. Etiam laudent te ranæ in paludibus, & quanquam canere nequeunt, at coaxent modulo

dulo ſuo. Ego autem, qui ad hoc natus ſim, ut te cognoſcam, amem, colam, celebrem, quomodo tandem à laude tua continere me poſſim? Qui ſi laudare te nequeo, velut ſublimes Cedri Libani, ut cœleſtes, inquam, & angelicæ mentes; at laudem te ſaltem velut horridus & aculeis aſper carduus: ne ſolus utique in iſto tanquam univerſæ naturæ choro, laudis tuæ exors, & ceſſator odioſus, inveniar.

Laudabo igitur te in vita mea, & donec aliquis mihi ſuperabit anhelitus: at cùm, urgente fato, me lingua vóxq; defecerit, volo, ut quilibet digiti motus ac protenſio, pro clauſula ſit univèrſæ laudis, quam tibi unquam deprompſerim: ac deinde carne in ſuum pulverem reſolutâ, opto ut è ſingulis quamlibet minutis, corporis hujus pulviſculis flagrantiſſima tui laus prorumpat; pérq; ſaxa & rupes, per terras & maria, pérq; cœlos ipſos latè diffuſa, pervadat in tui conſpectum, atque id ad diem uſque ultimum, quo corpus & anima mea inter ſeſe rurſum, ſed indiſſolubili nexu, copulata, evadant jam indefatigabile perennis tuæ laudis inſtrumentum.

Atque iſta ferè ex ſenſu viri illius ſancti, atque æternæ Sapientiæ luce non mediocriter colluſtrati; quibus nos paria ad amorem noſtrum Crucifixum proferre quandoque delectabit, neque tam linguæ quàm cordis officio; ubi nos præſertim divino inſtinctu ad id impelli ſenſerimus.

# CAPUT XXVIII.

## *De quadam animi confuſione atq; pudore, ex paſſionis Chriſti contemplatione, concipiendis.*

CONfuſionem hoc loco appello, cum autoribus præſertim Eccleſiaſticis, illum animi affectum, quo vel acceptæ

ceptæ ignominiæ gratiâ, vel propter opprobrium conſcientiámve malefacti, pudore quodam oppreſsi, aliorum ora erubeſcimus, aut ipſi nosmet æquo animo vix ferimus; ſecundùm illud Prophetæ Jeremiæ: *Confuſus ſum & erubui, quoniam ſuſtinui opprobrium adoleſcentiæ meæ.* Qui itidem affectus, proles quædam videtur eſſe antememoratæ à nobis admirationis. Sic enim Alphonſus Rodriquez noſter tractatu de meditanda Paſsione Domini, de ea ipſa admiratione agens, docet in ea contineri magnum Dei amorem, magnam approbationem ac ſenſum divini beneficij, & magnã demum confuſionem noſtram. Quippe ex divinæ admiratione bonitatis, quæ ſuper omnia in hoc elucet, quòd Deus unigenitum ſuum pro nobis redimendis tradiderit in mortem, ſubnaſcitur confeſtim in homine pudor ingens animiq; confuſio, quòd peccatis ſuis Dei Filium ad crucem adegerit: Unde ad extremum ſuboritur etiam ſatisfaciendi Deo, eámq; tantam injuriam in ſemetipſo ulciſcendi, cupiditas; quam proximo capiti reſervamus diſcutiendam.

*cap. 31.* *P. 2. tract. 7. c. 7.*

## §. I.

### *Ejus exercitij prima velut adumbratio.*

PORrò in præſenti utilis erit exercitij ratio; ſi quandoque in Dei conſpectu & cœleſtis curiæ conſiſtentes, & tot ſcelerum noſtrorum conſcij, ex eo præcipuè confundamur animo, quòd peccatis noſtris peremerimus Unigenitum Dei; neque eo contenti, etiamnum fortaſſe pergamus, tantam bonitatem in dies & horas offendere, & novas nováſq; divinæ mortis cauſas (quantum in nobis eſt) præbere ac ſuppeditare.

Primùm enim, ſi cum animo tuo rei graviſſimæ momenta penſes, quo vultu conſiſtes, peccator infelix, ante oculos æterni Patris, cujus Unigenitum, ſcelerum tuorum atrocitate, tanquam telo crudeli, confeceris? Qui compare-

parebis in conſpectu Matris amantiſſimæ, illas oſtentans parricidales manus, etiamnum dilecti filij indignâ cœde cruentatas? Quî ſuſtinebis tot millium Angelorum oculos, cæterarúmq; rerum te circumſiſtentium præſentiam, conditorem ſuum tam indignè ſublatum frementium, & te, ut maleficij ac cœdis autorem, uno ore quodammodo ad ultionem ac pœnam depoſcentium?

Hic enim jam profectò locum habet, quod ſuggerit S. Ignatius in Meditatione de peccatis; ut nimirum in exclamationem prorumpas, ex commotione affectûs vehementi; admirando valde, quomodo creaturæ omnes te ſuſtinuerint tam diu, & huc uſque vitam ſervaverint; quomodo Angeli divinæ juſtitiæ gladium ferentes, æquo te animo tulêrint: quomodo cœlum, Sol, Luna, elementa, debitæ vindictæ loco tibi ſervierint: quo denique modo non abſorbuerit te dehiſcens tellus; & quæ ſequuntur.

Quo etiam modo adverſum ſe ſub peccatoris figurâ, inſurgentia & occlamitantia ſigillatim elementa omnia, imaginatur quodam loco S. Bonaventura, uti paulò poſt rurſum indicabimus.

Neque obſtabit, quòd culpis gravioribus abdicatis, fortaſſis jam cum bono Deo in gratiam redieris, eiq; ſervire atque obſequi pio ſtudio contendas.

Ut enim omittam; nunquam tibi ex eo defore pudendi erubeſcendíq; materiam, quòd poſt tantam tuam in priori vita licentiam, & tam immenſam dulciſſimi Jesu adverſùm te benignitatem, tot adhuc peccatis, venialibus licet, eum offendas, eundémq; tam frigidè redames, támq; remiſsè atque ignavè ei ſervias: id modò dixero; utile etiam eſſe homini juſto, ad humilem de ſe ipſo ſenſum, ad peccati horrorem ac fugam, ad amorem denique ſummè benefici Redemptoris, alióſq; probos conciliandos affectus, juventutis ſuæ delicta recogitantem, quandoque perſonam pec-

catoris aſſumere, & velut divinæ mortis reum, cum intimo pudore ac confuſione, Deo vindici cœlóq; ſe ſiſtere; præſertim ſi nondum ea nomina prorſus expediſſe, aut de ijs divinæ juſtitiæ plenè ſatisfeciſſe, videatur.

*Vit. c. 3.* Sic enim B. Jacoponus, tametſi ad Deum ex toto converſus, ſecum tamen reputans, Deum propter hominum peccata ſubijſſe mortem doloris ignominiæq; pleniſſimam, tanto in ſemetipſum odio inflammabatur, ut diceret, non dubitaturum ſe, tormentum omne & ærumnam quamlibet quantumvis grandem & exquiſitam, ipſáq; adeò inferorum ſupplicia, ſi fieri poſſet, in ſemetipſum accerſere, & juſtiſſima de ſuis criminibus, quæ Domino Jesu tam crudelis necis cauſa fuiſſent, vindicta pœnáve ſumeretur.

Eodémq; propemodum ſenſu fuiſſe videtur B. Catha-*Vit. c. 20.* rina Genuenſis: quæ cùm dulcem Amorē ſuum à ſe aliquando offenſum meminiſſet, ita ſcilicet vulnerabatur animo, ut nullam ſibi ea in cauſa adhiberi vellet indulgentiam aut gratiam, ſed ſummo ac rigido jure ſecum agi depoſceret; ipſámq; adeò divinæ offenſæ memoriam, omni ſupplicio acerbiorem experiretur.

At nunc diſtinctè magìs particulatímq; videndum eſt, qui affectus propriè huic exercitio conveniant; quò propiùs ad uſum accommodetur, átque ad opus deducatur faciliùs, propoſita hoc capite commentatio.

## §. 2.

### *Qui actus præſertim eo exercitio contineantur.*

Porrò in his quæ dixi, triplex præcipuè continetur affectus, & tres quaſi gradus præſentis exercitij.

*Primus* eſt internus ille pudor animiq; confuſio, quo propter admiſſas culpas, earúmq; gratiâ Dei Filio necem illatā, Dei Sanctorúmve oculos erubeſcimus, & vel faciem

ipſam

ipſam ad cœlum levare, reformidamus. De quo ſufficienter actum eſt paragrapho ſuperiori.

*Alter* eſt intimus quidam horror, aut motus animi, hac ipſa ex cauſa ſemetipſum abhorreſcentis; &, quò jam ſe ipſum refugiat ac vitet, tanquam in abyſſum ſui nihili ſeſe profundè retrudere atque abdere ſatagentis: quaſi jam ſufferre non poſſit arcanam vocem opprobrantis conſcientiæ; & inteſtinum illum judicem, ſive ipſum ſuum de ſe ipſo judicium, ſubterfugere ac declinare moliatur.

Dura quippe & amara auditu (ei præſertim qui adhuc ſe Deo inimicum inviſúmq; meminerit) vox illa ſcelerum, divini parricidij vindictam pœnáſve è cœlo expetentium. Nam veluti quondam, non tam Judæorum, quàm noſtrorum criminum vox erat illa adverſus Chriſtum, *Crucifige, crucifige*, acclamantium, eóq; clamore benigniſſimi Redemptoris aures & cor acerbè vulnerantium: ſic nunc è diverſo, eadem ſcelera, in corde autoris ſui, de eo vindictam grandi clamore & ſupplicia dira expoſcunt; niſi ſi hunc clamorem fortior animæ pœnitentis gemitus, & ſanctarum lacrymarum vox potentior retuderit atque repreſſerit.

*Poſtremus* actus eſt, ſerium ſuimet odium, eadem ex cauſa eademq; contemplatione conceptum. Quo fiat, ut neque nos ipſos ullam in partem indulgentiùs habeamus, ipſo quoque uſu rerum creatarum nos indignos cenſentes, ut quarum autorem ac conditorem peccatis noſtris trucidaverimus. Idq; potiùs agamus ſedulò, ut non aliter nos, quàm ut Chriſti Jesu interfectores, Deiq; parricidas aſpicientes, eóq; nomine nobiſmetipſis facti inviſi & intolerabiles, omnibus nos excruciemus ſupplicijs, acréſq; de nobis repoſcamus pœnas, quo vel ſic innocentiſſimo Jesu tam atrociter à nobis læſo, parte aliquâ ſaltem ſatisfaciamus. *Tunc enim perfectè te odis*, ait S. Bonaventura, *quando non ſolùm vis ab hominibus conculcari, ſed etiam te ipſum tantùm* *P. 2. Stim. c. 6.*

 *abhor-*

*abhorres, ut vix te ipſum valeas tolerare.* Qui etiam alibi de hoc ſui odio ob Chriſtum peccatis noſtris interfectum pluribus agens, his inter cætera in ſemetipſum acriùs inſurgit: *Nonne mirabile videtur, me cogitare, te tam nobiliſſimum & benigniſſimum Dominum, pro me tam viliſſimo mortuum, & non ſtatim deficere præ nimia triſtitia? Et quomodo, ſi non eſſet contrarium tuæ voluntati, me materiali gladio, non occido præ dolore, qui fui occaſio tuæ mortis? Cum patientia ergo magna me debeo ſuſtinere, ſicut ſuſtinerem, cùm aliquem inimicum meum coram oculis meis video, quem toto corde occidere affectarem, quamvis non auderem aliquâ ratione.*

*P. 1. Stim. c. 2.*

Sed jam hoc pars quædam eſt proximè ſequentis exercitij; in quo plura, de hac Chriſto ſatisfaciendi voluntate, etiam ex ipſo Bonaventura proferemus.

Non eſt tamen hoc loco prætermittendus, ex B. Borgiæ monito ſtudioſo aſcetæ uſurpandus affectus; ut nempe cor ſuum perfecto odio oderit, ut peccatorum fontem, quibus amabilem Dei bonitatem offendit; atque eapropter omnem neget delectationem ſuis ſenſibus, quò cordi ſuo ægrè faciat, & tanti mali autorem ulciſcatur.

*In Monit. M. S.*

# Caput XXIX.

## *Ut itidem in contemplantis animo, ardens excitetur, Chriſto pro injuria ſatisfaciendi, cupiditas.*

Superiori quoque connexum eſt hoc exercitium, quod ſatisfactionis appello, quódq; præcipuè actus duos complectitur.

§. I.

## §. I.

*Prior pars hujus exercitij: coram ipſo Chriſto aut DEO Patre, ſeſe reum mortis Unigeniti conſtituere.*

PRior actus eſt: ut veluti ſubinde contingit inter homines, ut qui in alterum, præſertim malis dictis injurioſus fuerit, is verecundo ac pœnali corporis habitu, adigatur læſo ſatisfacere, & ſupplice dicti factive ſui retractatione illatam injuriam repenſare: ſimiliter & tu in re præſenti, imaginariè aſſumpto nocentis & jam damnati habitu, & quaſi funeſtam reſtim collo præferens, coram Jesu crucifixo te ſiſtas, humíq; proſtratus reum te fateare mortis ipſius; tam indigni facti ſuppliciter veniam petens, atq; ad omnem pœnam ſuppliciúmve, honorariæ ſatisfactionis nomine, temetipſum paratum offerens. Inter quæ, ſi ita placuerit, iteres cum mœſto gemitu, illam B. Auguſtini, aut ſimilem aliquam ſuſpirationem: *Quid feciſti, dulciſſime puer, ut ita tractareris? quid commiſiſti, ô amantiſſime juvenis, ut ita judicareris? Ecce ego ſum cauſa tui doloris, ego plaga tua occiſionis.* Aut illam S. Bonaventuræ: *Pro me, Domine, vulneratus es, non pro te: & tu vulnera portas, non ego. Quid eſt hoc? ego debeo eſſe ſubjectum vulnerum, & non tu: quia ego ſum qui peccavi, ego qui iniquè egi: ſed tu, qui es innocens ovis, quid feciſti?* Et infrà: *nonne meliùs erat, bone JESU, ut non eſſem, quàm ut factus te occiderem? Et cur carnes meas non lacero præ dolore? aut quomodo me omnis creatura non occidit, qui fui occaſio tuæ mortis?*

*Aug. med. c. 7.*

*P. 1. Stim. c. 2.*

Et quidem profectò, ſi rem ipſam humanis penſemus rationibus, multò æquiùs erat, ô bone Jesu, eum qui peccárat, admiſſi ſui pœnas pendere, quàm te Agnum innocentiſſimum, quæ non rapueras, exolvere. Rurſúmq; præſtabat (uti videtur) mundum univerſum funditus æternúmq; interire, quàm te Dei Filium, alienam ob noxam, vel levi flagel-

flagello contingi. Sed aliter viſum eſt amori tuo: qui ſe digniùs diviniúsq; eſſe credidit, pro ſervuli vita DEI Unigenitum occumbere, & inſolentis atque protervi homuli culpam, ipſum præſtare Univerſitatis autorem. Quapropter ſuccurrit hoc loco Cardinalis Latini (Urſini ſcilicet Frangipanij) ex ordine Prædicatorum à S. Antonio relatos rhythmos ſanè teneros uſurpare, & dicere:

*p. 4. tit. 15. c. 41. §. 3.*

*Bone JESU cur tanta pateris,*
*Cùm peccati nihil commiſeris,*
*Flos innocentiæ?*
*Ego latro, tu cruce moreris,*
*Ego reus, tu pænâ plecteris*
*Noſtræ nequitiæ.*
*An te fecit ſic amor ebrium,*
*Ut nec crucem putes opprobrium,*
*Amoris gratiâ? &c.*

Neque hîc fortaſſis improbanda videbitur devotio, ſi, incitante ad id ſpiritu, ídq; ad majorem cordis compunctionem profore credens, in ſecreto cubiculi tui, non cogitatione duntaxat, ſed etiam re ipsâ externóq; habitu rei perſonam repræſentes, nudo vertice, & detractis calceamentis, reſte etiam collo circumjectâ, prout Libellus quidam Amatori Crucifixi faciendum ſuggerit, téq; eâ ſpecie ad pedes Crucifixi abijciens, lamentabili voce veniam pacémq; implores. Delectabit enim ea contriti cordis humilitas, commovebitq; cor benigniſſimi JESU, eúmq; potenter inflectet, tibi ut gratiam impendat ſuam, effundátq; viſcera miſericordiæ ſuæ.

Neque id feceris abſque majorum exemplo. Nam ſimile quiddam, tametſi in cauſa diſpari, deſignaſſe legimus S. Carolum Borromæum; qui ſæviente Mediolani peſtilentiâ, nudis veſtigijs, capitio adducto ſuper oculos, ferali fune (in morem latronis qui ad furcam ducatur) ſibi in collum inje-

*L. 4. vit. c. 4.*

injecto, grandem crucem bajulans, in publica Cleri populíq; ſupplicatione proceſſit; quò populo ſuo conciliaret iratum Numen, ejúsq; peccatis debitas pœnas in ſe unum ab illo averteret. B. Petrum Thomam ex ſacro Ordine Carmeli Patriarcham Conſtantinopolitanum: qui itidem vili indutus ſacco, & rei inſtar collum laqueo implicitum habens, diſceſſit è vita. S. Franciſcam Romanam: quæ defuncto marito, cùm in oblatarum ſub Regula D. Benedicti Congregationem, quam in Domo Turris ſpeculorum inſtituerat, recipi vellet, nudis & ipſa pedibus, fune ad collum alligato, humi proſtrata, multis cum lacrymis earum numero adjungi poſtulavit. Ut magis inſolitum S. Franciſci factum hic non proferam; qui ſui deprimendi gratiâ, nudum propemodum, fune ad collum alligato, trahi ſeſe juſſit ad petram, maleficis hominibus publicè puniendis deſtinatam.

*VVad. in Vita n. 40. & 42.*

*Vit. c. 6.*

Potes etiam, ad flectendam Dei miſericordiã, & nonnullam pro Salvatoris injurijs honorariam ſatisfactionem, componi in pœnitentis habitum, nudato tergo, virgásq; ac flagella manibus præferens; eóq; ſchemate repræſentare te oculis Divinæ Juſtitiæ, illa pœnarum inſtrumenta offerendo æterno Patri, téq; unà ad omne ſupplicium, quod ulciſcendæ morti Unigeniti, ei de te ſumere libuerit, cum hac ſimilive oratione.

En Pater optime & juſtiſsime; ego ille ſum ſceleratus parricida, ille Majeſtatis Divinæ reus, ille ſacrilegus, execrandus, deteſtabilis, interfector Unigeniti tui. Plecte, percute, feri, vindica. Ego enim in flagella paratus ſum, nec recuſabo, quin pœnas quaslibet dependam, & malis omnibus exercear, opprimar, & tanquam in nihilum redigar, dummodo id quidquid erit ſupplicij, in nonnullã acceptes compenſationem atrociſſimæ injuriæ, quâ in te peccando, Pater optime, indigniſſimæ morti objeci dilectiſſimũ filium uteri tui. Et

Et ſimilem in ſenſum incidiſſe video Ludovicum Bloſium, dum peccatorem ad DEUM converſum ita loquentem inducit: *Heu infelix ego, non veritus ſum execranda illa perpetrare ſcelera, quæ dilectus filius tuus tantis cruciatibus diluit atque expiavit. Non peto, Domine, ut mala quæ commiſi inulta maneant. Prorſus ulciſcere in me injurias, quas intuli tibi: quandoquidem humiliter me ſubmitto flagellis miſericordiæ tuæ.*

*Appēd. paſſ. Dom.*

Aliàs denique potes te ipſum, quaſi qui aliunde ſolvendo non ſis, imaginariæ ſatisfactionis ſpecie, ipſi Chriſto in ſervum obſtrictiſſimum contradere, & verè ſervum, ut quem pro ſua benignitate, cùm perdere poſſet, tamen ſervare maluerit, neque interim ſibi gratis te quæſierit, ſed magno emerit pretio ſanguinis ſui.

Poſtulabis igitur, ut tanquam ſervum malum, te vinculis timoris atque amoris ſui conſtringat, & ne quà effugere poſſis, inſuper ad ſuæ crucis truncum alliget, futurum æternum mancipium gloriæ ſuæ. Imprimat denique atque inurat ſua ſtigmata fronti tuæ, & notas ſervitutis indelebiles; ut conſentaneè ad id quod ait Apoſtolus emptus cùm ſis pretio magno, glorifices & portes DEUM in corde & corpore tuo.

*1. Cor. 6.*

§. 2.

*Pars poſterior: eadem in cauſa, ſibi Iudicis ac vindicis partes adverſus ſemet ipſum ſumere.*

POſterior actus eſt, ut non jam corā DEO, ſed intus apud noſmet ipſos, ſive in ſecreto foro noſtræ conſcientiæ, de indigniſſima Unigeniti nece nos accuſemus; ipſi tam indigni facti certiſſimi teſtes, ipſi juſti judices, ipſi tantæ injuriæ vindices, & cōmeriti eâ cauſâ ſupplicij, ipſi de nobis ſeveri exactores ſimus. Quā etiam artē nobis ſuggerit S. Bonaventura, dum ita loquitur: *Contra noſtram pravam nequitiam animemur,*

*mur, & nos ipſi noſtri judices ſimus; vindicemus in nobis injuriam Domini noſtri, & quantum poſſumus, nos conculcemus; dicentes unusquiq; intra ſe: Ego ille qui contempſi Dominum DEUM, & pro quo mortuus eſt Dominus meus JESUS. Jam horrent me veſtimenta mea: & mirum videtur, quomodo me non deteſtatur omnis creatura; quia omnium Creatorem contempſi.* Et infrà: *Mihi videtur* (inquit) *quòd tota hujus mundi machina poſt me & contra me nefandum proclamet, & dicat: Iſte eſt ille, qui Dominũ DEUM noſtrũ contempſit, & contemnit. Iſte eſt; iſte eſt, &c.* Pergit enim pluribus ſub peccatoris perſona demonſtrare, quomodo contra ſe ſigillatim inſurgant creaturæ omnes, & magnis clamoribus univerſæ ſeſe ad eum diſperdendum incitent: unde ad extremum territus exclamat: *Heu, heu miſer, quid faciam? quò ibo, quia omnia contra me ſunt armata?* Tum verò ad eam, quam modò proponimus, DEUM placandi artem converſus: *Scio, quid faciam*, inquit. *Contra me ipſum ego ipſe armabor, & ero, præ cæteris crudelior mihi & ſeveriſſimus Judex. Afficiam me undiq; pœnalitatibus & anguſtijs, & me tanquam lutum fœtidiſſimum conculcabo, & abominabor me ſicut ſtercus, & intolerabilis ero mihimet ipſi. In me confuſione, & dejectione & conculcatione, ſive à me, ſive ab alijs illatâ lætabor, & exultabo cùm apparuerit ignominia mea. Et quia non ſufficio me deteſtari, contra me univerſum cœtum creaturarum congregabo, & à qualibet confundi & puniri deſiderabo, quia earum contempſi creatorem.* Hæc & multò plura Doctor Seraphicus eo loco, prorſus accommodatè in rem noſtram. *P. 1. Stim. c. 7. grad. 7.*

Porrò capite ſuperiori à nobis memorata B. Catharina Adorna, ad idem propoſitum audita eſt aliquando dicere: *Vit. c. 9.* ſi fieri poſſet, ut omnium tormenta SS. Martyrum, ipſáſq; etiam inferorum pœnas pro DEI amore ſuſtinuiſſem; id omne, quod quidem ad DEO ſatisfaciendum attinet, pro nihilo, & (ut ipſa loquitur in mentis exceſſu) quædam veluti

ipſius Dei injuria, habendum eſſet, collatum ad eum amorem, quo immenſa illa bonitas, nos primùm creavit, tum etiam recreavit atque redemit. Quid autem altera illa Chriſto dilecta vidua, Maria Raggia? cujus is fuiſſe proditur æſtus atque ardor animi, tam incenſum Chriſto amore ſui paſſo ſatisfaciendi deſiderium; ut non tantùm optaret ejus gratiâ membratim minutatímq; concidi, verùm etiam amiſſa membra deinde rurſum recipere, ac morte ſæpiùs repetitâ vitam iterare, quò ſæpiùs pro dilecto pati & excarnificari poſſet.

*L.1.Vit.c.14.*

Verùm iſtiusmodi grandia & inſolentia vota, grandibus item animabus, & excelſis mentibus relinquantur. Attamen, quæ meæ hîc partes ſunt, in intimo conſcientiæ tribunali, me (uti dicebam) tanti criminis compertum habens, reum inquam fuſi divini ſanguinis, ſeverum in memet exercebo judicium, me ipſum inceſſam, in me armabor, in me ſæviam, & quâ fas erit crudelitate, vindicandis in me Domini mei injurijs, juſtas ipſe de meis manibus pœnas expoſcam. Atque utinam, non pro meis tantùm, ſed pro mundi totius ſceleribus, quæ Deo meo crucem fixêre, ſatisfacere poſſim! Utinam in hoc funeſtum caput inſurgat omnis univerſi natura, & omnium vice in me omnium nequiſſimum concitata, de me uno ultionem repetat indigniſſimè cœſi Domini ac Creatoris ſui.

Sed quando jam eo rigore nobiſcum non agis, optime Jesu, ſolo contriti cordis ſanguine, & promptâ tibi ſerviendi mente contentus; concede id ſaltem, ut vel eâ quam dixi contemplatione, mei contemptu, oppreſſione, omniq; vexatione gaudeam; & quidquid adverſi acerbive in me, ſive à Patre tuo, ſive ab hominibus, ſive ab alia quacunque natura, incurrerit; id tanquam divinæ ultionis particulam de hoc reo expetitam interpretans, læter vel ſic de me tantillam præſtari ſatisfactionē, tibi Deo meo malitiâ meâ tam atrociter læſo atq; offenſo.

Atq;

Atq; hactenus de confuſionis & ſatisfactionis exercitijs. Quanquã animam jam Chriſtum amantem,eiq; placere ſolicitam,juvabit equidem (ut partim jam fecimus) cogitationes hujusmodi in amoris deniq; argumenta reflectere, & ab his auſterioribus affectibus in illos ſuaviores revolvi; optimũ ac indulgentiſſimumRedemptorem laudando,gratias habendo, ejúsq; immenſam commendando miſericordiam, quòd non modò pro te crucifigi & mori voluerit, ſed te ſummè ingratum, & beneficio inæſtimabili nihil niſi peccata atque offenſas rependentem, etiam ſuſtinuerit; & quando non mortem ſed vitam deſiderat peccatoris, amabilibus ejus obſequijs æternùm te mancipando, atque ad crucem quotidie ferendam, ad aſſiduum mortificationis ſtudium, quaſi longum amoris martyrium, tantillæ ſaltem ſatisfactionis nomine, hilarè te offerendo. De quo ita S. Bernardus in Meditationibus: *Fudit ipſe lacrymas pro te; lava & tu per* *Cap. 3.* *ſingulas noctes lectum tuum, cordis compunctione & lacrymarum aſſiduitate. Fudit ipſe ſanguinem ſuum, funde & tu tuum, quotidianâ corporis afflictione. Quem ſi ſemel ponere pro Chriſto non potes, ſaltem mitiori quodam ſed longiori martyrio, pone.* Ita S. Bernardus.

# PARS IV.

## Exercitationes ad patientiam ſpeciatim, ſive ad omnimodam ſui ipſius abnegationem, ex Chriſti Crucifixi diſciplina.

## CAPUT I.

### *In Patientiæ præcepta ingreſſio.*

INgens & acre ad patientiam (quæ nobis inter tot adverſa, ſanè quàm neceſſaria eſt) incitamentum & calcar adhibet, JESU Chriſti in Cruce pendentis, & per illam probrorum cruciatuúmve acerbitatem pro nobis morientis, contemplatio, Ut idcirco graviter nos Paulus hortetur, ut omni pondere depoſito, *per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen: aſpicientes*, inquit, *in auctorem fidei & conſummatorem JESUM, qui, propoſito ſibi gaudio, ſuſtinuit crucem confuſione contemptâ.* Quem ob finem etiam in verbis ſequentibus, eundem Chriſtum crucifixum, non ſimpliciter aut obiter aſpiciendum admonet, ſed identidem recogitandũ, ne qua animis noſtris obrepat in adverſis fatigatio, ſed magnus potiùs ardor accreſcat, cum animo noſtro non ſine rubore reputantibus, nos pro ejus amore & obſequio, nondum fudiſſe vel guttam ſanguinis, cùm ille pro nobis totos torrentes profuderit.

*Heb. 12.*

Atque hanc materiam jam quidem fortaſſis aliqua ex parte delibavimus. Quanquam enim in his exercitijs, quæ ſuperiori parte ſunt poſita, propoſitum nobis præſertim fuerit, quæ ad virtutes Theologicas, nominatimq; ad ardentem

tem Chriſti pro nobis crucifixi amorem pertinerent, tradere; vitari tamen non potuit, quin eâdem operâ, nonnulla ijs de adverſorum tolerantia ſparſim insererentur aut inciderent, quadam veluti materiarum cognatione. Quippe qui Crucifixi amorem, non mollem illum atque tenerum commendaremus, qui ſolis alatur divinæ menſæ ſolatijs, aut dulcibus lacrymis, quaſi rore cœli educetur; ſed fortē potiùs atque robuſtum; qui, cùm in malorum pro dilecto conſtanti patientiâ potiſsimùm eluceat, eâq; re unicè ſive paſcatur, ſive probetur; idcirco ab illa non potuit, ſaltem in totum, tractatione ſejungi. Verum enim illud eſt, quod quodam loco, quem infrà referam, diſputat Magnus Gregorius: Latam quidem eſſe charitatem, ſed tamen per anguſta ducere; quia via Dei (ut idem ait) incipientibus anguſta eſt, quamvis lata ſit perfectè viventibus. *Hom. 17. in Ezech.*

Quapropter & in illo ſermone, quem prolixū Chriſtus ſub mortem ad diſcipulos habuit, obſervare licet, vix aliud quidquam, niſi hæc ſibi affinia commendari, charitatem ſcilicet & conſtantiam in tribulationibus. Neque ſine cauſa Apoſtolus duo hæc conjunctim exoptat fidelibus dicens: *Dominus dirigat corda veſtra in charitate DEI & patientia Chriſti.* Ut enim obſervant aliqui, charitati Dei adjunxit Chriſti patientiam: quia hæc eſt præſertim charitas Dei, ſi ejus amore multa atque gravia ſuſtinendo, imitemur patientiam Chriſti. *2. Theſſ. 3.*

Veruntamen quando ſuſceptus à nobis præſentis opuſculi labor, eum potiſſimùm finem reſpicit, ut (quod eſt in hoc genere præcipuum) conſtanti mentis circa Chriſtum crucifixum exercitatione, ipſius exemplo atque reſpectu, formemur ad patientiam, amorem crucis, noſtri contemptum, odium, abnegationem; juvabit deinceps huic rei propria documenta ſpeciatim tradere, idq; argumentum multiplici formâ ac ratione verſare; ut hanc cum Chriſto pati-

Digitized by Google

patiendi artem, omnium difficillimam ſimul ac pulcherrimam, nobiſq; apprimè conducibilem, ac præ cæteris neceſſariam, ſi fieri poſſit, & intelligentiæ noſtræ propiorem, & infirmitati procliviorem reddamus.

Cæterùm, quod in ſuperioribus partim fecimus, ut pleramque noſtrarum exercitationum materiam ſub allegoria aut alio ſimili ſchemate proponeremus: id in ſequentibus itidem facere animus eſt, etiam quàm antea ſtudioſiùs.

Primùm: quòd cùm nobis eædem ferè res ac præceptiones perpetuò tradendæ & inculcandæ ſint; ſuimet nimirum abnegatio, malorum perpeſsio, & crucis amor, ad exemplum Domini noſtri crucifixi: res ipſa diverſè conformanda fuit ac figuranda, ut eâ tractandi varietate abſtergatur faſtidium, quod alioqui legenti inferat ſimplex eorundem documentorum repetitio.

Deinde: quòd ea quæ hîc tradimus, primâ ipſâ fronte, horroris non parum atque aſperitatis habeant: durus quippe ſermo eſt: *Abnega temet ipſum, tolle crucē tuam, &c.* Ergo aliquâ umbrarum aut figurarum amœnitate mitigandus fuit & quaſi obtegendus is horror; & ſeverioris diſciplinæ aſperitas hoc tanquam melle condienda; ut molliter animis illabens, faciliùs ad intima permeet ſalutaris præcepti traditio.

Adde: fieri neſcio quo modo, ut ſermo appoſitè figuratus, non blandiùs tantùm ac faciliùs mentem ſubintret; ſed eandem quoque magis feriat, afficiátq; validiùs. Id adeò in multis ſeu propheticis dictis, ſeu tritis ſermone proverbijs, acutiſve ſententijs, videre licet; quæ aptâ aliquâ figurâ dicendi conveſtitæ, permagnam, ſive ad memoriæ firmitatem, ſive ad id, quod in animis noſtris efficere contendunt, vim habeant; quæ ſi, illo ſuo tanquam habitu, ornatúve detracto, nudè ſimpliciterq; proponantur, minùs nos afficiant, ac teneant.

Quam

Quam ob rē non verè minùs quàm eleganter B. Ambroſius, de Pſalmorum agens Davidicorum amœnitate ac dulcedine, quâ eos legentis vel audientis tenetur animus: *Ludus* (ait) *quidam eſt iſte doctrinæ, majoris profectus, quàm cùm ſeria traditur diſciplina.* Et infrà: *Nam violentiora præcepta non permanent; quod autē cum ſuavitate præceperis, id infuſum ſemel præcordijs non conſuevit elabi.* Auguſtinus autē, tum alibi non ſemel, in Scriptura cōmendat frondoſas illas allegoriarum aut figurarum umbras, & tanquam ſilvas, quibus inſtar cervi ſpiritualis mirè capitur ac paſcitur Lectoris eas ruminantis animus. tum eo libro quem inſcripſit de Catechizandis rudibus, disertè in rem noſtram ait: plurimùm valere ænigmatum latebras ad amorē veritatis acuendum, diſcutiendúmq; faſtidij torporem. *Præf. in Pſalmos.* *L. 11. Conf. c. 2.* *cap. 9.*

Itaque Scripturæ & SS. Patrum veſtigijs inſiſtentes (neque enim quidquam eo in genere proferetur, quod non ferè aliquâ confirmetur iſtorum autoritate) pergamus diſcipulum crucis, variâ præceptionum formâ, ad perfectam ſui abnegationem ac mortificationem inſtituere: eâ quidē totius negotij temperatione; ut dum iſto quaſi doctrinæ luſu relaxare animum, & præcipiendi contentionem remittere videmur, ſeriam tamen tradamus Chriſtianæ patientiæ diſciplinam, & (quod de B. Martino ab oratione ad alia ſtudia divertente loquens, ajebat antea laudatus Severus Sulpitius) eandem ſemper tanquam incudem tundamus.

# Caput II.

## *Chriſtianæ patientiæ diſciplinam ex Chriſto crucifixo potiſſimùm eſſe hauriendam.*

§. I.

Digitized by Google

## §. I.

### *Chriſtus crucifixus artis patiendi primus ac ſummus Magiſter.*

QUod de humilitate S. Leo, quæ ſoror eſt germana patientiæ, & ſine qua, ipſa patientia, neque perfecta, neq; ſatis ſalva eſſe poteſt; id nos non abs re, ut exiſtimo, tanquã de patientia dictum accipiemus: *Totam*, videlicet, *Chriſtianæ ſapientiæ diſciplinam, in vera & voluntaria patientia conſiſtere; quam Dominus JESUS ab utero matris, uſq; ad ſupplicium crucis, pro omni fortitudine & elegit & docuit.* Nam cùm ſatis nôſſet, quàm eſſet ea res abhorrens à communi ſenſu uſúq; mortalium, & quanta in ea condiſcenda difficultas & tarditas exiſteret; in omni vita in id unum incubuiſſe viſus eſt, ut dictis & factis ejus artis præcepta, exempla, formam, rationem, uſúmq; contraderet; jámq; adeò non infelices (ut vulgus errat mortaliũ) ſed beatos eſſe qui paterentur, omni ſeu ope, ſeu operâ, & (uti loquentem Magnum Leonem jam audivimus) *pro omni fortitudine* doceret atque conficeret.

*ſerm. 7. de Epiph.*

Hæc quippe illa eſt Philoſophia cœleſtis, nova, paradoxa, & (ut Job loquitur) abſcondita ab oculis omnium, mortalium, & volucres quoque cœli (hoc eſt, ſapientes hujus ſæculi) latens: quæ ut denique mundo perſuaderetur, opus fuit divinum Magiſtrum advenire de cœlo. Apparuit enim atque illuxit ipſa DEI Patris Sapientia omnibus hominibus, *erudiens nos*, ut Apoſtolus ait, hoc eſt (ut magis patet ex voce Græca) nos tanquam pueros adhuc rudes, & ejus diſciplinæ prorſus expertes, ad abnegationem deſideriorum ſæcularium, & conſequenter ad eorum ſtudium, quæ his adverſa ſunt, informans; & quò diſciplina intellectu captúq; difficilis, proniùs admitteretur ac ſubiret diſcentium animos, non voce tantùm eam tradens, ſed facto etiam atque exem-

*Job. 28.* *Tit. 2.*

exemplo ad eam capeſſendam manuducens. Idcirco enim, ut magnus obſervat Gregorius: *venit inter nos Dominus incarnatus, adverſa appetens, proſpera fugiens, opprobria amplectens, gloriam fugiens. fugit ergo quod omnes appetunt, appetiit quod omnes fugiunt, &c.* *L. 30. mor. c. 30.*

Porrò hujus ſuæ incognitæ mundo Philoſophiæ, duplicem velut ſcholam aperuit; Bethlehemiticam ſpecum, & Golgothæum collem; iſtic præſepe pro cathedra, hîc pro ſuggeſtu crucem deligens: *tanquam lignum crucis* (quæ Sancti Auguſtini verba ſunt) *ubi erant fixa membra morientis, etiam cathedra fuerit Magiſtri docentis.* Cúmq; iſtic, hoc eſt de præſepi, velut de humili atque privata ſede loquens, divinæ ſuæ Philoſophiæ prima duntaxat elementa aut rudimenta tradidiſſe videretur; in cruce demum, ut excelſiore publicáq; mundi *ſedens in cathedra ſapientiſſimus princeps*, & (quod itidem ait Scriptura) *quaſi tenerrimus ligni vermiculus*, cùm de ſe dixerit: *Ego ſum vermis*; omnem jam iſtius diſciplinæ altitudinem ac profunditatem omnibus palàm & apertè explicuit, & ſuprema illa patiendi, crucem ferendi, ſemet abnegandi, principia atque axiomata exemplo ipſo luculentiſſimè affirmavit. Quippe qui idcirco ſuggeſtum crucis aſcenderit, ut (velut pulchrè quodam loco dixit S. Hieronymus) *omnem doctrinam ſuam patibulo roboraret*; atque illam in primis ejus partem, quæ ad patiendi rationem pertinet, eò utique nos ducente vel ipſo patibuli nomine, in quo etiam ſecundùm S. Auguſtinum, *non potentiam demonſtrabat, ſed patientiam docebat.* Quibus conſentaneè Arnoldus Abbas Bonæ vallis: *Et ne aliquid* (ait) *doctrina deeſſet, ſecuta eſt forma: quæ ideo ad ultimum dilata eſt, ut quaſi pia hæreditatis teſtamentum filij ſuperſtites eò devotiùs amplecterentur, quò Chriſti ſanguine conſcripta privilegia ſua viderent, & impreſſam obedientiæ ejus imaginem, bulla imputribilis exhiberet. Ideóq; ex illa cathe-*

*Tract. 119. in Ioa.*

*2. Reg. 23.*

*Ad Algaſ. q. 5.*

*In pſal. 40.*

*ſerm. 1. de ult. verbis Dom.*

*dra crucis, quoddam deuteronomium dictatum eſt; & ijs recapitulatis breviter, quæ multâ prolixitate diffuſa erant, ſatagit ſimul Magiſter bonus facere & docere, & exemplo confirmare doctrinam, nec tam veritatis præceptor eſſe, quàm teſtis.* Hactenus Arnoldus. Quicunq; igitur Chriſti crucifixi nos diſcipulos ſtudioſóſq; profitemur, in gymnaſio patientiæ erudiendi, in crucis & mortificationis paleſtra ſeriò exercendi ſumus.

*Vit. c.46.* Quam in rem deniq; & illud facit, quod in vita B. Henrici Suſonis legimus. Nam cùm aliquando à Deo enixè contenderet, ut ſe pati doceret, ſive certâ quadam rectè patiendi diſciplinâ, & quaſi arte informaret; fertur ei per viſum apparuiſſe Chriſtus crucifixus, Seraphini alati ſpecie, qui alis duabus ſibi caput obtegeret, duabus pedes, duas autem reliquas leni volatu exerceret. Atque in alis infimis adſcriptum legebatur hoc lemma: *Afflictionem ſponte ſuſcipe*; in medijs iſtud: *feras crucem æquanimiter*; in ſummis denique illud expreſſum erat: *Pati Chriſtiformiter.* Quo ille oſtento, & portendi ſibi intellexit vexationes multiplices, quæ cum paulò pòſt excepêre, & eas utiliter ſufferendi diſciplinam tribus his præceptis contineri; ut nimirum ſponte, ut æquanimiter, & (quod ſupremum eſt artis caput) ut Chriſtiformiter, hoc eſt, ad Chriſti crucifixi formam atque exemplum, eodémq; ſpiritu ac ſenſu, quo is paſſus eſt, & ipſe pati condiſceret. Ita patientiam doceri cupientem, vocat Chriſtus ad ſcholam crucis ſuæ; eo pacto indicans, in ea non modò patientiæ tradi theoreticen, ſed uſum etiam ac praxim accipi, ipſiúsq; adeò libenter ac promptè exercendæ ſenſum intimum atque affectum efficaciter inſtillari.

## §. 2.

### *Eandem artem, præeunte Chriſto, non adeò difficulter addiſci.*

At

AT ardua iſta eſt, inquies, patientiæ improbæ, & perfectæ ſui abnegationis, diſciplina.

Sed enim idcirco vocamur ad Crucifixi magiſterium, idcirco Doctorem habemus è cœlo. Neque enim arte aut inſtitutione ullâ opus eſt, ut diſcamus ſectari mollia, & quò ipſa ducit naturæ propenſio, ſequamur. *Nemo enim diſcit* (inquit Romanus Philoſophus) *ut ſi neceſſe ſit, æquo animo in roſa jaceat: in hoc duratur, ut tormentis non ſubmittat fidem.* *Sen. ep. 36.*

Adjunge & quod jam diximus: artem hanc, tametſi per ſe perplexam ac difficilem, tamen in ſchola crucis facili tradi compendio; & omnia illa Evangelicæ ſeveritatis capita: *Beati pauperes; beati qui lugent, beati qui perſecutionem patiuntur; diligite inimicos veſtros; abneget ſemetipſum, tollat crucem ſuam quotidie*, aliáq; hujuſmodi, à docili & attento diſcipulo comprehendi illico atque teneri, vel ſolo aſpectu & contemplatione Crucifixi. Cùm & alioqui, ipſe cœleſtis iſtius Sapientiæ Magiſter, ad eam non modò verbo exemplóve informet, ſed & lumen aſpiret mentibus, & vires voluntati ſuggerat, & diſcentium conatus manu obſecundante promoveat. Ut enim ait B. Petrus: *Modicum paſſos ipſe perficiet, confirmabit, ſolidabitq;.* Devoretur duntaxat prima elementorum ſeu rudimentorum aſperitas, adſitq; ſerium Chriſto placendi & aliquid pro eo patiendi deſiderium; & mox ille exiſtet hujus diſciplinæ fructus pulcherrimus, *Non dolere:* juxta ſcitum illud Afri Doctoris: *Si patientiæ incubabo, non dolebo.* *1. Pet. 5.* *Tertul. de patient. c. 10.*

Age igitur, amabo, Magiſter bone: & quando à Patre univerſorum Doctor renunciatus, in publica jam mundi cathedra conſtitutus es (neque enim minùs in iſta tua in jugo Calvariæ, quàm in monte Thabor transfiguratione, illa auribus noſtris inſonat paterna vox: *Ipſum audite:*) age, inquam, & pro ſuſcepto munere rudem hunc in ſchola tua

diſcipulum ad omnimodam patientiæ diſciplinam, informa atque exerce. Manifeſta mihi occulta Sapientiæ tuæ; quæ ut non ampliùs mundo occulta eſſent, ſed (tametſi adhuc ignota ſapientibus & prudentibus) parvulis tuis nota fierent, lapſus è ſolio æternitatis, conſcendiſti ſuggeſtum crucis. Aperi mihi ſenſum, ut intelligam ſcripturam hanc, quam in membrana lego corporis tui, ſtylo ferreo & notis ſanguineis exaratam, & ſpinarum quaſi interpunctionibus diſtinctam. Audio enim te per quendam miniſtrum tuum ita loquentem: Reſpuere corporis oblectamenta, frangere cupiditates, ſui contemptum deſiderare, aliena mala ſuaviter ferre, in uno DEO acquieſcere, *prima ſunt elementa in ſchola ſapientiæ, quæ in patenti & expanſo corporis mei volumine leguntur.* In hac quippe divina Academia, nobis omnia unus es: Doctor & codex, voces & ſententiæ, doctrina & comprehenſio, diffuſio & epitoma, præcepta & exempla, theoria & praxis, lex & lux, & denique viva, & efficax, & acuta & perfectiſſima totius artis patiendi demonſtratio.

*Suſo Dial. æterna Sap: c. 3.*

Sed quoniam hæc non tam intellectûs quàm affectûs diſciplina eſt: anima ſenſus, mentem impelle, voluntatem exſuſcita; verbo, da nobis cor docile; ut qui in ſchola crucis tuæ erudimur, aliquando tandem aſſequamur hanc ſcientiam Sanctorum; & hoc ſentientes in nobis ac ſapientes, quod & in Chriſto JESU, nobiſq; mortui & crucifixi mundo, ſenſu & opere teneamus veram patientiam, & per patientiam perveniamus ad coronam.

# CAPUT III.

## *Amorem crucis, & patientiæ ſtudiũ, viam ad ſalutem compendioſiſſimam eſſe.*

Nolim

Digitized by Google

NOlim operæ multum ponere in comprobanda re, in ſchola crucis certiſſima, miniméq; obſcura. Cùm & illud per ſe manifeſtum ſit; quòd, quâ viâ Chriſtus æternã nobis ſalutem peperit, eâdem tutiſſimè breviſſiméq; poſſit ad ſalutem perveniri. Neq; minùs evidens videatur; cùm lata ſit via, gaudiorum, luxûs, delitiarum hujus ſæculi, quæ ducit ad perditionem; è diverſo arctam crucis viam, & ſcrupis multarum tribulationum, dolorúmq; ſpinis obſitam, ſed Chriſti equidem aliorúmq; Sanctorum ſolo tritam, oppoſitum ad terminum, ad ſalutem inquam rectiſſimè ducere. Ut equidem verè non exaggeratè duntaxat pronunciet pius ille Scriptor, eo in capitulo, quod *De regia via ſanctæ Crucis* inſcripſit: *Ecce in cruce totum conſtat, & in moriendo totum jacet, & non eſt alia via ad vitam, & ad veram internam pacem, niſi via ſanctæ Crucis, & quotidianæ mortificationis. Ambula ubi vis, quære quodcunque volueris: & non invenies altiorem viam ſuprà, nec ſecuriorem viam infrà, niſi viam ſanctæ Crucis.* Et quæ ſequuntur.

*De imit. Ch: l. 2. c. 12.*

In quam etiam ſententiam S. Bernardus ſermone 1. in Ramis Palmarum: *Diſce*, inquit, *in paſſione quà ſit eundum. Hæc enim eſt via vitæ, tribulatio præſens; via gloriæ, via regni: ſecundum quod clamat latro de cruce: Memento mei, Domine, cùm veneris in regnum tuum. Euntem in regnum vidit; quò cùm perveniſſet, ſui memorem eſſe rogavit. Pervenit ergo & ipſe. Sed vis noſſe, quàm compendioſâ viâ? Eadem die meruit cum Domino eſſe in Paradiſo.* Iſta Bernardus.

Igitur pluribus, quæ eum in finem proferri poſſent, prætermiſſis; hoc loco duntaxat ponderare eſt animus, nonnulla S. Eccleſiæ verba in feſto Exaltationis S. Crucis propoſita; quæ lecta transcurſim, legentem minùs afficiunt, cùm mihi plena videantur non vulgaris cujusdam contemplationis. Ita enim illa in ejus diei officio (uti appellant) Matutino: *In ligno pendens noſtræ ſalutis ſemitam Verbum* Patris

Digitized by Google

*Patris invenit.* Quibus in hunc modum mihi philoſophari videtur: quaſi Verbum Patris, id eſt ipſa Dei Sapientia, cùm hominem perditum in viam ſalutis reducere, ſibíq; adjungere ac reſtituere vellet, omnes ejus rei perficiendæ vias modósq; ſcrutata atque experta ſit; potiſſimùm autem populum ſibi peculiarem, Iſraëlis genus, variè pertentans; & jam illum magnis beneficijs demerendo, jam terrendo ſupplicijs; nunc inſolita illi demonſtrando prodigia, nunc legem tradendo, nunc Prophetas ſubmittendo. Sed fruſtra fuêre hæc omnia; *& non erat vox, neque ſenſus.* Iſta, baculus erant Prophetæ, qui defuncto applicitus, vitam ei reddere non poterat: donec ipſa de cœlo deſcenderet Dei Sapientia, naturæq; noſtræ humilitatem ſuſciperet, atque incurvatâ & velut contractâ Majeſtate, ipſius ſe membris adaptans, poneret os ſuum ſuper os ejus, & oculos ſuos ſuper oculos ejus, & manus ſuas ſuper manus ejus; quo vitali tanquam attactu, afflatúq; incaleſceret frigens cadaver, ſenſimq; diſponeretur ad vitam. Verumtamen operis perfectio, crucis myſterio debebatur: quoniam niſi Unigeniti ſanguine ac morte, tam miſerè affecto ſalus parari non poterat. Idcirco denique conſcendit crucem, in eáq; ſeſe in criminum noſtrorum expiationem Patri offerens, ipſo tandem experimento cognovit, hoc demum fuiſſe, quo ſolo poſſet placari Pater; atque adeò crucem viam eſſe certiſſimam, quâ & ipſe nobis ſalutem adferre, & ipſi eandē, quaſi tuto breviſſimóq; compendio, nobis valeremus acquirere. Ita igitur, ex Eccleſiæ ſenſu, quam tantopere quæſierat noſtræ ſalutis ſemitam, in cruce deniq; Dei Sapientia invenit.

*L. 4. Reg. c. 4.*

Cui cogitationi neſcio an anſam dederint verba Apoſtoli, in hunc modum de Chriſto ad Hebræos ſcribentis: *Per proprium ſanguinem introivit ſemel in ſancta, æternâ redemptione inventa.* Nam & hîc habemus inventam à Chriſto æternam redemptionem noſtram, quaſi magno ſtudio, labo-

*Heb. 9.*

re,

re, induſtriâ conquiſitam: idq; non per ſanguinem hircorũ aut vitulorum, aliáve legis antiquæ ſacrificia, ſed per proprium ſanguinem, hoc eſt, per crucis ſacrificium, quo (ut ibidem Paulus ſubjungit) *ſemet ipſum obtulit immaculatum DEO.*

Quòd autem iſtam ſalutis viam, ſemitam appellat Eccleſia; tum illud indicat quod tangebamus, & graviter admonet ipſe Chriſtus, arctam eſſe viam ſalutis noſtræ; ſimúlque (uti ſemitæ eſſe ſolent) à communi latáq; via ſeductam; ut propterea, teſte veritate, *pauci ſint qui inveniant eam.* *Matth. 7.* Ubi rurſum obſerva inveniendi vocabulũ, ut intelligatur ea ſemita eſſe quæſitu inventúve difficilis; cùm lata via omnibus pateat, & primis ſe ingerat obtutibus, ut idcirco *multi ſint* (ah! nimis multi) *qui intrant per eam.* Tum illud inſuper inſinuat, quod hîc præſertim contendimus: ipſam crucis viã, quâ ad ſalutem perveniatur, velut ſemitæ eſſe ſolent, rectiſſimã, breviſſimam, compendioſiſsimámq; eſſe; neq; admodũ eſſe, quòd ejus propriâ aſperitate deterreamur quæ facilè ipſo compendio, ipſáq; etiam ſecuritate, compenſatur.

Ut modò non dicam, eam ipſam ſemitam crucis arctam ac duram principio, ſenſim charitate dilatari, uſúque ipſo miteſcere: uti pulchrè diſſerit S. Gregorius homiliâ quâdam: *Via DEI* (inquiens) *& inchoantibus anguſta eſt, & perfectè jam viventibus, lata.* Hom. 17. in Ezech. *Et dura ſunt, quæ contra uſum ſpiritaliter animo proponimus, & tamen onus DEI leve eſt, poſtquam illud ferre cœperimus: ita ut pro amore ejus etiam perſecutio placeat, & omnis pro eo afflictio in mentis dulcedine veniat. Ipſa ergo anguſta porta amantibus lata fit, ipſa via duræ, ſpiritaliter currentibus molles & planæ fiunt, dum ſcit animus ſe pro temporalibus doloribus gaudia æterna recipere, & hoc incipit, quod affligitur, amare.*

Verùm id equidem nos non agimus in præſentia, neq; viæ crucis aſperitatem mollire contendimus; ſed quamvis aſpe-

aſperam, duram, ſcrupoſam, ſenticoſam, tamen alacriter à nobis eſſe carpendam: quòd & ad ſalutem, quæ rebus omnibus nobis antiquior eſſe debeat, facili deducat compendio; & ipſe Dux noſter atque Salvator, ante nos gradiens, ſuis eandem veſtigijs preſſerit, immo eam gaudens atque exultans, & quodam quaſi curſu transmiſerit: uti nunc magis declarabitur.

# CAPVT IV.

## *Quàm incenſum fuerit in Chriſto deſiderium patiendi!*

PRimùm agimus de patiendi deſiderio; deinde de gaudio ejusdem in patiendo, acturi: quòd ea invicem connexa, & ex ſeſe religata ſint, eandémq; cauſam atque radicem habeant, videlicet amorem. Etenim qui multùm aliquid amat, tum illud vehementer deſiderat, cùm abeſſe contigerit; & cùm adeſt, gaudet illius præſentiâ, inq; ipſius poſſeſſione jucundè acquieſcit.

Porrò iſta multũ ac diligenter inculcamus: primùm, ut appareat, quantum Servatoris adverſum nos amori debeamus, qui noſtrâ causâ, tantâ lubentiâ, atque animi propenſione, ei ſe tormentorum acerbitati ſubjecerit. Tum ut hoc exemplo ob oculos poſito, ſenſim removeatur inſitus nobis rerum difficilium horror; cognoſcamúsq; ferri poſſe ſaltem cum patientia, quæ ille etiam cum gaudio ſuſtinuerit. Poſtremò, ut ſenſim gliſcente animis ardore pari, occipiamus (quod ſuprà dicebam) ſentire in nobis, quod & in Chriſto JESU; hoc eſt, ea amare quæ ille dilexit, concupiſcere quæ deſideravit, demúmq; ijsdem gaudere, quibus lætatus eſt. In quo Chriſtianæ atque Evangelicæ vitæ ſumma ac perfectio conſiſtit.

§. 1.

## §. I.

### *Chriſtum Dominum, ut pati poſſet, miraculis pluribus uſum eſſe.*

QVàm igitur in Dei filio ingens fuerit propter nos patiendi deſiderium, illud in primis argumento eſt; quòd eam ob cauſam, ab æternis illis paterni ſinûs delitijs, in mortalitatem ac miſerias noſtras deſcenderit, naturámque ſibi patibilem, & omnibus noſtris ærumnis obnoxiam, circumdederit.

Quod enim privatim de paupertate S. Bernardus, hoc nos communiter de reliqua etiam patiendi materia poſſumus dicere: Cùm in cœlis non inveniretur, in terris autem abundaret & ſuperabundaret iſta ſpecies; hanc concupiſcentem Dei filium deſcendiſſe, ut eam ſibi eligeret; & ſic nobis quoque (qui neſciebamus pretium ejus) ſuâ faceret æſtimatione pretioſam. Expreſſiùs autem S. Auguſtinus: *Venit* (inquit de Chriſto loquens) *ad regionem peregrinationis noſtræ accipere quod hîc abundat, opprobria, flagella, colaphos, ſputa in faciem, contumelias, ſpineam coronam, ſuſpenſionem in ligno, crucem, mortem.* Nec abſimiliter Joannes Thaulerus in explicatione Dominicæ paſſionis apud Bloſiū, de Chriſti cruce (ſeu paſſione) loquens: *Hanc*, inquit, *uſq; adeò amavit, ut illius perquirendæ causâ deſcenderit in terras; quandoquidē cœli hujuſmodi ligni genus non proferunt. factus eſt veluti exul, extra regnum, gloriam, & gaudia ſua, quò hanc poſſet amplecti.* Itaque etiam venit exultans, & giganteo non tantùm paſſu (quod ſat magnum eſſet ardenter cupientis indicium) ſed etiam curſu, ad deſideratos deſponſæ ſibi patientiæ amplexus properavit.

*Serm. 1. in Vigil. Nat.*

*In pſal. 148*

*cap. 16.*

*Pſal. 18.*

Quo in loco ſanè non negligenter ponderandum eſt, quod in præſentis paragraphi inſcriptione proponimus: Chriſtum ſcilicet, ut patientiæ ſenſum aliquem & quaſi guſtum

*Heb. 2.* ſtum habere poſſet (mortem quippe guſtavit, ut inquit Apoſtolus) & malorum noſtrorum experimentum capere; non uno ſed pluribus uſum eſſe miraculis, immo in id unum quodammodo vim omnem ſuam ac poteſtatem exeruiſſe.

In primis enim eapropter (ut dicebamus) ſingulari prorſus atque inaudito prodigio, homo factus eſt: in quo quidem opere, ſi Joanni Damaſceno credimus, eluxit præſertim infinita vis divinæ potentiæ, velut in ſupremo divinorum operum; quoniam (ut idem ait) *nihil eſt majus, quam DEUM hominem fieri.* *lib.3. de fide c. 1.*

Deinde, ut noſtram naturam induit, cùm (pro eo ac poſtulabat perſonæ dignitas) ſancta ipſius anima clarâ divinitatis contemplatione frueretur; oportuit novo miraculo beatæ animæ vim quaſi contineri ac reprimi; ne (quod alioqui futurum erat) quadam beatitudinis redundantiâ, dotes ſuas participaret cum corpore; & huic, patiendi ſeu neceſſitas ſeu facultas, Salvatori autem voluptas patientiæ, ſubtraheretur.

Rurſum: cùm ita comparata ſit mentis humanæ natura, ut eodem tempore cum lætitia excellenti ſummam ſimul triſtitiam non capiat; immo, cùm ſuprema illa voluptas, quam beati de DEO clarè viſo atque poſſeſſo percipiunt, nullam ſecum partem triſtitiæ, naturaliter admittat: reperienda fuit ratio, quâ, ſupra legem & conditionem naturæ, in Chriſti anima divino illo gaudio delibuta, locus inveniretur incredibili triſtitiæ, eiq; torrenti amaritudinis, quo beata illa mens, non infuſa tantùm aut infeſta, ſed velut obruta ac poſſeſſa eſt, cùm diceret: *Triſtis eſt anima mea uſq; ad mortem.*

Habet denique probabilitatem pia quorundam ſententia; qui Chriſtum cenſent, ſive in horto Gethſemani, ſive inter manus carnificum, ipſâ profuſione ſanguinis, vel animæ defectione, in præſentem mortis neceſſitatem adductum

ctum eſſe; ſed quò ſupereſſet ſupremo crucis ſupplicio, omnémq; menſuram deſideratæ paſſionis impleret, ipſum ſibi vitam, extra naturæ ordinem, prorogaſſe. In quem ſenſum nonnulli antè citata verba accipiunt: *Triſtis eſt anima mea uſq; ad mortem;* juxta acſi diceret: Ea vis eſt doloris atque angoris quem patior, ut poſſit ad mortem ſufficere; niſi majore vi cohibeam fugientem ſpiritum, méq; ipſe ad majora certamina, & atrociores cruciatus reſervem. Eam ſiquidem interpretationem inter alias tradit doctiſſimus noſter Salmeron; *Ob gravitatem* (inquit) *doloris, valentis in ſe abſorbere vitam, & deducere ad mortem, ob delicatiſſimam corporis temperaturam.* Expreſſius autem Gabriel Biel, his verbis: *Quis enim dubitare poſſit, Dominum in horto effuſo ſudore ſanguineo, præ mentis anguſtia extinguendum fuiſſe, niſi ad ulteriora patienda fuiſſet præſervatus ſupernaturaliter à Patre, ipſo teſte: Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem.* Et ante hos diſertè B. Laurentius Juſtinianus, agens de Chriſto flagellato & ſpinis coronato: *Debuit planè mori* (inquit) *tanto dolore transfixus; ſe tamen reſervavit ad vitam, ut bis etiam graviora perferret.* Quibus paria ſunt, quæ infrà referam ex Ubertino.

*Tom. 10. tr. 11.*

*In 3. d. 15. a. 2. in f.*

*De triump. Chriſti agone c. 14.*

En quantis prodigijs egit Salvator, ut ne ſuppliciorum atque dolorum exquiſitiſſimorum expers eſſet: in opprobrium languoris ignaviæq; mortalium, quorum pleriq; ita comparati ſint, ut etiam perpetratis miraculis, ſi qua eorum facultas eſſet, libenter ab ſeſe, quidquid eſt in vita incommodi, depulſuri atque amolituri videantur. Adeò, ſi quid eſt perpeſſu aſperum, non modò non amamus, ſed odimus etiam & averſamur.

## §. 2.

*Eundem, ſibi præſtitutum patiendi tempus, velut impatienter expectaſſe.*

IDem in Chriſto patiendi ardor ex eo etiam manifeſtè ſe prodit: quòd non in extremam ætatem argumenta dolorum aut patiendi neceſſitatem diſtulerit, ſed ab ipſo primo in vitam ingreſſu vexari & pati elegerit: perinde atque ſi ne puncto quidem temporis poſſet à complexu dilectæ ſibi patientiæ divelli. Itaque & in omni vita, ut cum B. Cypriano poſtea dicam, omnes actus ſuos patientiâ comite ſignavit. At poſtquam diuturno malorum noſtrorum experimento, proluſit ſupremo certamini, ejúſq; horam jam eſſe ſentit in proximo, vide, ut velut tarditatis impatiens, ardet, anhelat, angitur, æſtuat; dum illam ſummam votorum ſuorum ac deſideriorum complementum aſſequatur. *Baptiſmo* (inquit) *habeo baptizari; & quomodo coarctor, uſq; dum perficiatur*! Diceres illi non tormenta aut mortem, ſed balneum aliquod, delitiarum & voluptatis causâ apparari: & *coarctor* (inquit) hoc eſt, conſtringor & angor animo, præ moræ impatientiâ, neque quietem ullam habiturus ſum, dum in ſanguinis mei lacum totus immergar. Vides inſolitum & inquietum ardorem animi: vides inſatiabilem & penè intemperantem patiendi cupiditatem. Nimirum ut multùm amabat Patrem, ejúſq; gloriæ ac ſalutis noſtræ cupientiſſimus erat; ita toto pectore ferebatur in ſupplicia; quòd illis ſentiret, ex paterna voluntate, opus ſalutis ac Redemptionis noſtræ implendum & procurandum eſſe. Hinc illæ toties auditæ voces: *Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem ejus qui miſit me, ut perficiam opus ejus. Ut cognoſcat mundus quia diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio. Calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum? Calicem quidem meum bibetis, &c.* Quibus itidem labores ac dolores ſuos, divinæ gloriæ animarúmq; causâ ſuſceptos, cibum ſuum & calicem appellans, ſatis indicat, quæ ipſi fames aut ſitis eſſet; quid, inquam, præſertim appetere, quo refici, quo oblectari conſueſſet: cùm

*Lucæ 12.* *Joann. 4.* *Joann. 14.* *Joann. 18.* *Matth. 20.*

Digitized by Google

cùm ita ferat uſus loquendi, ut quo cibo quis libenter veſcitur, eum cibum ſuum eſſe dicat. Eodémq; ſpectat, quòd (prout à nobis ſuprà ex Chryſoſtomi, Proſperi, aliorúmque ſenſu indicatum eſt) paſſionis ac mortis ſuæ tempus, appellet diem ſuum; diem utique ſibi unicè charum ac præ cæteris deſiderabilem; quem etiam exultans viderit Abraham, dum arietem de vepre ſuſpenſum hærentémq; cornibus, hoſtiam pro filio ſuo immolavit ſuccidaneam, eóq; facto & Filij Dei mortem, & mortis genus adumbrari intellexit; ut pluribus Villalpandus in Apparatu. *P. 1. l. 1. c. 8.*

Denique malorum acerbitatúmq; tolerantiam Christo in primis charam fuiſſe, illud etiam indicio eſſe poteſt: quòd dilectos ſuos diſcipulos, ut ſui vicarios mittens, in mundum à Patre acceptum, miracula patrandi, gentéſque convertendi, glorioſam poteſtatem illis adeò non inviderit, ut etiam his quæ ipſe faceret, majora facturos pollicitus ſit; ut eſt in Joannis Evangelio: at eoſdem tamen ita in dolorum ſuorum partem ac patientiæ conſortium vocaverit, ut *Joann. 14.* ſibi ſupremam patiendi excellentiam, tormentorúmq; principatum reſervaverit: quippe cùm, ex communi S. Thomæ *3. p. q. 46.* aliorúmq; ſententia, dolor paſſionis Chriſti fuerit major *a. 6.* omnibus doloribus.

## §. 3.

### *Eundem inflictorum ſibi tormentorum dolores voluntariè exaggeraſſe.*

TAndem ad ingentem illam dolorum ſitim ardorémque patiendi in Salvatore ampliùs demonſtrandum atque exaggerandum, poſtremum hoc caput adjungimus; pro quo duo quædam poſſumus hoc loco cum præclaris Theologis expendere.

Primum eſt: ipſum Salvatorem amantiſſimum, dum in tormentis eſſet, noluiſſe dolorem aut mœrorem ſuum (ut fieri aſſolet) aliquâ eorum quæ levare illum poſſent conſide-

ſideratione temperare, aut ſolatij genus ullum, unde unde ortum, in animum admittere: ſed ut purum fel dolorum & meram paſſionis amaritudinem ſorberet, & quodammodo pati ſe ac mori magis ſentiret, omnē ab animo ſuo conſolationis cauſam excluſiſſe. Sic etiam expreſsè Doctor Angelicus loco citato de cauſis ſummi in Chriſto doloris agens: *Tertiò*, inquit, *magnitudo doloris Chriſti patientis poteſt conſiderari ex doloris & triſtitiæ puritate. Nam in alijs patientibus mitigatur triſtitia interior, & etiam dolor exterior, ex aliqua conſideratione rationis, per quandam derivationem ſeu redundantiam à ſuperioribus viribus ad inferiores. Quod in Chriſto patiente non fuit: quia unicuique virium permiſit, agere quod eſt ſibi proprium, ut Damaſcenus dicit.* Hæc S. Thomas.

*l. 3. de fide c. 15.*

Itaque non tantùm (quod dicebamus) illam ſummi gaudij participationem, quâ ex claro conſpectu divinitatis in mentis apice fruebatur, ne in corpus viréſve ſenſibiles, aut ipſam animæ inferiorem portionem redundaret, cohibuit; ſed, ut animo atque ardori ſuo ſatisfaceret, conſiderationem ſuam, ſive ab humanis, ſive à divinis rationibus, ex quibus in vires animæ inferiores ſtilla aliqua ſolatij derivaretur, ſtudioſè avertit; quò nimirum ipſam doloris ac triſtitiæ puritatem guſtaret; nullâ vel humani vel divini ſolatij admixtione temperatam.

*In 3. d. 15. a. 2.*

Alterum: quòd (uti etiam eo loco indicat S. Thomas, & expreſsè tradit Gabriel antè citatus) non contentus ijs cruciatibus, qui illi ex ipſa externorum vi tormentorum inferebantur; eoſdem in animi ſui intimo receſſu voluntariè auxerit; ut & ſine modo dolor creſceret, & non tantùm ex dignitate perſonæ patientis, ſed etiam (quoad fieri poſſet) ex parte pœnæ aſſumptæ, copioſior eſſet atque excellentior ſatisfactio.

Itaque ex horum Doctorum mente, dum flagellis verbi gra-

bi gratiâ cæderetur, ultra eum doloris gradum, quem ipſa per ſeſe flagella, aut incutientium vis, inferre poterat, majorem aſſumpſit ſponte ſuâ: idémq; dicendum de alijs doloribus, ſive ex coronæ ſpineæ impreſſione, ſive ex clavorũ in manus pedéſq; adactione, ſive ex reliquorum cruciamentorum vehementiâ inflictis; quos omnes, tametſi graviſſimos atque acerbiſſimos, ſpontaneo tamen augmento amplificáverit; cupiditate plus patiendi, & pro nobis abundantiùs quodammodo ſatisfaciendi.

Sed audiamus hic Ubertinum de Caſali, virum pium, è ſacro Minorum Ordine, & Doctori Seraphico ævo ſupparem, de hac ipſa re copioſiùs diſputantem. *Ipſemet JESUS* (ait) *ſecundùm ſuam divinitatem faciens, & ſecundùm ſuam charitatem amplectens, elegit omnia facere & permittere, quæ poſſunt augere dedecus, & augmentare dolorem. Unde Chriſtus JESUS pendens in cruce, non ad diminutionem, ſed augmentum doloris, miraculosè tenuit naturam in robore, uſq; ad ultimum mortis ſuæ. Et quia quantò natura eſt vivacior & fortior, tantò doloroſiùs cruciatur: hinc eſt, quod ex hoc inæſtimabilis augebatur dolor, & ſemper damnificabatur omittendo vitalem ſanguinem; & virtus conſervabatur, ut intenſiſſimum ſentiret dolorem.* Et infrà: *Sic voluit intendere ſui corporis cruciatum, ad purgandum noſtri impuriſſimi corporis delectamentum immundum. Et quia omnes dolores, qui fuerunt in corpore & anima JESU, fuerunt ab ejus charitate & poteſtate, ſecundùm regulam divinæ Sapientiæ, commenſurati paſſionis fructui & intentioni: ideo dixi ſuprà & dico, quòd illa miracula fecit in ſe & circa ſe, quæ dolorem augerent ad prædictam menſuram. Et propter hoc non eſt inconveniens, quod Bernardus miraculo attribuit, tranſitus pœnarum ſpinarum, uſque ad cerebrum: quia & clamorem mortis (quod fuit ſignum vigoris & doloris) Centurio miraculo attribuit; & ex hoc dixit, Filium DEI.* Hactenus Ubertinus.

l. 4. c. 22.

Quæ

Quæ eò tendunt univerſa, ut Chriſtum Dominum voluntariè ac ſponte doceat intendiſſe atque auxiſſe dolores ſuos; eóq; cum morte luctantem (quod etiam indicat S. Thomas) divinâ virtute ſuſtentâſſe naturam ſuam, ne confeſtim victa ſuccumberet; ſed productiore & in pœnam vivace fato defungens, ſinceriorem mortis ſuæ ſenſum, naturâ quidem acerbiorem, at animo tamen atque amori ſuo jucundiorem haberet.

*q. 47. a. 1. ad 2.*

Neque his repugnant, opinor, Patres, qui eum potiùs, cunctantem mortem ac reſtitantem, inclinati capitis velut nutu advocaſſe ſignificant, ut S. Athanaſius & alij; velut Tertullianus & Cyprianus, prævento carnificis officio, Spiritum ſponte dimiſiſſe. Quanquam enim hoc loco parum intereſt, diſtuliſſe mortem illum dicamus, an anticipaſſe, patiendi deſiderio; quando in utrovis æqua relucet dolorum mortis cupiditas: tamen, ex Autoris laudati ſenſu, facilè dicimus utrumque poſſe conſiſtere. Etenim dum, præter rerum ordinem, curſúmq; cauſarum naturalium, ſui corporis naturam (uti loquitur S. Thomas) in ſua fortitudine conſervavit; eo ſuſtentavit extremam cauſarum violentiam; mortémq; ſibi, non tam diſtulit, quàm produxit. Sed cùm ejusmodi impenſo naturæ præſidio, aut nullo modo, aut non niſi tardiùs moriturus eſſet, illo ſubtracto cùm voluit, quodammodo prævenit externarum cauſarum officium, ac ſe denique morti permittens, ſpiritum ſponte dimiſit.

*Athan. q. 4. in dictis Evang. Tertul. adv. Gent. c. 21. Cypria. de Idol. vanit.*

## §. 4.

### *Languoris noſtri, ad hos Chriſti ardores comparati, incuſatio.*

HIc verò jam exclamare compellor: O ſummam tuam, ô bone JESU, & incomprehenſibilem charitatem! ô ardorem patiendi incredibilem! ô exemplum ſingulare! ſed

quàm

quàm tibi nos, ô afflictiſſime & patientiſſime Jesu, quàm tibi non re ipſa modò, ſed etiam affectu, neque affectu duntaxat, ſed ſenſibus quoque ac judicio diſpares ſumus! Quàm ſubmotæ ſunt atque ſejunctæ cogitationes tuæ à cogitationibus noſtris, & viæ tuæ à vijs noſtris.

Tu de ſummo cœlo, ubi molliter in ſinu Patris, perennibus illis & ineffabilibus delicijs acquieſcebas, patiendi ſtudio in hanc miſeriarum convallem deſcendiſti, ut ærumnarum, quæ hic abundant, compos ac particeps fieres: nos in ipſa valle lacrymarum poſiti, perinde acſi nos primævus ille voluptatis hortus haberet, non niſi mollia & carni commoda quærimus, & (quod in nobis eſt) locum exilij in terreſtrem quaſi Paradiſum commutare nitimur. Tu divinæ naturæ neceſſitate ſummè felix, & ſecundùm humanam, divinæ gloriæ ac beatitatis particeps, atque extra omnem (ſi ita velles) malorum noſtrorum aleam ac ſortem poſitus, voluiſti tamen guſtare mortem, & reliquis noſtræ mortalitatis incommodis ſubjacere: nos injectam nobis, ſeu corruptæ originis vitio, ſeu ipsâ naſcendi conditione, patiendi moriendiq; neceſſitatem vix tandem æquo animo patimur. Tu denique ut pati poſſes, & frui voluptate patientiæ, commoviſti naturæ leges, & prodigio multiplici viam tibi ad ærumnas noſtras aperuiſti: nos è diverſo, ſi quid nobis adverſi inciderit, ei amoliendo expectamus à Deo inſueta miracula, & communem omnibus naturæ ordinem, noſtrâ propriè causâ, moveri ac perverti vellemus. Adeò non imbecilles modò & ignavi, ſed etiam vecordes ac cœci ſumus.

*Domine, aperi oculos pueri hujus, ut videat.* Inunge, quæſo, oculos mentis noſtræ collyrio ſanguinis tui, & aperi illos, ut videamus & guſtemus, quàm glorioſum ſit pro te contemni, quàm dulce tecum & pro te pati. *4. Reg. 6.*

# CAPUT V.

## *Qualiter dulcis Redemptor noſter, inter patiendum, ſummo animi gaudio exultaverit.*

EVadit id quidem (ut exiſtimo) manifeſtum ex dictis: cùm compertum ſit eum, qui id quod ardenter diúq; optârit, conſecutus ſit, eo denique potiri cum gaudio, atq; prægreſſi deſiderij magnitudinem, menſuram eſſe gaudij præſentis. Cæterùm id ipſum hoc loco ſeorſum retractandum eſt, ut doctrina per ſe difficilis, ex dictis Sanctorum fidem promptiùs inveniat, & enucleatiùs propoſita, meliùs perſuadeatur atque inſigatur animis noſtris.

### §. I.

*Stabilitur theſis propoſita Patrum, atq; in primis S. Cyrilli Alexandrini, autoritate.*

ERgo (uti modò cœpi dicere) pro ratione deſiderij, par quoque in ipſa ſuppliciorum perpeſſione Redemptoris noſtri gaudium fuit. Nam licet ſecundùm inferiorem animæ portionē, uti loquimur, cum ſummis conflictaretur doloribus, tamen in ſupremo mentis apice, ſublimi quodam complebatur gaudio: cùm hac ratione ſciret impleri voluntatem Patris, & genus humanum ad vitam & ſalutem adduci; eámq; ob cauſam, ipſâ dolorum patientiâ, veluti re ſibi præſertim complacitâ, libenter ac placidè frueretur. Quam in rem inprimis conſpirantes habemus eos Patres, qui locum illum Canticorum: *Egredimini filiæ Jeruſalem, & videte Regem Salomonem in Diademate;* ad Chriſtum patientem transferentes, hoc eſt, inquiunt, *in ſpinea corona, quam Chriſti capiti impoſuit Judæorum Synagoga* (quippe ut Cap. 3.

ait

ait Clemens Alexandrinus: *quem tanquam maleficum crucifixit, tanquam Regem coronavit*) *in die ſalutiferæ mortis ejus, in qua proprio ſanguine Eccleſiam ſibi deſponſavit: & in die lætitiæ cordis ejus; qua quidem ſalutarem pro nobis mortem oppetens, nos ab hoſtis ſervitute liberavit, atq; ita Patris obtemperans voluntati lætatus eſt ſpiritu, licet carnis cruciatibus vexaretur.* Ita qui circumfertur trium Patrum nomine Commentarius apud Theodoretum, itémq; uno verbo autor quæſtionum ad Antiochum, inter opera S. Athanaſij: *Notum autem* (inquiens) *quòd dies paſſionis ejus, fuit dies lætitiæ cordis, propter ſalutem noſtram.* *L. 2. Pedag. c. 8.* *q. 136.*

At me præ cæteris delectant verba duorum Patrum, antiquiſſimi Tertulliani, & S. Cyrilli Alexandrini, quæ hoc loco placet expendere. In primis enim S. Cyrillus, exponens illa Chriſti verba Joannis 15. *Hæc locutus ſum vobis. ut gaudium meum in vobis ſit, & gaudium veſtrum impleatur*, dicit eum locum accipi poſſe bifariàm. Et primùm quidem in ſenſu obvio & facili, quaſi id duntaxat velit Salvator, ut diſcipuli ſui in ſe gaudeant, *ſupernæ beatitudinis atq; gloriæ magnitudinem intelligentes.* Deinde (quem ſenſum altiorem & reconditiorem eſſe dicit) ut nimirum Chriſtus gaudium ſuum appellet illud, quod inter tormenta & opprobria, déq; ipſis adeò tormentis & opprobrijs, capiebat; quòd hæc cognoſceret de Patris voluntate deſcendere, pérq; ea homines ad ſalutem eſſe adducendos. *Nec verò unquam ſputis dedecoratus* (inquit) *verbis deriſus, verberibus cæſus, & tandem patibulo affixus, ullo mœrore affectus fuit, ſed decenti ſemper gaudio plenus* (*quoniam voluntatem Patris conſummari videbat, & homines hinc ſalutem habituros non ignorabat*) *illa opprobria delicias eſſe putabat. Exultavit enim ſpiritu, inſtante jam cruciatu, & dixit: Confiteor tibi Pater, &c.* Itaq; ex mente S. Cyrilli, *ut gaudium meum in vobis ſit*; hoc eſt, *ut illis ſolùmmodo lætari rebus velitis, quibus ego gaudeo*; dolorum

 ſcili-

ſcilicet atque opprobriorum tolerantiâ. Siquidem *hanc ego lætitiam elegi*. Hæc & plura Cyrillus.

In quem nempe ſenſum accipi poſſunt & illa Simonis de Caſſia, alioqui nonnihil difficilia, cùm ait: *Impaſſibiliter pendet in pœnis in animo Chriſtus, exceptô quod pro nobis dolet; ſed non de pœnis in anima dolet. Amor ſuus inſuperabilis non permittebat animam dolere de pœnis.* Eò videlicet, quòd in ſupremo (quod ajunt) mentis apice, paſſiones ſuas ſummè nobis profuturas intelligens, eas approbaret, amaret, de illis lætaretur, & pro ſua in nos charitate, ſola mala noſtra ſentiret, non autem pœnas quibus nos ab illis redimeret; quæ ideo utique etiam dulces eſſent amanti. Quò ſpectat & illud Seraphici Doctoris in Prologo ſententiarum: *Dulciſſimus noſter JESUS tantâ circa nos afficiebatur teneritudine amoris, ut non videretur ei grave, pro nobis ſuſtinere extremum & acerbiſſimum mortis genus.*

L. 4. c. 8.

## §. 2.

### *Ad idem elegans Tertulliani locus expenditur.*

SEd nervosè, ut ſolet, atque in rem præſentem appoſitiſſimè Tertullianus; cùm velut mirabundus quæſiſſet: quando DEI filius noſtrâ cauſâ mortem ſubiturus venerat; *nunquid tamen ſubeundæ morti etiam contumelijs opus fuerat? ſed ſaginari* (inquit) *voluptate patientiæ diſceſſurus volebat:* Hinc enim eſſe, *quòd deſpuitur, verberatur, deridetur, fœdis veſtitur, fœdioribus coronatur.*

l. de Pat. c. 3.

Bellè Tertullianus aſſignat Chriſto voluptatem patientiæ; quòd (ut jam etiam ex S. Cyrillo vidimus) opprobria & cruciatus reputaret delicias ſuas; & hoc velut cibo jucundiſſimo ac ſuaviſſimo libenter ac cupidè veſceretur. Quod ipſum ut etiam ſignificantiùs exprimeret, ſaginandi verbo eam in rem aptè uſus eſt, nempe ut illud efficeret: veluti in animali ſaginando deligendus eſt cibus conveni-

ens,

ens, & ad ejus genium atque naturam præſertim accommodatus, ísq; non malignè aut exiliter, ſed identidem & copiosè ingerendus: ita Chriſto Domino dolores & contumelias fuiſſe pro epulis exquiſitiſſimis & deſideratiſſimis, ut quæ ad ejus palatum ac guſtum maximè facerent; eáq; non parcè, ut averſanti, ſed (præſertim extremo tempore) effuſè & largiter, velut eorum appetentiſſimo, ingeſta fuiſſe. Itaque ſe minùs intelligendum putavit homo acutus, ſi diceret vel cum Apoſtolo, DEI Filium guſtaſſe mortem, vel Prophetæ phraſi fuiſſe ſaturatum opprobrijs; ſed ijsdem ſaginari voluiſſe dixit, pleniore vocabulo: quem eâ in parte imitari viſus eſt S. Auguſtinus, dum dixit: vitulum ſaginatum de Evangelio, eſſe ipſum Dominum, ſecundùm carnem opprobrijs ſatiatum. *l. 2. 44. Evang. q. 33.*

Ad extremum obſerva vim voculæ, quam, rei altiùs exaggerandæ jam laudatis verbis Tertullianus intexuit: *Saginari*, inquit, *diſceſſurus volebat.* Quod enim adjungit, *diſceſſurus*; ſi autorem aſſequor, eò id referre, ídq; eleganter ſignificare viſus eſt, acſi diceret: Ut qui certi cibi potúsve guſtu capiuntur, ijs ſe cupidiùs largiúsq; explere amant, ſi hanc ſibi extremam uſuram fructúmve eorum fore ſentiant; ut ſi demigrandum ſit in eas terras, quibus earum rerum nulla copia futura ſit: haud aliter Salvatorem noſtrum, qui incommoda mortalis vitæ de Cœlo experturus advenerat, eorúmq; fructu ac dulcedine mirificè tenebatur, diſceſſurum jam in regionem, ubi eorum expers ac vacuus futurus eſſet, voluiſſe voluptate patientiæ avidiùs expleri atque exaturari, quando id extremùm per vitam mortalem liceret.

Jam demum videor intelligere, Salvator mi; quid eſſet, cur in terris agens, ita vitæ commoda refugeres, neque noſtras tantùm averſarere delicias, ſed etiam cibi neceſſarij, ſeu oblivio quandoque, ſeu faſtidium te caperet, ac tandem

(quod

Heb. 12. (quod tuus ait Apoſtolus) propoſito tibi gaudio, crucem, ejúſque confuſionem atque ignominiam præoptares. Nimirum cibum habebas manducare quem neſciebamus, incognita nobis gaudia gaudebas, alibi dapes ac delicias atq; oblectamenta inveniebas. Vexari, affligi, crucifigi, mori, hunc cibum tuum, hoc balneum, hoc gaudium tuum appellabas; his tuam orexin atque appetentiam, cæterorum abſtinens, reſervabas. Ut vel ſic denique oſtenderes in bonorum ac gaudiorum delectu errare turpiter Adæ filios, & ægrorum inſtar, infectum habere ac vitiatum guſtatum cordis; ac demum ſi partem tecum ac ſocietatem vellemus habere, priùs intrandum nobis in gaudium in cruce patientis, quàm in gaudium in cœlo regnantis.

## §. 3.

### *Eadem veritas ex Apoſtoli verbis elicitur.*

SEd lubet rem omnem ex ipſa Divina Scriptura conficere, eóque mentem religioſam ad idem ſtudium paréſq; ſenſus extimulare.

Ut enim jam illa non proferam: exultaſſe Chriſtum inſtante paſſione ſuâ; ſive cùm dixit Lucæ 10. *Confiteor tibi Pater*; ut quidem cenſuit S. Cyrillus; ſive cùm Joannis 17. rogavit Patrem: *Et nunc, clarifica me tu Pater*; ex mox adferenda S. Chryſoſtomi interpretatione: Ponderanda ſunt duntaxat verba S. Apoſtoli ad Theſſalonicenſes ſcribentis, quibus eos cõmendat, quòd tribulationes cum gaudio ſpiritûs ſuſtinendo, in eo facti ſint ipſius Domini imitatores. Ita

1. Theſſ. 1. enim ait: *Et vos imitatores noſtri facti eſtis & Domini, excipientes verbum in tribulatione multa, cum gaudio Spiritûs ſancti.* Ubi dum aliam nullam aſſignat imitandi Domini materiam, niſi quòd magno animi gaudio tribulationes ſuſtinuerint, manifeſtum relinquit, & ipſum Dominum ingenti gaudio excepiſſe paſſiones ſuas, & hilarem ejus in adverſis

pati-

patientiam, noſtrâ imitatione exprimendam. Unde ibidem S. Chryſoſtomus: Quomodo autem fuerunt (quærit) imitatores Chriſti? móxq; ita reſpondet: *Quoniam ipſe quoq; multas ſuſtinuit perpeſſiones, ſed gaudebat. Lubens enim & ſuâ ſponte eò veniebat. Propter nos ſe ipſum exinaniịt, erat conſpuendus, colaphos paſſurus, in crucem agendus; & adeò gaudebat hæc patiens, ut Patri diceret: Glorifica me*, &c.

At ne ampliùs immorer in re tam comperta ac manifeſta: id unicum reſtat videlicet, ut hoc exemplo informati (quod quidem nos admonet, eadem confirmans S. Ambroſius) *gaudeamus in paſſionibus noſtris, ſicut & Chriſtus gaudebat in ſuis; & quas ille ſuſcipiebat pro ſervulis, nos ſubeamus pro Domino:* adimplentes (ut ibidem addit) quæ deſunt tribulationum Chriſti, & paſſionum noſtrarum perſeverantiâ eum lætificantes. Verùm id exactiùs proximo capite tractandum eſt. *In pſal. 37.*

# CAPVT VI.

## *Quàm congruens ſit in adverſorum tolerantia, eoſdem nos cum Domino noſtro ſenſus habere.*

### §. I.

### *Vt deceat ſervos ijſdem cum Domino moribus eſſe.*

EX his, quæ modò, de ſummo ardore patiendi, & de gaudio, quo inter patiendum affectus fuerit Redemptor noſter diſſeruimus; pronum eſt effici, quàm nos ejus ſervos conveniat, tribulationes pro Chriſto non refugere, aut cùm etiam in eas inciderimus (ex Jacobi Apoſtoli moni-

to)

*Jac. 1.* to) omne gaudium exiſtimare. Nam *ſi* (ut hoc pergam cum Tertulliano loco ſuprà laudato dicere) *probos quosque ſervos & bonæ mentis, pro ingenio Dominico converſari videmus*; hoc eſt, ad Dominorum ingenium ſe fingere, in eorũ mores atque inſtituta tranſire: *quantò magis* (ſubdit) *nos ſecundùm Dominum moratos eſſe oportet?* ijsdem ſcilicet cum Domino JESU moribus eſſe, ipſius indolem, ſenſa, affectus, atque (ut Paulo loqui placuit) ipſum JESUM Chriſtum induere. *De pat. c. 3.* *Rom. 13.*

Sed quando divinæ patientiæ fulgorem illum ægrè ſuſtinet, eámq; veluti humanâ majorem imitatione, noſtra ſuſpectat infirmitas: videamus, ſi fortè eandem in Sanctorũm exemplis quaſi refractam ac temperatam familiariùs ferre, moréſq; Dominicos, ſi non in ipſo Domino, at ſaltem in conſervorum vita luculenter expreſſos, imitando conſequi non valeamus.

Atq; ut hinc ordiar, annon ſecundùm Dominum morati erant ſervi illi; qui (uti in Actis Apoſtolorum legimus) *ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine JESU contumeliam pati?* E quorum numero ſpeciatim Beatus Andreas, dum ardore patiendi, ad crucis cõſpectum exclamat: *ô bona Crux!* eámq; tot exornat laudibus, tam blandè ac dulciter appellat: facit utique pro ingenio Dominico, & probum ſe ſervum ac bonæ mentis oſtendit, eandem cum Domino mentem habens, eadem amans, eadem cupiens, poſtremò ijsdem etiam gaudens. Vide enim, uti ex Domini ſui imitatione, crucis deſiderio & ipſe coarctetur & æſtuet, & ejus complexum etiam impatienter requirat. Nam, ô (inquit) *diu deſiderata, ſolicitè amata, ſine intermiſſione quæſita, & aliquando concupiſcenti animo præparata; accipe me, &c.* Et rurſum: *Securus & gaudens veniæ ad te, ita ut & tu exultans ſuſcipias me, diſcipulum ejus qui pependit in te: quia amator tuus ſemper fui, & deſideravi amplecti* *Act. 5.*

*plecti te.* Diceres illum amore crucis deperire, & cupidè in ejus involare amplexus, tanquam Sponſæ deſideratiſſimæ, & cujus pridem decore captus ſit; quia (ut ipſe ait) decorē ac pulchritudinem de membris Domini ſuſceperit, & divini ejus cruoris guttis, velut totidem margaritis, reſperſa atq; ornata ſit.

Sed vide ut Paulum in ſuis pro Chriſto tribulationibus exultantem deſcribit S. Joannes Chryſoſtomus: *Ita Beatus quoque Paulus* (inquit) *ante repoſita bona, in moleſtijs ſibi propter Chriſtum irruentibus gaudebat, clamabátq; dicens: Gaudeo in paſſionibus pro vobis. Et iterum: non ſolùm autem, verùm & gloriamur in tribulationibus. Et rurſum: Quoniam nobis donatum eſt à DEO, ut non ſolùm in eum credamus, ſed etiam pro eo patiamur. Etenim gratia verè maxima, dignum cenſeri propter Chriſtum aliquid pati, & corona verè perfecta, & merces futurâ retributione non minor. Et hoc nôrunt* (ſubdit Chryſoſtomus) *qui legitimè ferventérq; Chriſtum diligere ſciunt.* Et alio in loco: *Ad eundem modum Beatus quoque Paulus, cùm denſos quaſi nivium globos quolibet die in ſe irruentes perſpiceret, haud ſecus acſi in medio Paradiſo degeret, ita gaudebat & exultabat.* Hæc omnia Chryſoſtomus.

*Hom. de orat. Annæ.*

*Hom 1. in 2. Cor.*

At in ipſa Chriſti diſcipulorum ſchola eruditus S. Ignatius; dum nihil eorum quæ videntur ultra requirens, uno illo ardet deſiderio, ut *ignis, crux, beſtia, confractio oſſium, membrorum diviſio, & totius corporis contritio, & tota diaboli tormenta in ſe veniant* (ita enim ardens ille paſſionum Chriſti amator loquitur) nonne agnoſcitur de iſta eſſe familia, inter probos ſervos rectè educatus; verbo, Domini ſui moribus moratus? In cujus ſenſa & ingenium ſic penetrârat, ut diceret: ſe demum incipere Chriſti eſſe diſcipulum, cùm ardentia illa, atrocia quæque patiendi, deſideria in ſe experiretur. Porrò ſicut eadem cum Domino ſuo deſiderabat; ita ijſdem cum illo oblectabatur. Vnde illæ voces:

*Ep: ad Rom:*



Digitized by Google

*Utinam fruar beſtijs mihi paratis!* neque enim, opinor, nos frui dicimus, niſi his quæ poſſidemus cum gaudio, ſeu ex quorum uſu voluptatem aliquam, eámq; non mediocrem, capimus.

Denique, ut ævi poſterioris aliquem, ſecundùm Dominum, moratum Chriſti ſervum proferam: nónne ad Domini ſui guſtum ſeſe accommodârat Beatus Laurentius: qui cùm ob oculos immanis illa & horrifica tormentorum ſpecies atque apparatus ad terrorem proponeretur: *Infelix* (ajebat ad Tyrannum) *has epulas ego ſemper deſideravi.* ſive, ut eum loquentem inducit noſter Cornelius: Hanc menſam appeto, hanc ſitio. Non eſt famelicus, qui eſcam; nec ſitiens, qui potum deſideret tam avidè; quàm ego hæc omnia tormenta ambio ac ſitio, ut amorem amori, dolorem dolori, mortem morti rependam Jesu meo.

*In Luc: c.12.*

Nimirum & huic ſumma votorum erat, ipſis exſaturari doloribus, & ex Domini ſui guſtu, voluptate patientiæ ſaginari. Quò jam minimè neceſſe ſit Sanctorum Martyrum plures proferri; de quibus ita generatim loco modò laudato Chryſoſtomus: *ſed tamen quæ vel auditu intoleranda ſunt* (ait) *ea ob gaudium illud quod divinitùs concipitur, tolerabilia atque expetenda fiunt. Ac ſi à ligno vel à ſartagine, nonnihil adhuc ſpirantem Martyrem eduxeris, tantum gaudium in eo ſitum reperies, quantum ne verbis quidem ullis exprimi poſſit.* Quod equidem non de eo tantùm intelligo gaudio, quod de ſpe mercedis atq; retributionis inter ipſa tormenta conciperent; ſed de eo quoque, quod de ipſis tormentis capiebant, ex hoc quòd per illa (ſecundùm S. Petri dictum) paſſionibus Chriſti communicarent: quod illi quidem præmiũ maximum, atque (ut eſt ſanè S. Joannis Chryſoſtomi ſententia) mercedem cœleſti retributione non minorem, exiſtimarent.

Atque iſte fuit ſpiritus Chriſti Crucifixi: hic eorum ſenſus

Digitized by Google

ſenſus, qui ſeſe altiùs in ejus intima penetrârunt, & (Apoſtoli phraſi) ſenſum Chriſti habuerunt. Vt vel hinc valeas, mi Lector, experimentum capere, num inter ejus ſervos aliquo loco ſis, aut in ejus ſchola aliquouſq; profeceris; videlicet, ſi pati ames, ſi contemni, vexari & affligi cupias, demum ſi communicans Chriſti paſsionibus, gaudeas. *Si quis autem ſpiritum Chriſti non habet* (inquit Chriſto concrucifixus Apoſtolus) hoc eſt: ſi quis in ſe non ſentit ac experitur eosdem ſenſus, affectus, ſtudia, quæ Chriſtus in ſe habuit, & ſecutus eſt; *hic non eſt ejus;* ad ipſum propriè non pertinet; non eſt in ſervis aut diſcipulis ejus numerandus. Quòd ſi Chriſti non ſumus, cujusnam erimus? Ah! quando tandem Chriſti eſſe ſervi & diſcipuli incipiemus?

*1. Cor. 2.*

*Rom. 8.*

## §. 2.

### *Perhonorificum eſſe ſervo, Domini ſui veſtibus atq; Inſignibus indui.*

AD hæc quæ dixi confirmanda, accedit & iſta conſideratio. Nam cùm ita uſu comparatum ſit, ut nobilium aut magnatum famuli, certum ſeu colorem, ſeu modum veſtis habeant, quo inſigniti, de eorum eſſe familia intelligantur: ita in re præſenti cenſendum eſt, hoc eſſe certum ac proprium familiarium Chriſti inſigne ſufferre libenter adverſa. Proinde, ut illi qui in Regis aut Principis viri famulatu ſunt, gloriari ſolent eorum notis & inſignibus, præſertim ſi ipſos Principes ijsdem uti ac delectari videant: ita nos oportet, cum illo fideli Chriſti ſervo, gloriari in cruce Domini, & placere nobis in infirmitatibus noſtris, in contumelijs, in neceſsitatibus, in perſecutionibus, in anguſtijs pro Chriſto: quòd iſtam ſciamus eſſe certam notam, ac velut veſtem familiæ Chriſti propriam, quam & ipſe ſibi circumdederit, paupertate noſtrâ ac miſerijs ſeſe involvens, non jam lumi-

*Gal. 6.*

*2. Cor. 12.*



Digitized by Google

ne amictus & gloriâ, ſed circumamictus & circumdatus infirmitate.

Exam. c. 4. §. 44. Præclarè igitur S. Ignatius noſter, filios ſuos admonet: ſi in ſpiritu proficere, & ſeriò Chriſtum Dominum noſtrum ſequi velint, oportere eos amare, & ardenter exoptare ea, quæ ijs quæ mundus amat & amplectitur, omninò contraria ſint; *indui nimirum*, inquit, *eadem veſte ac inſignibus Domini ſui;* adeóq; paratos eſſe, etiam contumelias atque injurias quaslibet pati: *eò quòd exoptent aſſimilari ac imitari aliquo modo, Creatorem ac Dominum noſtrum JESUM Chriſtum, ejúsq; veſtibus & inſignibus indui, quandoquidem illa ipſe propter majorem profectum noſtrum ſpiritualem induit.* Et ante illum S. Bonaventura loquens de paupertatis & afflictionum tolerantia: *Et hoc debet*, inquit (ſcilicet DEI ſervus) *maximum reputare, quòd Rex Regum & Dominus dominantium Chriſtus, ſic ſervum viliſſimum ſuis dignatur induere veſtimentis, & ſibi lutum fœtidiſſimum ſimilare.* P. 2. ſtim. c. 1.

Et vide ſi non his congruant illa Chriſti verba ad filios Zebedæi: *Calicem quidem meum bibetis, & baptiſmo quo ego baptizor baptizabimini; ſeu* (ut Arabicus) *& tincturâ meâ tingemini.* Quaſi nempe hæc ſit tinctura Chriſti, immergi ſcilicet in afflictionum balneum, hi ejus colores, hæc inſignia: quibus digni habiti, *beati eritis* (ut S. Petrus ait) *quoniam quod eſt honoris, gloriæ & virtutis DEI, & qui eſt ejus ſpiritus, ſuper vos requieſcit.* Hæc enim ſumma eſt, ex Sanctorum ſenſu, quæ nobis in vita obtingere poſſit felicitas, & quam ſolam (ut ita loquamur) beati de cœlo nobis invideant; pro Chriſto pati, & cum Chriſto, eâdem cum illo veſte indui, immò ipſum Chriſtum Crucifixum induere, & (ut de Martyribus ait Beatus Cyprianus) Chriſti conſortem & cõparem eſſe, aut (quæ deniq; phraſis eſt Sanctorum Confeſſorum apud eundem) Collegam paſſionum cum Chriſto exiſtere.

Matt. 20. Marci 10. 1. Pet. 4. De laude Martyrij. Ep. 25. al. 26.

Qua-

Quapropter, ſed alio loco de hoc ipſo agens, ſupra laudatus Chryſoſtomus: *Hoc magnus eſt honor* (inquit) *hoc eſt gloria qua omnia exuperat. Si ipſe, qui propter me factus eſt ſervus, & evacuavit gloriam, non adeò exiſtimabat ſe eſſe in gloria, ut quando pro me agebatur in crucem; quid me oportet pati? Audi enim ipſum: Glorifica me, inquit, tu Pater.* *Hom. 8. Epheſ.*

Qua proinde tantâ támq; inæſtimabili gloriâ, cùm ſeſe indignos cenſerent Crucifixi diſcipuli, quanquam aliquid pro Chriſto pati votis omnibus expeterent, hanc tamen à Deo felicitatem vix ſibi ſperare audebant. Vnde vox illa fertur S. Martyris Ignatij: *Eligo pati, ſed neſcio an dignus ſim.* Et Seraphicus Bonaventura, ad hoc (uti appellat) excellentiſſimum donum poſtulandum à Deo nos provocans: *Non dico* (ait) *quòd tibi dabit pati; quia non omnibus concedit hoc: ſed tribuet tibi velle pati. Et fortè, ſi dignus fueris, etiam iſtud dabit tibi.* Ita S. Bonaventura. Quibus conſonans Lætienſis Abbas: *Pati pro DEO* (inquit) *res tanta dignitatis eſt, ut homo jure ſe reputare debeat indignum eo honore.* *P. 2. ſtim. c. 6* *Inſtit: ſpirit: c. 8.*

Rectè igitur Venerabilis Joannes à Cruce vir ſanctus, è Patrum Carmelitarum excalceatorum familiâ: qui cùm ante Chriſtum crucifixum orans, audiſſet ab eo: *Joannes quid vis pro laboribus?* generosè reſpondit: *Domine, pati & contemni pro te.* Quippe qui hanc cenſeret ſummam expetendorum in vita; neque majus ullum à Deo immortali beneficium homini mortali offerri aut deferri poſſe. Rectè & inſignis Dei ſervus ex ordine noſtro Franciſcus Cajetanus, qui ad materteram religioſam, in eandem ſententiam ſcribens, ita loquitur: *Ex tuis litteris de tua infirmitate cognovi: quaſo DEUM, ut eam tibi velit eſſe perpetuam. Hæ enim ſunt genuina notæ ac inſignia ſervorum DEI; qui pro ſua immenſa bonitate, me tali aliquâ infirmitate afficere, magno meo bono ac ſolatio, eſt dignatus.* Sic ille: ſed verbis, extra crucis ſcholam aut familiam, obſoletis & barbaris, & pennâ non niſi *Vit. §. 8.* *Vit. c. 20.*

niſi de Crucifixi latere intinctâ. Alioqui enim quænam iſta eſt ſcribendi formula? aut quàm inſolens & inuſitata ægrũ conſolandi ratio? Veruntamen diſcipuli crucis ſenſibus inter ſe congruunt, & aliter ac mundus, de rebus hujusmodi philoſophari, hoc eſt, ſentire ac loqui, in Crucifixi ſchola didicerunt.

Quibus confirmandis ac concludendis, conſentientẽ profero Dei ſervam, in eadem ſchola apprimè eruditam B. Angelam Fulginienſem, quæ quodam loco ita loquitur: *Anima, ſi attendat ad dilectum ſuum JESUM, & haberet ſcintillam amoris, non deberet quærere aliud lucrum, nec alium ſtatum in iſto mundo, niſi illum quem ipſe habuit; ſcilicet doloris & anguſtiæ & afflictionis. Et hæc eſſet* (ſubjungit) *tota conſolatio ejus.*

Cap. 61.

# Caput VII.

## *Unumquemque noſtrum Chriſti cruci, aut ipſi Chriſto, tanquam ſurculum, inſeri oportere.*

HActenus Candidatum patientiæ, ut Crucifixi ſeu diſcipulum ſeu ſervum conſideravimus: quem ipſum nunc ſuperaddimus ipſi Chriſto veluti ſurculum inſerendum eſſe, ſed eodem ſemper propoſito. Vt nimirum iſtud intelligatur, quantopere congruens aut neceſſe ſit, hominem Chriſtianæ perfectionis ſtudioſum, in eosdem cum Chriſto crucifixo ſenſus tranſire: quod tantò ampliùs demonſtrabit præſens conſideratio, quantò familiarior eſt atque intimior ſurculi cum trunco cui inſeritur, quàm aut diſcipuli cum Doctore, aut ſervi cum Domino, neceſſitudo.

§. 1.

Digitized by

## §. I.

### *Allegoriæ propoſitæ fundamenta quædam jaciuntur.*

HAnc etiam loquendi figuram verbulo nobis indicavit Apoſtolus, cùm ad Romanos ait: *Si complantati* (ſive inſititij) *facti ſumus ſimilitudini mortis ejus: ſimul & reſurrectionis erimus.* Quibus ſignificat, debere nos, qui in baptiſmo Chriſti mortem imitamur, ita illi implantari & inſeri, ut ſicut in hac vita, mortis ac paſſionis ejus conſortes facti fuerimus; ita in altera reſurrectionis illius gloriam participemus. Expreſſiùs autem S. Ambroſius, tanquam Apoſtoli ſententiam exponeret: *Quin etiam*, inquit, *ut tener ſurculus veteri abſciſſus ex arbore, in alterius fœtu radicis inſeritur: ita populus hic ſanctus, ſurculi veteris cicatricibus enodatus, in novo illo crucis ligno, tanquam gremio piæ parentis fotus, inoleſcit.* Quæ nempe tametſi per ſe lignum aridum erat & infructuoſum, tamen ex quo Chriſti ſanguine irrigata refloruit, fructum cœpit nobis beatæ immortalitatis adferre. *Rom: 6.* *L. 9. in Luc. c. 20.*

Eandémq; video S. Catharinæ Senenſi non ſemel injectam cogitationem: quippe quæ & in oratione quadam ait; ipſum Chriſtum corpus ſuum ligno crucis inſeviſſe, & nos ipſi Chriſto inſerendos per paſſionum tolerantiam & ſancta deſideria; ad producendos fructus vitæ. Et in quadam ad B. Raymundum Confeſſarium ſuum epiſtola; docet cor & affectus noſtros in arborem crucis cum Chriſto eſſe inſerendos, &c. *Epiſt: 111.*

Ex quo nobis ſeſe confeſtim aperit prima atque ſumma hujus contemplationis utilitas. Nam ſi arbori crucis, ſeu vitali trunco, inſiti ſumus; profectò non noſtros, hoc eſt veteris Adæ, ſed Crucis ſive Crucifixi, hoc eſt, Adæ novi, fructus feremus. In hac quippe myſtica inſitione, quâ

agre-

Rom. 11. agreſtis ſurculus (ut in pari cauſa Paulus loquitur) *contra naturam* inſeritur in bonam arborem, non, quemadmodum naturâ comparatum eſt, inſitivus ramulus jam poma profert ſui generis, ſed primævæ oblitus indolis, fructus novæ matri, à qua adoptatus eſt, conſentaneos edere condiſcit. Ut proinde qui cruci Chriſti velut ſurculus inſitus & incorporatus ſit, uti jam non poteſt niſi de crucis ſucco vivere, ita neque fructus niſi juxta trunci naturam, hoc eſt, ipſi cruci congeneres, aut Crucifixo conformes ferre. Quem etiam in ſenſum adduci poteſt, quod ait Apoſtolus: *Ut & qui vivunt* (tanquã inſiti Chriſto per gratiam) *jam non ſibi vivant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt:* hoc eſt, non jam indolis antiquæ, ſed arboris novæ fructus edant: quippe, ut ibi ſubdit, *in Chriſto nova creatura* effecti; ſeu (ut vocem imiter S. Paulini) ipſius ſucco per adoptionis beneficium medullati.

2. Cor: 5.

Ep:4. ad Sever.

Qui autem, amabò, crucis fructus ſunt? niſi quibus illa, cùm eam Chriſtus complexus eſt, probè onerata & conveſtita apparuit; clavi, ſpinæ, lancea, acetum, fel, plagæ, livor, ſputa, nuditas, opprobria, pavor, mœror, angor, tædium, exterior interiórq; ab omni ſolatio deſertio? Hæ enim propriæ, quantum apparet, crucis opes ſunt, hæc tota iſtius arboris meſſis atque proventus.

Porrò Crucifixi fructus proprios quos eſſe dicam? niſi heroicarum virtutum actus, quos mortalibus adhuc incognitos, inſtar arboris novæ, atque ex alio cœlo advectæ, mundo protulit: domare carnem, refrænare ſenſus, cupiditates frangere, horrere mollia, aſperis delectari, gloriari contemptu, gaudere vexationibus, dolores amare, ſe ipſum odiſſe, inimicos diligere, voluntatem ſuam divino beneplacito, quicunque tandem caſus incidat, plenè atq; ex toto ſubijcere.

Peregrini, fateor, & penè etiamnum ignoti mundo id genus fructus ſunt, & rari ſatis apparent in terra noſtra.

Nam

Nam & ipſa arbor non hujus ſoli aut cœli eſt, & ſeu glebæ vitio, ſeu culturæ neglectu, ægrè nobis & malignè provenit. Quod non eò dixerim, quaſi non ubique naſcantur cruces; quæ etiam nullo ſatu aut cultu, paſſim per ſeſe proveniant: ſed nos in præſentia de Jesu Chriſti cruce loquimur, quam eò dicimus, pleriſque in locis infeliciter ſuccreſcere, paſſímq; adverſâ & iniquâ glebâ conflictari, quòd pauci ſint mortales, qui pati ament, qui vexari & opprimi gaudeant, qui malorum ſuorum patientiam pio ad Chriſtum pro ſe paſſum reſpectu condiant ac conſecrent; qui denique ſpontanea & hilari paſſionis Chriſti imitatione, Chriſti crucem, ſuam faciant; aut ſanè cruces ſuas, unde unde tandem enatas, in ſanctam Chriſti crucem inſerant, ſuóſq; dolores ac moleſtias, quæcunque ſint, cum acerbiſſimis illius doloribus, & amara paſſione conjungant.

Attamen huc potiſſimùm tendet omnis ab Chriſti amatore ſuſcepta mentis exercitatio, ut ei quorumvis malorum tolerantia, amore Chriſti atque exemplo, dulceſcat deniq; & ſapiat; útq; crucis fructus, quaſi tempore ipſo ea arbor auſteritatem ſuam ac peregrinitatem exuerit, ipſo uſu nobis in aſſuetudinem primùm & familiaritatem, tum in dulcedinem, & velut in naturam tranſeant. Sanè quidem, etſi priusquàm Dei Filius (qui *germen Domini* ab Iſaia appellatur) *Iſai. 4.* infelici huic ligno inſertus & concorporatus eſt, ipſum crucis nomen, res non dicam fatua atque inſulſa, ſed ſaporis erat ingratiſſimi, nec erat quisquam, qui guſtaret mortem iſtam: tamen poſteaquam ſuo intimo amplexu Salvator ſuum illi ſanguinem indidit, ſuum tanquam ſuccum infudit, ſuo illam ſapore ac ſuavitate impertijt; exinde crux cœpit ſenſibus noſtris dulceſcere, ipſiúsq; fructus ad veſcendum ſuaves, & aſpectu delectabiles eſſe, ijs ſaltem, quibus & oculos & guſtatum acuerit germana Chriſti dilectio.



Digitized by Google

## §. 2.

### *Diſcurſus facti vis in pauca colligitur.*

HUc igitur tandem tota recidit, ſpiritualis hujus inſitionis adoptionisve ratio, ut de veteris hominis caudice reſecti, & obliti veterem indolem, in Chriſto maneamus, & ipſe in nobis: verùm nos in illo, ut illi inſiti & concorporati per gratiam; ipſe autem in nobis, ut vitam, ſpiritum, ſuccúmq; ſuum in nos transmittens; ipſos inquam ſenſus affectúsve ſibi proprios, virtutes ſuas, proprietates, mores nobiſcum communicans. *Ita enim ſe immiſcet nobis* (inquit, ni fallor, S. Paulinus) *ac nos ſibi conſerit, ut quod ipſe accepit, nobis proficere faciat.* Quo denique fiat, ut omne germen, flos, fructus noſter, omnis inquam noſtra cogitatio, omnis intentio, & actus omnis, ipſo Chriſti crucifixi ſanguine, ceu vitali rore in ſe tranſfuſo, vegetentur & vigeant, neque tam
*In ep. Gal. c. 2.* ſint noſtra quàm Chriſti: ſecundùm quod ait S. Hieronymus: *Beatus*, exclamans, *multúmq; felix, qui vivente in ſe Chriſto, per ſingulas cogitationes & opera poteſt dicere: In fide vivo Filij DEI, qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* Quò nimirum ſeſe perveniſſe cenſebat felix crucis ſurculus Paulus Apoſtolus, cùm in ſe Chriſtum vivere diceret. Ut enim diſputat ad ea verba Chryſoſtomus: *Quoniam ſemetipſum Chriſto Domino & Cruci præbuerat, cunctáq; rejecerat temporalia, & ad illius voluntatem faciebat omnia, non dixit: Vivo Chriſto, ſed quod longè majus erat: Vivit in me Chriſtus.*

Ad extremum ex ipſis fructibus, ſeu operibus noſtris cognoſcemus, cui plantæ inſiti, cui radici obnoxij, quo interno rore vegetemur: hoc eſt, utrùm de mundi carníſve ſpiritu, an de ſucco Crucifixi, & tanquam medullâ vivamus.
*1. Joann. 2.* Quippe (ut pronunciat dilectus Chriſti diſcipulus) *qui dicit ſe in ipſo manere, debet, ſicut ille ambulavit, & ipſe ambulare.*

Quod

Quod in rem præſentem interpretans B. Proſper: *Quid eſt*, ait, *ambulare, ſicut ille ambulavit: niſi contemnere omnia proſpera, quæ contempſit, non timere adverſa quæ pertulit?* *l. 2. de vit. contr. c. 20.*

# Capvt VIII.

## *De tribus individuis Chriſti Domini comitibus; Paupertate, Dolore, Contemptu.*

### §. I.

*Comitatum hunc, ſeu ſocietatem, Chriſto Domino perpetim adhæſiſſe.*

Occaſionem huic conſiderationi atque argumentum præbuit, quod in vita R. P. Balthazaris Alvarez legitur, viri ex Ordine noſtro ſanctiſsimi; qui S. Matri Tereſiæ *Vit. P. Balt.* fuit à ſacris Confeſsionibus, & cujus hæc ope atque operâ *c. 11.* multùm ſe in animi ſui rebus adjutam libens fatebatur.

Is igitur uti aſsiduè Chriſtum crucifixum habebat præ oculis, & vitæ ipſius ac mortis myſteria intento ſtudio con- *cap. 3. & 48.* templabatur: ita præcipuo ac ſingulari animi ſenſu meditari ſolebat, tres (ut appellabat) individuos Chriſti comites, ut qui illi ab ipſo Præſepi ad extremum uſque ſpiritum continenter adhæſerint; Paupertatem ſcilicet, Doloré & Contemptum. Eóq; referebat illud Prophetæ in Chriſti perſo- *Pſal. 87.* na dicentis: *Pauper ſum ego, & in laboribus à juventute mea; exaltatus autem, humiliatus ſum & conturbatus.* Quibus verbis dicebat proponi viam, quam Salvator noſter in omni vita tenuit; paupertatis nimirum, doloris, atque contemptus: Quos ille comites adeò familiares & intimos habuerit, ut unà cum illo de utero egreſsi, cum ipſo pariter per-



Digitized by Google

ætatis incrementa creſcerent, uſquedum ſub vitæ extrema, eam abſolutionem ac perfectionem acciperent, ut jam appareret ad ſummum denique perveniſſe, neque quidquam eſſe, quod eis ultrà addi poſſet.

Itaque vir ſanctus, Magiſtri ſui imitandi deſiderio, eundem ſibi comitatum aſſumere, & per omnem vitam conſtanter retinere, atque colere inſtituit: ſolitus etiam hos Chriſti aſſeclas & publicè & privatim ſic commendare, ut audientes ad dicentis ardorem obſtupeſcerent, ſimúlq; ad earundem rerum amorem vehementer inflammarentur.

Cæterùm ante Patrem Alvarez, eundem in modum invenio philoſophari ſolitam ſanctam Viduam B. Angelam de Fulginio: ſive hic ab ipſa forſan hauſerit, ſive idem DEI Spiritus, qui utriusque mentem ac ſenſus agitabat, eandem utrique cogitationem injecerit. Dicebat autem ſpeciatim B. Angela, hanc eſſe ſocietatem ſeu comitatum, quem Pater æternus filio ſuo in mundum prodeunti, ab ipſo primo
*Vita c. 58.* ſui conceptûs momento attribuerit; ſummam paupertatem, ſummum dolorem, ſummum deſpectum: atque eos,
*cap. 33. & 57.* qui hæc ipſa ament, eundémq; ſibi comitatum aſciſcant, accepiſſe ſe divinitùs, eſſe legitimos & electos DEI filios, eosdémq; videri eſſe de intimis ejus familiaribus, ut qui ex
*cap. 50.* eadem cum illo ſcutella edant, & ex eodem calice bibant.

Quas etiam res B. Angela quantopere cordi haberet, vel illud indicio eſt, quòd non modò in vita eas ſtudioſè ac identidem dilectis ſuis in ſpiritu filijs commendare inſtiterit, ſed etiam moriens, velut omnem cenſum ſuum ac opes
*cap. 70.* teſtamento reliquerit: *Relinquo*, inquiens, *vobis totam hæreditatem meam, quæ etiam eſt Chriſti JESU, ſcilicet paupertatem, dolorem, & deſpectum, vitam videlicet Chriſti.* Quo etiam factum eſt, ut circa ipſius imaginem, inſtrumenta paſsionis Chriſti arctè ac piè complectentis, lemmatis inſtar adſcribatur: *Summa paupertas, ſummus dolor, ſummus deſpectus.*

Ea-

Digitized by Google

Eadémq; phraſi S. Cyprianus de Chriſto loquens: *Omnes*, inquit, *actus ejus ab ipſo ſtatim adventu, patientiâ comite ſignantur.* quòd videlicet tres iſtos aſſeclas in comitatu ſemper habuerit; quibus, opinor, rebus tota patientiæ materia contineretur. Et rectè ab ipſo ſtatim adventu hunc ei patientiæ comitatum aſsignat: quippe qui & in ſtabulo naſcitur, per contemptum excluſus diverſorio; & in præſepi reclinatur, tanquam è ſinu matris in gremium dilectæ paupertatis effuſus; & frigori jam tum ac reliquis naturæ incommodis objicitur, ut nunquam eſſet ſine dolore, poſtea vir, nunc infans dolorum, & jam tum ſciens infirmitatem. *lib. de patient.*

Expreſsiùs autem S. Bernardus, tres iſtos comites nominatim deſignans, ait: *Vix natus eſt, cœli gloria, cœli divitiæ, cœli delitiæ dulcis JESUS; & ecce recenti ortui, crucis ignominia, crucis dolor, crucis paupertas copulatur.* Porrò incommoda, quæ ab ortu ſuo ſufferre cœpit Salvator, ignominiam, dolorem, ac paupertatem crucis appellat: ſive quòd hæc eſſent rudimenta quædam & anticipatio, ſeu quaſi delibatio eorum quæ poſtea in cruce toleraturus erat; ſive quòd partes eſſent & quaſi membra crucis illius ſpiritualis, quam ab ipſo conceptu in ſe ſuſceptam, per omnem deinceps vitam pertulit, de qua eodem in tractatu S. Bernardus: *Paſſionem autem non illum diem appellamus*, inquit, *quo mortuus fuit, ſed totam vitam illius. Tota enim vita Chriſti crux fuit & martyrium.* Et rurſum: *Profectò à nativitatis exordio paſſio crucis ſimul exorta eſt.* Qua de re nos infrà uberiùs. *De paſſ. Domin. c. 36.* *cap. 5. & 35.* *cap. 36.*

Ergo quorũ manibus ex utero matris exceptus eſſet, in eorum quoque gremio atque complexu mori voluit, inter brachia crucis exſpirans in ſumma paupertate, ſummo dolore, ſummo contemptu: nequà aſsignatum ſibi à Patre comitatum dimitteret, illóve priùs quàm vitâ ipſâ deſtitueretur.

Digitized by Google

tur. Quanquam neque jam exanimem, eóq; ſenſui doloris ſubtractum, comites reliqui continuò deſtituere viſi ſunt: quando & demortui latus contumeliæ patuit, militis lanceâ temeratum, & adeò nudus rebus omnibus inventus eſt, ut non niſi in alieno ſepulcrum, nec niſi alieno ſumptu ſepulturam invenerit. Ut hic meritò dicamus cum Petro Bleſenſi: *Omnem revolvite vitam Salvatoris ab utero Virginis, uſq; ad patibulum crucis, non invenietis in eo niſi ſtigmata paupertatis.*

*Serm: 9.*

*tom. 1. Opuſ. apud VVad.* Quam in rem etiam S. Franciſcus in præclara oratione ad Chriſtum pro obtinenda vera paupertate, ipſum ait è cœlis ad terras deſcendiſſe, ut illam poſſet charitate perpetuâ deſponſare; proindéq; eandem vel in ipſo utero ſocialem cum Chriſto commercium inchoâſſe; eandem ipſum ex utero in præſepe recepiſſe; in ipſo paſsionis conflictu, eandem Chriſto velut individuum armigerum aſtitiſſe; ipſum denique Chriſtum in ejus ſponſæ ſtrictis amplexibus animam emiſiſſe, &c.

Decebat nimirum hic comitatus DEI Filium: ut quoniam (quod ait dilectus ei diſcipulus) *omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ;* atque ex tribus his eorum qui mundum diligunt omnis vita componitur: è contrario illius vita, qui ſeſe mundo oppoſiturus, eúmq; debellaturus advenerat, ex rebus directò adverſantibus coaleſceret, & doloris ſenſu, concupiſcentia carnis, paupertatis amore, concupiſcentia oculorum, contemptûs deſiderio, ſuperbia vitæ opprimeretur.

*1. Ioann. 3.*

## §. 2.

*Eosdem tres comites, ei quoq; qui Chriſtum propiùs ſequi deſideret, in ſocios adſciſcendos eſſe.*

Atque

ATque in his pauculis vocibus habes, Jesu Chriſti amator, copioſam piæ commentationis materiam, & palæſtram, in qua diu multúmq; te exercere poſsis.

*Primò* igitur conſidera, nec ſine tenero amoris & commiſerationis ſenſu, quàm dulciſsimo Jesu acerba fuerit & cruciabilis illa crux ſpiritualis, ex tribus hiſce velut partibus compacta & coagmentata, in qua ille non horis aliquot, velut in ipſa cruce corporea, ſed ab ipſo in mundum ingreſſu, ad extremum uſque ſpiritum, continenter ſuffixus jacuit.

Etenim paupertas, ſatis per ſe dura & ærumnoſa, nimium quantum ingraveſcit, cùm ad eam dolor & cruciatus acceſſerit: at ſi hoc utrumque cum ignominia & deſpectione conjunctum ſit; tum verè nihil eſt, quod, præſertim animo generoſo, obvenire poſſit acerbius. Itaque & ipſe Salvator, illum dignitatis & perſonæ ſuæ contemptum, quo omnes ipſius cruciatus cumulabantur, vehementer ſentire viſus eſt, eámq; ob cauſam, quoties cum diſcipulis de futura ſua paſsione loqueretur, eum ſui deſpectum atque illuſionem, veluti principem dolorum ſuorum circumſtantiam expreſsè ac disertè commemorare. Sic enim (ut Marci 9. legimus) denuntiabat illis, *quomodo ſcriptum eſt in filium hominis, ut multa patiatur & contemnatur:* paſsionem ſuam dolore ac contemptu definiens. Et explicatiùs cap: ſequenti: *Illudent ei, & conſpuent eum, & flagellabunt & interficient eum.* At per os Evangelici Prophetæ, hæc ipſa ſuarum paſſionum adjuncta, deſpectum, inquam, illuſiones, opprobria ita ſtudioſè atque disertè prænuntiari voluit, perinde atque ſi per ea, tanquam perſonæ ſuæ notam propriam, deſignari vellet, atq; agnoſci. *Vidimus eum*, inquit, *deſpectum & noviſſimum virorum.* Et rurſum: *Et quaſi abſconditus vultus ejus, & deſpectus; unde nec reputavimus eum.* Et infrà: *Et nos putavimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à* *Iſai. 53.*

DEO

*DEO & humiliatum.* Pro quibus poſtremis (ut eruditi quidam obſervant) etiam ſignificantiùs ex Hebræo legi poteſt. *Percuſſum DEUM & humiliatum.* Ut nimirum hæc ſit quædam velut vitæ ac paſsionis Chriſti epitome, hæc ipſius Chriſti quaſi definitio aut deſcriptio, hoc Evangelicæ perfectionis exemplar, hæc tota crucis diſciplina, cùm dicitur: *Percuſſus DEUS & humiliatus.*

*Gaſp. Sanct. ibi.*

*Secundò:* Perpende nihilominus, quo amore ac ſtudio benignus Salvator, hoſce lateri ſuo jugiter inhærentes aſſeclas complexus atque exoſculatus ſit: nimirum cùm illos aſpiceret ut charos comites ſibi à Patre amantiſsimo attributos, neque tam ut adjunctos extrinſecus, quàm ut ſibi ab ipſo conceptu cognatos atq; congenitos; & quibuscum proinde, velut cum intimis, ætatem eſſet conſumpturus. Sed neque (tametſi integrum eſſet) vellet vel ad momentum eo dilecto comitatu deſtitui; quòd ſe Doctorem noſtrum ac Ducem, tum etiam medicum meminerat; neque alio certiore ſeu documento ſeu remedio poſſe, vel mores noſtros pravos corrigi, vel inolita mala curari: præſertim autem ingenitam nobis ſuperbiam, & inſanam appetentiam gloriæ; cui perſanandæ potiſsimùm viſus eſt in omni vita ſtuduiſſe. Itaque divinæ gloriæ & ſalutis humanæ deſiderio, tres iſtos comites ſibi conjunctiſsimos habuit, eóſque duobus hiſce tanquam brachijs arctè complexus, charitate Dei & amore proximi, abſque his vivere, abſque his mori noluit: ut jam excuſationem nullam haberet inexplebilis cupiditas, libido, & ſuperbia noſtra, cùm præ oculis haberemus horrendũ illud & inopinabile omnis patientiæ exemplum, cœlorum Regem noſtrâ causâ factum pauperem, & Deum percuſſum atque humiliatum.

Quanquam adhuc rari ſunt, Domine Jesu, qui divino tuo exemplo convicti, tuum hunc comitatum ament, ijsdémq; tecum ſenſibus ducantur. Ut meritò tibi illud occinamus

namus

Digitized by Google

namus è Pſalmo: *In mari via tua, & ſemita tua in aquis multis:* hoc eſt, in mari paſsionum, & aquis multarum tribulationum. *Et veſtigia tua non cognoſcentur:* quia ſcilicet hæ viæ tuæ, via paupertatis, via doloris, via contemptûs, paucis notæ ſunt, & oppidò pauci veſtigia tua inveniunt, quò eis inſiſtant, téq; quà præiviſti, aſſectentur. *Pſal. 76.*

*Tertiò:* Proinde tecum ipſe reputa, quàm te æquum ſit, qui Chriſti ſectatorem & amatorem profitearis, eodem cum illo comitatu ac ſocietate delectari.

Certè qui aliquem ex animo diligunt, eos etiam quos ille amicos ac familiares habeat, ipſius reſpectu, benevolentiâ complectuntur. Et par eſt (quod antè dicebamus) diſcipulum Magiſtro ſuo congruere: & ſufficit ſervo, ſi ſit ſicut Dominus ejus. *Matt. 10.*

Rurſum (uti etiam in exercitijs commentatur S. Ignatius) ſanequàm ignavus & probro dignus is miles cenſendus eſt, qui paratus non ſit, eodem uti victu, veſtitu, rebúſque alijs, quàm Regem ſuum utentem conſpexerit. Atqui ecce Rex noſter, & Deus noſter graditur ante nos, non alio viſendus cultu, aut apparatu inſtructus, quàm paupertate, dolore, contemptu. Hic illi omnis regalis cultus & ornatus eſt; hoc paludamentum & trabea; hi corporis cuſtodes, hoc ſatellitium, hi honorarij aſſectatores. *Contemp. de Regno Chr.*

Et paupertas quidem in Scripturis ſanctis cõmemoratur, tanquam inſigne Regis noſtri. Quippe & venturum prænuntians Zacharias, hac illum notâ ſpecialiter deſignat, dicens: *Ecce Rex tuus veniet tibi juſtus & Salvator; ipſe pauper, & ſedens ſuper aſinam.* Et jam in mundum adveniens, hoc ipſo ſigno dignoſcendus proponitur; Angelo ad paſtores dicente: *Et hoc vobis ſignum: Invenietis infantem pannis involutum, & poſitum in præſepio.* *Zach: 9.*

In hoc autem uno, & reliquus, quem dixi, comitatus continetur. Nam & paupertati laborem & dolorem cogna-

Prov. 15. tum eſſe, ſatis notum eſt, juxta illud: *Omnes dies pauperis, mali:* proptereáq; Chriſtus utrumque conjunxit, de ſe ipſo
Pſal. 68. loquens per Prophetam: *Ego ſum*, inquit, *pauper & dolens.* Eidémq; adhærere contemptum, tum ex ſacris profaniſque litteris, tum ipsâ quotidianâ experientiâ compertum eſt; ut non immeritò dixerit antiquorum quiſpiam: nihil in ſe
Juven. ſat. 3. durius habere paupertatem, quàm quod homines ludibrio ac deſpectui faciat obnoxios.

Hæc igitur ſunt inſignia Ducis ac Regis noſtri: his per omnem vitam ſpectabilem ſe tibi præbuit; in ſtabulo naſcens, in laboribus vivens, in patibulo moriens. Proinde ſi eum, ut par eſt, ſequi volueris, eodem te cultu ornari, iiſdémq; rebus contentum eſſe oportebit.

*Quartò & poſtremò:* ut meliùs ad hunc perfectionis gradum, arduum quidem ac difficilem, ſed in Dei oculis valdè pretioſum, pervenias; id tibi omnino perſuadeas, oportet: omne bonum tuum, felicitatem, pacem, in Chriſti Domini ac Dei tui imitatione conſiſtere. Etenim, ut
Eccli. 23. ait divina Scriptura: *Gloria magna eſt ſequi Dominum.* Equidem anteceſſit ille gigantis inſtar, paſſibus ingentibus; exultavit enim ad currendam viam paupertatis, doloris & contemptûs: verumtamen & nos hortatur venire poſt ſe, identidem reſpectans, & animos faciens, & manum porrigens opitulatricem Tantùm non pigeat, quà potes, ſequi; ſi de propinquo aſſectari non potes. A parvis incipe, & ſenſim ad ſumma pervenies.

Potes autem (ut & hoc praxis gratiâ admoneam) vel à paupertatis ſtudio ducto principio, ad reliquos comites planiore viâ gradum facere, vel auſu magis heroico, à generoſa germanáq; tui deſpicientia exorſus, ad doloris deinde ſtudium, paupertatíſq; deſcendere. Quemadmodum enim quiſquis paupertatem non fallaciter amaverit, ex conſequenti amabit etiam, quos pulchrè S. Vincentius appellat pau-

Digitized by Google

paupertatis Sodales & amicos, famem, inquam, ſitim, contemptum, deſpectionem: ſic qui in ſuimet deſpicientia atque contemptu aliquouſque profecerit, doloris ac paupertatis incommoda nihil admodum refugiet: quippe qui & ijs ſe dignisſimũ, & è contra omni conſolatione indignum, cenſebit. Ita & à paupertatis amore ad ſui contemptum planus ac rectus proceſſus eſt; & ab hoc ad illam, prona eſt faciliſq; regreſsio. *Vit: ſpirit. c. 1.*

Pro his ad extremum legi poteſt S. Bonaventura p. 1. Stimuli cap: 7. aſcenſu 3. ubi ex profeſſo oſtendit, tria iſta præſertim in Chriſto crucifixo apparuiſſe; & quomodo animus eum contemplantis exinde aſſurgat inflammetúrq; earundem rerum deſiderio; omnem jam honorem refugiens, eligénsq; nudus eſſe cum Chriſto nudo, & omni repleri amaritudine & afflictione cum illo, quæ pluribus ibidem perſequitur.

## §. 3.

### *Ex tribus his quaſi ſpeciebus, familiarem quandam confici poſſe, morbus animæ noſtræ medicinam.*

ASſidua igitur iſtius Chriſti comitatus commentatio, efficiet denique, ut eas quoq; res familiares nobis reddamus, & in uſum noſtrum conſuetudinémq; convertamus.

Ex iſta etenim trium ſpecierum miſtura, veluti ex quadam aloës & myrrhæ & ſucci abſynthij compoſitione, conficientur (ut ita loquar) *familiares pilulæ*, amaræ illæ quidẽ, ſed ad ſalutem oppidò efficaces, *ſine quibus* nec ipſe Salvator ullo momento eſſe voluit; & quibus quotidie, immò aſſiduè; uſi ſunt, quicunque Chriſtum propiùs ſequi, eíq; ſeſe ſpeciatim probare ſtuduerunt.

Profectò ſine his eſſe noluit S. Bernardus, qui (ut ipſe de ſe teſtatur) ab ineunte converſione ſua, hunc ſibi *myrrhæ faſciculum* colligare, & inter ubera ſua collocare curavit,

 *conſe-*

*Serm. 43. in Cant.* *confectum* (ut ait) *ex omnibus anxietatibus & amaritudinibus* Domini ſui. Quæ enim ſunt illæ Domini noſtri amaritudines, niſi res illæ humano palato adeò inſuaves & injucundæ, paupertas, dolor, deſpectus? Quod ipſe ibidem ſatis indicat, dum nos ad earundem amaritudinum arctum & indiſſolubilem complexum exhortans, ſic ait: *Tu quoq́, ſi ſapis, imitaberis Sponſæ prudentiam, atque hunc myrrhæ tam charum faſciculum, de principali tui pectoris, nec ad horam patieris avelli, amara illa omnia quæ pro te pertulit ſemper in memoria retinens, & aſſiduâ meditatione revolvens.* Teſtatus alibi, *Serm. de quadr. deb.* nihil non ſuave nobis futurum, cùm omnes Domini noſtri *Serm. 10. in Cant.* amaritudines collegerimus; eaſdémq; (ut ipſe loquitur) *in vaſculo pectoris, piſtillo crebræ meditationis contuſas & contritas*, & ſcilicet demum tanquam in maſſulam redactas, ad familiarem & quotidianum uſum adhibebimus.

Eundem quippe Doctorem mellifluum, alio in opere, ſed in argumento non diſſimili, eâdem atque nos in præſenti, loquendi figurâ uſum invenio: Dum Nazareni noſtri vulnera, velut violas ac roſas Paradiſi, ex iisq; ſtillantes cruoris guttas, tanquam decidua eorum florum folia conſiderans, jubet nos ex illis quoddam quaſi electuarium conficere, quo jugiter utamur ad medelam omnium infirmitatum noſtrarum.

*De Paſſ. Domin. c. 43.* *Accede huc* (inquit) *ô fidelis Anima, & collige tibi reliquias epulatum ſponſi tui, miſas gratiſſimas, folia roſarum. Ecce in quanta multitudine diſtillant de manibus, ſimiliter & pedibus, nec non & de latere dulciſſimi Chriſti JESU. Non eſt morbus animæ, cui his floribus mederi non poſſis. Collige tantùm folia florum florentis JESU, ſtillas ſanguinis rubicundi, & tanquam pilulas ſine quibus eſſe nolo, in cubiculo cordis tui recondе. Erit tibi illarum ſapor & odor in medicinam ſalubrem, morbos qui fuerint repellentem, venturóſq; caventem. Vide*

tan-

Digitized by Google

*tantùm ne ſine illis eſſe velis, quæ verè nomen habent, quolibet fideli dicente, ſine quibus eſſe nolo.* Ita Bernardus.

Sed neq; ſine his eſſe volebat Seraphicus Doctor, cùm diceret: *En mori volo, niſi vulneres mentem meam. Nolo, Domine, ſine vulnere vivere, quia te video vulneratum.* Neq; Seraphica S. Tereſia, cujus hæc erat ſolennis vox: *Aut pati, aut mori;* quòd nimirum nollet ſine paſſione vivere. Neque S. Apoſtolus Franciſcus Xaverius; qui afflictiones atq; ærumnas, ipſi cœleſtium gaudiorum torrenti, quo ejus anima perfundebatur, anteferens; *in ipſis incommodis ac periculis* (ut in ejus vita ſcriptum legimus) *DEUM enixè precabatur, ne his ipſum eriperet malis, niſi ad majora mala divinæ gloriæ causâ reſervaret.* Nec denique tot alij præclari Chriſti crucifixi diſcipuli, quorum ſparſim hoc opuſculo meminimus; qui ſicuti JESUM tenerè ardenterq; dilexêre, ita hanc charam JESU Societatem maximè adamârunt & complexi ſunt; gnari ſine illa ipſum JESUM non inveniri, & quibus hic charus ſit, etiam illam acceptam eſſe debere.

*P.1.Stim. c. 2.*

*l. 4. c. 12.*

Ut enim hoc rurſum cum B. Angela, pro hujus capitis clauſula, dicam: *Hæc ſunt dulciſſima DEI dona, quæ quicunque obtinere poterit, ſciat ſe perfectum & conſummatum in Chriſto, & Chriſtum in eo per transformationem.* Et paulò inferiùs: *Et ſi non poteſt iſta tria velle, ſciat quòd multùm eſt longè à Chriſti benedicta ſimilitudine: quia iſta tria aſſociaverunt eum, in omni loco, & in omni tempore, & in omni ſuo actu, ſimiliter & ſuam Matrem, ſcilicet paupertas, dolor, & deſpectus, & ignominia in ſummo.* Sic illa.

*Vit. c. 66.*

Ades igitur Diſcipule crucis, & hæc pauca trade memoriæ. Neque enim multis præceptis conſtat ars perfectè ſequendi & imitandi Chriſtum; neque multo ſtudio aut lectione opus eſt, ut tota Crucifixi diſciplina, etiam à tardioribus, mente comprehendatur. Liber ille ante oculos noſtros præſcriptus (ut Apoſtolus loquitur) hoc eſt, JESUS cru-

Digitized by Google

crucifixus, tribus tantùm pagellis conſtat; dolore nimirum, paupertate, deſpectione. Hoc compendium eſt Evangelij: hæc ſumma vitæ, & paſſionis Chriſti Jesu. Breve dictu eſt, quo tamen totum dicitur: *Ama paupertatem, ama dolorem, ama contemptum:* & jam cum Chriſto crucifixus es; jam Chriſti vitam ac paſſionem in temetipſo expreſsiſti.

# Capvt IX.

## *Via trium dierum in ſolitudine; ſive, Exercitium omnimodæ nuditatis & abnegationis ſui, ad exemplar JESU Chriſti crucifixi.*

Exod. 8. QVod olim Moyſes ad Pharaonem: *Viam trium dierum pergemus in ſolitudinem, & ſacrificabimus Domino DEO noſtro:* hoc in rem præſentem non abſurdè opinor, uſurpabimus. ſiquidem ſi DEO perfectè placere, eiq; de nobis purum ſacrificium exhibere volumus; nobis quoq; deſerenda Ægyptus eſt, pergendúmq; in vaſtam ac profundam ſolitudinem, hoc eſt, in mœſtiſſimum cor benigniſſimi Jesu, in paſſione ſua prorſus deſolati & derelicti. Quod quâ ratione poſſit effici, aut quænam ſit via trium dierum, quâ pergendum nobis in eam myſticam ſolitudinem, jam ingredior dicere.

### §. 1.

### *Via prima diei in ſolitudine.*

PRima dies hujus ſolitudinis conſiſtit in abdicatione & nuditate rerum temporaliū, earum inquam, quæ vel ad carnis ſenſuúmq; commoda, vel ad quotidianas vitæ neceſſitates, opportunitatésve pertinent. Ab his enim rebus deſertiſſimum Chriſtum fuiſſe, vel hinc intelligitur, quòd in-

in laboribus à juventute ſua, primùm in paupere parentum domo, non delicatam ac mollem, ſed inopem durámque, ac labore fabrili exercitam vitam duxerit. Tum, inter labores diſſeminandi Evangelij, ſæpe pondus diei & æſtus, ſæpe famem ſitímve ſuſtinens, ex aliena ſemper beneficentia vixerit, nullâ certâ ſede, nullo proprio loco conſiſtens, ut ne haberet quidem (quod de ſe ipſe teſtatus eſt) ubi feſſum tot laboribus reclinaret caput. *Luc. 9.* Tandem ſupremo vitæ ſuæ tempore, longè altiùs penetravit ſe in hanc ſolitudinem, in ſumma quæ eſſe aut fingi cogitatione poſſit rerum omniũ deſertione moriens; cùm jam, etiam veſte inter milites diviſa, nudus penderet in patibulo, atque in eſcam fel, acetum pro potu, pro lectulo crucem, pro cervicali ſpinas haberet; neque omni duntaxat deſtitueretur auxilio aut ſolatio humanæ vitæ, ſed per omnes ſenſus ac membra ſacratiſſimi corporis, diris cruciatibus ac doloribus conflictaretur. Hæc paupertas fuit ac nuditas Domini tui Crucifixi.

Ex ejus igitur imitatione, ſi te in harum rerum abdicatione exercueris, ſi cum patientia & gaudio fortunarum jacturam aut paupertatis incommoda, ſi dolores corporis, morborum tædia, pœnitentiæ laborem libenter ſuſtinueris, ſi demum relictis omnibus nudum Jesum nudus ſecutus fueris; jam diei unius itinere in hanc ſolitudinem intraveris; hoc eſt (ne ſic fortè totum te perfeciſſe putes) ipſa ſaltem Chriſtianæ perfectionis initia, & ſpiritualis vitæ tanquam fundamenta poſueris.

Quàm verò libenter habiturus ſit te Chriſtus ſocium in hac ſolitudine, declarant hæc ejus verba ad quandam dilectam ſuam, de S. Gertrude ægrotante: *Cum inæſtimabili gaudio expectavi tempus hoc, ut electam meam ducerem in ſolitudinem, ut ibi loquerer ad cor ejus.* *l. 5. Inſin. c. 1.* Mox autem explicans quæ eſſet illa ſolitudo: *Verbi gratiâ* (ſubdit) *ſolitudo eſt infirmitas,*

*cas, ubi Dominus loquitur ad cor dilectæ ſuæ: unde verba Domini ad electam ſunt tribulationes & gravamina cordis, &c.*

## §. 2.

### *Via ſecundæ diei.*

SEcunda dies ejuſdem ſolitudinis, ſita eſt in ea deſolatione quam patitur anima, in defectione & deſertione amicorum, eorum præſertim, à quibus ſpiritali aliquâ neceſſitudine conjunctis, opem ſolatiúmq; in rebus dubijs, & internis animi cruciamentis expectare debuerat: quâ deſtitutione, ipſis præſertim converſionis initijs, neſcio an animæ quærenti DEUM obvenire quidquam poſſit acerbius. Itaq; ſubinde uſuvenire videmus, ut qui ad cætera tela ſine ſenſu ſint, qui bonorum direptione dolores corporis, aut quamlibet auſteram vivendi diſciplinam pro nihilo ducant; hoc demum ſentiant & ferant impatientiùs, ſi vel deſit, ad quem de animi ſui rebus liberè ac tutò referant, vel auferri contingat, cui jam ſuam conſcientiam commiſerint, vel eum denique, non pro eo ac vellent, aut res ipſa expoſcere videatur, ſibi ſtudere exiſtiment.

Quo quidem genere experimenti Sanctas Tereſiam, Catharinam Senenſem ac Genuenſem, Lydvinam, aliáſque Chriſti ſponſas, non mediocriter exercitas ac probatas legimus; ut in ſpiritualibus neceſſitatibus deſererentur à conſcientiæ ſuæ Directoribus, atque ab ijsdem vel incerto ſpiritu duci, vel etiam ab Angelo tenebrarum manifeſtè decipi crederentur: divinâ nimirum Providentiâ eas ſenſim ducente in interiora ſolitudinis, ut ab uno DEO denique pendere condiſcerent, atque ablactari ab omni etiam ſpirituali ſolatio, quod ab homine poſſet expectari.

Ad hoc igitur & tu experimentũ te compara; & alterâ jam die, intra in deſertum cordis Chriſti: qui (ut hunc etiam deſolationis modum experiretur) ab uno diſcipulorum & amico-

micorum ſuorum ſceleratè venditus, ab altero impiè negatus, ab reliquis turpiter atque probroſè derelictus, vix ad extremum dulciſſimæ ſuæ Matris præſentiâ, aliorúmq; paucorum, recreatus eſt. Si tamen recreatum hoc aſpectu, & non potiùs oppreſſum cenſebimus: cùm ea fuerit in Filio ac Matre ſtudiorum affectuúmq; conſenſio, ea de corde in cor, tanquam in maris æſtu, dolorum cruciatuúmve repercuſſio ac reciprocatio; ut non tam ad ſolatium ſuum, quàm ad majus amborum tormentum, eam voluerit juxta crucem aſſiſtere, & ſibi adeſſe inter tot opprobria morienti. *Revera enim tunc, ô bone JESU* (quæ Joannis Thauleri verba ſunt) *ex afflictione materni pectoris, novam crucem in te recepiſti Solus namque pondus & gravitatem dolorum ejus, hominibus univerſis incomprehenſibilem, compaſſionis lance trutinâſti. Et id quidem maximè exaggeravit cruciatus paſſionis tuæ, quòd non modò in corpore tuo, ſed etiam in materno pectore crucifixus eras: quando & illius crux tua erat, & tua viciſſim illius.* *Explic: paſſ: c. 17.*

## §. 3.

### *Ejuſdem ſanctæ ſolitudinis dies tertia.*

TErtia dies myſticæ ſolitudinis eſt, non jam à creaturis tantùm, ſed etiam ab ipſo DEO derelinqui; hoc eſt, privari omni interno guſtu ac ſenſu ſpirituali, immo è diverſo occupari tenebris & ariditate cordis: atq; interim in mentis apice, conſuetâ pace ac tranquillitate potiri; quin potiùs hanc ipſam ſui deſertionem amare, ex puro deſiderio perfectæ conformitatis, ſive cum divina voluntate, quam homo præferat cuicunque ſuo ſolatio, ſive cum mœſtiſſimo corde Chriſti, in ſumma ſiccitate & anguſtia inter crucis brachia derelicti.

Atque hoc demum eſt, quod quondam Moyſes, minare gregem ad interiora deſerti; hoc, intima cordis Chriſti penetrare: qui jam jam ſpiritum emiſſurus, ſuper hac ſui *Exod: 3.*

extrema derelictione ſuaviter appellabat Patrē: *Deus meus, Deus meus*, inquiens, *ut quid dereliquiſti me?* Venerat quippe jam in profundum ſolitudinis, nòn modò jam à rebus creatis omnibus, ſed (quod quidem ad partem animæ inferiorem attinet) ab ipſo DEO diviniſq; ſolatijs deſtitutus. Nam hactenus ſe derelictum dicit à Patre, quòd immenſæ illi ſuppliciorum ac tormentorum acerbitati, eo volente, objectus ſit, nullâ interim in afflictam animam, ex beato divinitatis intuitu (quo mens ejus perenniter & imperturbatè fruebatur) redundante particula gaudij, quâ (ut multis Sanctorum uſuveniſſe ſcimus inter cruciatus atrociſſimos) mitigaretur ſaltem ex parte ac retunderetur ſenſus acerbiſſimi doloris. Itaque ſanctiſsima & mitiſsima illa anima purum ac putum fel ſorbebat paſsionum ſuarum, amaritudinem, inquam amariſsimam, nullo vel humano vel divino ſolatio temperatam.

Grande deſertum & vaſta ſolitudo eſt in corde hominis ad eum modum derelicti: qui ſi nihilominus fidelis & conſtans in tentatione permanſerit, nec, de cruce deſcendens, ad vana ſolatia & infima ſenſuum oblectamenta ſe converterit, ſed in omnibus divinum beneplacitum generosè ac promptè ſecutus fuerit, eiq; ſe perfectè conformaverit: is jam poſt trium dierum viam, verè ſacrificat Domino in ſolitudine, ſemet ipſum in integrum holocauſtum in altari cordis Chriſti offerens, nullam ſui partem retinens, nullâ re guſtum ſuum quærens, in nullo ſe ipſum ſentiens: in quo conſummata totius hominis abnegatio, & quædam animæ in DEUM, ut ita dicam, reſolutio conſiſtit.

Hæc enim eſt illa ſuprema & beata paupertas ſpiritus; cùm fundo animæ exinanito ab amore rerum univerſarum quæ DEUS non ſunt, ſola Divinitas replet omnes angulos cordis: ut proinde, ſi verum loquamur, nunquam minùs ſola ſit anima, quàm cùm ſic ſola eſt. Sed tamen ſola eſt; quia

Digitized by Google

quia omnibus quæ deforis advenire poſſunt, excluſis, nihilominus (velut ſponſa in lectulo ſuo per noctem dilectum quærens) eum cujus amore cætera excluſit, non invenit: quippe qui ſe adeſſe diſſimulet, conſueta nimirum ſuæ præſentiæ argumenta ſubtrahens, illam tenebris, horrore, angore circumfuſam relinquens. *Cant. 5.*

Illa igitur anima Deo ſacrficat in terra deſerta, in loco horroris & vaſtæ ſolitudinis: quæ, etiam undique deſtituta ac deſolata, omnem animi ſui propenſionem divino beneplacito planè ſubijcit: ita ut proinde ei ſapiat divina bonitas, eámq; juxtà laudet & approbet, ſive ipſam molliter ſeu durè tractet, & ſive in luce conſolationis, ſive in tenebris deſolationis eſſe velit; quia nempe Deum purè & caſtè diligens, in ipſo Deo nihil niſi Deum quærit.

Sed quoniam ea res ſummi momenti eſt in via ſpirituali, de ea nobis paulò uberiùs agendum eſt.

# Caput X.

## *Exercitij ejuſdem ulterior declaratio.*

### §. 1.

*De duplici ſapore Chriſti IESV; & quod ſumma virtutis in eo ſit, ut etiam abſq; ſpirituali dulcedine, afflictiones æquo animo toleremus.*

Sanctus Bernardinus Senenſis tomo 3. ſuorum operum hoc idem argumentum pertractans, cùm illud poſuiſſet: Chriſtum in ſe duo continere ſaporum genera, reliquorum ſaporum differentias contingentia; quorum primus eſt, ſapor dulcoris; alter, ſapor doloris ſeu amaritudinis: atque utrumque hunc guſtum expertos, tum Beatiſsimam Dei Matrem, tum Vas electionis Paulum Apoſtolũ; nec verò iſtius *Serm. 9. de B.V. a. 3. c. 1.*



Digitized by Google

interioris amaritudinis expertem fuiſſe animam Salvatoris, ad extremum rectè ſolidéq; concludit: ſummum culmen ac velut apicem Chriſtianæ patientiæ in eo conſiſtere, ſi etiã omni ſpirituali dulcedine deſtitutus, tamen DEI cauſâ libenter adverſa ſuſtineas; multóq; eſſe perfectius, ut ipſe loquitur, in paſsionibus conſolationum penuriam pati, quàm conſolationibus abundare.

Atque huic ſuæ concluſioni firmandæ, brevem ſed fortem adducit epiſtolam B. Fratris Jacobi de Tuderto, de duplici ſenſu divini amoris, ad ſanctum item virum ex eodem Ordine Seraphico F. Joannem de Alverna, per id tempus & ægrum animo, & conſuetis animi delitijs, diviniſq; ſenſibus carentem. Quæ quidem epiſtola, quâ parte Latinè ſcripta eſt, ita habet ad verbum.

*Magnum reputavi & reputo, ſcire de DEO abundare. Quare? quia ibi exercetur humilitas & reverentia. Sed magnum reputavi & reputo, de DEO ſcire jejunare, & penuriã pati. Quare? quia exercetur ibi fides ſine teſtimonijs, ſpes ſine expectatione, charitas ſine ſignis benevolentiæ. Fundamenta hæc in montibus ſanctis. Per hæc fundamenta aſcendit anima, ad illum montem coagulatum, in quo guſtat mel de petra, oleúmq; de ſaxo duriſſimo.* Hæc B. Jacobus.

Quibus, licet brevibus, ſed ſucco plenis divinæ cujusdam Sapientiæ, illud quod contendimus, efficit: Hominis profectum ac perfectionem in via ſpirituali, non (ſicut earum rerum imperiti exiſtimant) de cœleſtium voluptatum vi ac copia, quibus DEUS animas ſibi dilectas (ſub ipſa præſertim vitæ ſpiritualis initia) mulcere ſolet ac perfundere; non ex illa blanda familiaritate Sponſi cœleſtis & tanquam teneris oſculis & delicatis amplexibus, petendum & metiendum eſſe: ſed ex ſolidarum virtutum exercitio, etiam in dilecti abſentia, ex amore forti atque robuſto, qui ſciat etiam de DEO jejunare, & ſuo quaſi ſucco vivere; hoc eſt,

non

non Dei donis aut conſolationibus duci, ſed in uno ejus beneplacito, quæcunq; tandem ſit rerum facies, perinde acquieſcere. Hoc enim præ illo dubitari nequit, ipſo ſuo genere, præſtabilius eſſe ac Deo dignius.

Illecebræ illæ ſpirituales lac infantium ſunt, & velut eſca, quâ conciliantur ac tenentur in noviter ſuſcepta diſciplina; ne ſpiritualis vitæ amaritudine territi, ſenſim ad terrena ſolatia, & jam abdicatas carnis illecebras defluant. At inter acerbas animi cruces, abſque ſenſu aut guſtu ſpirituali perſiſtere, & iſtam animi carnificinam, cum amore caſto, & integra ſui ſub divinos nutus ſubjectione ſufferre; hoc ſcilicet robuſtæ virtutis eſt, panis fortium, grandium animarum exercitatio. Atque hoc eſt, quod S. Gertrudi Chriſtus revelare dignatus eſt: tum demum ſibi prorſus placere ſuorum electorum ſtudia, ſi Deo ſerviant expenſis ſuis. Illos autem ſuis expenſis Deo ſervire, qui licet saporem devotionis minimè ſentiant, in ſuſceptis tamen pietatis exercitijs, quoad poſſunt, fideliter perſeverant. *L. 3. c. 18.*

## §. 2.

### *Chriſtum purè amanti, etiam divina ſolatia refugienda, & pro ſuſpectis habenda.*

EX quibus profectò illos decipi neceſſe eſt; quos, ſi contigerit divinis ſolatijs affluere, aut vel levi guttâ reſpergi cœleſtis voluptatis, tum demum beatos ſe, & Deo in paucis dilectos exiſtiment: contrà, ſi ſpiritualis ariditas, ſi tenebræ mentis ingruerint, quaſi offenſum Deum experiantur, ita de ſalute ſua conclamatum putent. Sed audiant in rebus ſpiritûs experientiſſimũ Bloſium, ſingula ſuis ponderibus (ut ſolet) æſtimantem. *Si dulcedine*, inquit, *internâ repletus & ſupra te ipſum elevatus, uſq; ad tertium cælum evolaveris, ibiq; cum Angelis miſcueris colloquia; rem tam grandem non facies, ſicut ſi gravamen & exilium cordis pro DEO tuo* *Spec. Monach. diviſ. 2.*

*affe-*

*affectuoſè ſuſtinueris, ipſiq; Salvatori conformatus fueris: qui in extrema triſtitia, tædio, pavore & anguſtia poſitus, dixit Patri: fiat voluntas tua.*

Subtractionem internæ dulcedinis cum religioſo Thoma Kempenſi exilium cordis appellat: ſive quòd in illa ariditate mentis, cor veluti exulat ab homine, quemadmodum in Pſalmo 39. *Cor meum dereliquit me:* ſive quòd tunc homo in ipſo corde ſuo, tanquam in exilio & ignoto ſolo verſetur, non eandem in illo rerum faciem, non eosdem ſenſus atque affectus inveniens. Quod quidem cordis exilium, ex DEI amore & Chriſti imitatione ſuſtinere; hoc demum, auctore Bloſio, vera & ſolida animi devotio eſt, non (ut alioqui ſæpè uſuvenire ſolet) ſuperficies tantùm aut umbra devotionis. Qui DEI dona ſtudioſiùs æquo requirunt, aut eorum tametſi ſpirituali dulcedine nimis tenentur, non DEUM in illis, ſed ſe ipſos non purè diligunt. Atqui ſumma virtutis perfectio, in amore puro atque defæcato ſita eſt: eáq; propter nonnullos Sanctorum legimus, ipſa etiam divina ſolatia, quantum in ipſis eſſet, vitare ac defugere ſolitos; ne fortè in illis, & non in DEO purè acquieſcentes, amoris ſui ſinceritatem aliqua ex parte inficerent.

*2. de Imit. c. 9.*

Atque id in primis de B. Catharina Genuenſi proditum vitæ ipſius locis pluribus invenio. Quæ cùm ſub ſacram præſertim Communionem, in ſuaviſſimi Sponſi complexu, cœleſtibus gaudijs ac delicijs inebriaretur, ad Amorem ſuum blandè converſa, (hoc enim nomine Chriſtum Sponſum appellare conſueverat) Itáne, ajebat, mecum agitur, Amor mi? & me his amoris blanditijs lactare, & tibi propiùs adjungere conaris? Atqui id non ſemel à te contendi, ut hoc quidquid eſt cœleſtis ſuavitatis ſubtraheres, neque iſtâ me dulcedine, ſed vero & puro amore duceres. Non enim quæ de te derivantur ac profluunt, ſed ipſum te volo, dulciſſime Amor mi. Quibus paria legimus in vita Pudentianæ Zagnoni.

*Cap. 3. 6. 17. 37.*

gnoni. Hæc enim itidem, ſi quo ſolatio impertiretur divinitus, ſolebat ſuper hoc queri dulciter, & dilectũ ſuum dictis talibus appellare. Non iſtæc equidẽ tua fuêre promiſſa, Domine mi, dum nudum ac parum pati mihi pollicebare. Ecquâ verò culpâ aut infelicitate meâ, bone Jesu, iſto me theſauro ſpoliare contendis? Suſpende, amabo, benigniſsime animæ meæ Sponſe, hoc tam mihi grave iracundiæ tuæ conſilium; & mihi vel tantulum intervalli permitte, dum præteriti temporis culpam, quo pretioſum crucis tuæ margaritum, non uti par erat, ad meos profectus converti, contentiore curâ compenſare ſatagam. Sic illæ. Poſséntq; aliæ plures proferri animæ ſanctæ, quæ ijs carere divinis illecebris optaverint; quòd præ illis purum pati pro Chriſto eligerent, eáſdémq; (ni ſedulò caveatur) puro amori Dei venenum eſſe ſentirent; uti nominatim loquebatur jam laudata B. Catharina: auſa etiam dicere, ejuſmodi guſtus ſpirituales, quòd incautam animam ſenſim ineſcent, & ſub ſpecie boni blandè decipiant, homini ſpirituali magis quàm diabolum eſſe cavendas. Quod neque abſurdè, neq; imperitè dictum ſentiet, qui attenderit Doctorem Seraphicum ab eo ſenſu nihil admodum diſsidere. Is quippe de ea diſſerens ebrietate ſpirituali, *quæ conſiſtit* (ut ait) *in quadam admirabili dulcedine cordis*, docet ſemper ſecurum eſſe de ea dubitare: *quia diabolus transfigurat ſe in angelum lucis, & conſuevit aliquando ſimilia procurare. Vellet enim quod homo ſuperbiret, & ſe aliquid reputaret, ut talibus delicijs frueretur, & ibidem quieſceret, ut ſic averteretur à DEO. Et ideo* (ſubdit) *cum ſumma diligentia attendendum eſt: ut quandocunq; acciderit talis delectatio, aciem mentis in DEUM dirigas, nec ab ipſo cor tuum diſcedat: & ſi delectari oporteat, ſolùm delecteris in DEUM.* Ad extremum autem (quod præſertim huc facit) ita concludit: *Ideo pleno corde, dum ſumus in hac valle miſeriæ conſtituti, debemus magis appetere cum Chriſto cruci-*

*Cap. 12.*

*cap. 1. Dial. ſub fin.*

*P. 3. Stim. c. 6.*

*crucifixo affligi, quàm periculoſis delicijs affluere.* Quapropter ex hujus S. Doctoris aliorúmq; Sanctorum ſententiâ, conficere licet quod agebamus: animæ nimirum Chriſtum crucifixum purè amanti, dulciculos illos, tametſi ſpirituales ſenſus, cùm abſunt, requirendos non eſſe: cùm adſunt autem, cavendum ſedulò, ne illis capiatur animus; eoſdémq; potiùs veluti ſuſpectos atque periculoſos, cavendos ac defugiendos eſſe. Niſi fortè (ut ſcitè excipit B. Maria Magdalena de Pazzis) ij ſint hujuſmodi, qui ad crucis amorem & laborum patientiam nos excitent. Alioqui enim & ipſa negabat eos per ſeſe optandos eſſe: addens, DEUM non inveniri in his ſuavitatibus, ſed in vera virtute: hanc autem non acquiri dulcedine, etiam in rebus ſpiritualibus, ſed locum & tanquam ſedem veræ virtutis eſſe, in ærumnis, anguſtijs, & ſummè intenſa magnarum vexationum acerbitate.

*Vit. p. 4. c. 31.*

## §. 3.

### *Crucem etiam nudam, & ſolatij expertem, Chriſti exemplo amplexandam eſſe.*

HÆc igitur eo conſilio dicta ſint, ut (quod durum quidem ac difficile, ſed heroicæ virtutis genus eſt) ex Chriſti Salvatoris imitatione, crucem etiam nudam, & omnis ſpiritualis ſolatij expertem ac vacuam, amplexari condiſcamus. Hoc ſiquidem inter crucem Chriſti, & crucem Sanctorum intereſt: quòd Chriſtus crucem, ut erat etiamnum decorè nuda, ſcabra, aſpera, inſuavis, complexus ſit; quippe nondum ipſius attactu conſecratam ac decoratam, nondum, emollitâ nativâ duritie, de membris ejus ſanctiſsimis, eâ quam jam habet, ſuavitate aſperſam ac delibutam: ut proinde in cruce nihil niſi crucem, hoc eſt, omnium acerbitatum complexionem, meram, inquam, amaritudinem inveniens, velut eâ oppreſſus confectúsq; exclamaret: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?*

At

At plerique Sancti, non jam crucem nudam amplexabantur, ſed ipſo Chriſto crucifixo ornatam, Sponſo utique roſeo ac mellifluo: ut jam in ipſa cruce nihil minùs ſentirent quàm crucem, ſed retuſis atq; hebetatis dolorum aculeis, ipſas potiùs beatorum delicias experiri ac prægustare viderentur. Sic enim permultos Sanctorum Martyrum legimus, dulci illo muſto de crucis torcularibus redundante, ita in pœnis ſuis recreatos hilaratósq; fuiſſe, ut tanquam eo mero ebrij, vulnera ſua non ſentirent, quin potiùs pro candentibus prunis, quas nudis pedibus premere cogerentur, roſas ſe calcare crederent; & inter manus ac tormenta ſævientium carnificum, nunquam ſe dicerent jucundiùs epulatos.

Attamen hoc veriùs felicitatis fuerit quàm virtutis. Neque illo muſto ſemper potat DEUS electos ſuos, ſed felle quandoque & abſinthio meriſsimo: ut ne crucem denique propter unctionem adament, diſcántq; ſervire DEO ſuis impendijs, hoc eſt (ut etiam S. Ignatius loquitur in Exercitijs) abſque præſente ſtipendio divinæ conſolationis. Atque in hunc modum ingruente ſpiritûs deſolatione, dico enitendum nobis eſſe, ut ad Salvatoris exemplum conſueſcamus crucem etiam nudam amplexu ſtringere; aut, quando jam crucem ſine Chriſto non invenimus, eandem cum Chriſto, ſed deſolato ac derelicto, ſtringamus. *Reg. 9. ad motg anim. &c.*

Ad quam etiam mentem S. Tereſia ſorores ſuas formabat, cùm diceret: DEUM videlicet, dum nobis guſtum & ſuavitatem negat, nos quaſi generoſos milites tractare velle; nobis in hoc mundo ſic crucem imponendo, ſicut eam majeſtas illius, quoad vixit, tulit: ſcilicet ſine guſtu & ſuavitate. Proindéq, negabat illum ſincerius nobis aut majus amoris argumentum præbere poſſe, quàm hoc ipſum nobis dando, quod ipſe ſibi aliàs expetierit ac depopoſcerit. *Itin. perf. c. 17.*

# CAPUT XI.

## *Quo pacto anima deſolata ſeſe reſignabit ac proijciet in ſinum & brachia Crucifixi.*

DEI ſervus in ſpirituali triſtitia, aut quacunque alia afflictione conſtitutus, non debet anxiè abs rebus creatis doloris ſui ſolatia requirere, multò minùs, tædio ſuo levando, ad illicitas aut vanas ſenſuum oblectationes divertere: ſed omni ſpe ſuâ in Chriſto crucifixo repoſitâ, ſub velamentum confugiat alarum ejus, & in ejus brachia protectionémq; ſe proiiciens, ab illo exemplari deſolatorum, opem ac ſolatium in ſua deſolatione, cum plena animi reſignatione, requirat Hoc enim præſertim eo in articulo expectat DEUS, experiri volens ingenuitatem amoris noſtri, & num ijs jam ſimus viribus, ut ab ipſo ſolo pendere, abſq; aliûs rei adminiculo poſſimus.

Cæterùm ut hujus utiliſſimi Exercitij, formam aliquam ac praxim ſubijciam; poteris, cùm animo ægrum, aut angore oppreſſum te ſenties, in hunc ſimilémve, ſi videbitur, modum te exercere.

### §. I.

*Ejus Exercitij Pars prior.*

3. Regum 19. PRimò igitur ad inſtar Eliæ, qui in ſolitudine, mœrore confectus, abjecit ſe ſub umbra juniperi: ita in mœroribus & anguſtijs tuis, proijce te ſub umbra crucis. Ibi dolores tuos, aut afflictæ mentis tædia, cum mœſtiſſimo afflictiſſimóq; JESU, velut cum amico fideli, fidenter ac blandè communica: in ejus ſinum curas tuas omnes depone. Di-

Pſal. 37. cito illi cum Propheta: *Domine ante te omne deſiderium meum, & gemitus meus à te non eſt abſconditus.* Ecce, ô mea

ſola

Digitized by Google

ſola ſalus, ut dolore afflictus, ut luctu pœnè proſtratus jacet! verbo, derelictus & tibi quodammodo non abſimilis ſervus tuus. *Anima mea, ſicut terra ſine aqua tibi*: expectans rorem de vulneribus tuis ſtillantem, pluviam voluntariam, quâ perfuſum cor meum recreetur ac refloreat, & priſtinæ fructum devotionis inveniat. *Pſal. 142.*

Dicito item cum ſororibus Lazari: *Domine, ecce quem amas infirmatur.* Nam quin impensè me diligas, dubitare non ſinit, vel ea, quam cerno, figura & habitus in cruce ſuffixi corporis tui. Dilectionis tuæ pignus teneo, expanſas manus, vultum in me propenſum, apertum latus, ſanguinem totis venis ſcaturientem. *Patent mihi viſcera per vulnera. Si non amares, talia pignora non dares.* *Joann. 11.* *Aug. Man. c. 21.* *Idem in pſ. 90.*

Dicito denique cum S. Bonaventura: *Ergo bone Domine JESU, recollige me viſceribus, refice uberibus, & inebria me vulneribus.* Recollige diſperſum, refice laſſum, inebria languentem, ac ſitis ariditate fatiſcentē: ne fortè deficiam in via, ſi jejunum ſiccúmq; dimiſeris, & deſtitutum conſolatione tuâ. Atque his aliiſq; (quos præſens uſus ac neceſſitas ſuggeſſerit) animi afflicti pijs ſenſibus & aſpirationibus, in ſecreto cubiculi tui, ſub umbra crucis captabis auram; &, vel ad ipſum Crucifixi conſpectum (niſi mea me fallit opinio) ab ijs curis quæ te cruciant, nonnihil levari & reſpirare poteris. *P. 1. Stim. c. 18.*

*Secundò*: Si animo altiùs inſiſtens mœror, iſtam exercitij inſtantiam dicam, an viciſſitudinem popoſcerit: potes humili ſellâ conſidens, ipſam effigiem Crucifixi in ſinum accipere, & nunc ejus pallentem vultum, aut acutis ſpinis preſſum verticem, aut hians vulnus divini cordis, devotis oculis contemplari, animíq; tui mœſtitiam eo velut theatro ac ſpectaculo ſanctè fallere; nunc per omnia ſanguinolenti corporis ſeu membra ſeu vulnera, pia oſcula dividere, eadémq; (ſi quas occluſus dolor invenire poſſit contriti



Digitized by Google

cordis lacrymas) iſto tanquam cordis tui ſangine reſpergere; poſtremò vel ori genisve appreſſum tenere diutiùs, vel in ejus arctiore complexu, juxta ac ſi dormitet anima tua præ tædio, hærere dulciter & quaſi acquieſcere, nec illum dimittere, niſi benedixerit tibi.

Sanè hoc ſolatij & levamenti genere, in animi ſui doloribus uti ſolitum invenio Rupertum Abbatem; neque id ſine pretio operæ. Nam, ut ipſe de ſe ſcriptum reliquit, cùm die quâdam, varijs confectus angoribus, in Sacello B. Mariæ poſt altare occultè conſidens, teneret in ſinu complecteretúrq; altari detractam Crucifixi è ligno effigiem, eandémq; defixis circùm oſculis ſolicitaret, & crebrâ (ut conſuêrat) capitis demiſſione adoraret, datum eſt illi divinitùs, obductis repentè corporis luminibus, interiore oculo videre Dei Filium in cruce velut viventem, ipſúmq; Rupertum aſpectu benigniſſimo conſolantem, indicantémq; quàm ſibi accepta eſſet ea, quam tam piè uſurparet, exercitatio. Ex quo ille viſo non modò præſenti moleſtia relevatus eſt, ſed tanto etiam divinæ voluptatis ſenſu perfuſus, ut exinde per multum tempus retinuerit in ore animæ, guſtum quendam illius, quam tum perceperat, ineffabilis ſuavitatis.

L. 12. in Mat.

*Tertiò:* in eo Chriſti crucifixi ſive conſpectu, ſive complexu, certioris ſolatij gratiâ, circa roſeum cordis ejus vulnus, diligentiùs ac ſtudioſiùs occupabere: fingéſque te piâ cogitatione, nunc de latere illo divino erumpentem ſanguinem, veluti doloris medicamentum, ſugere; nunc exundantem inde vaporem ſuaviſſimæ charitatis haurire; nunc in ipſum divinum cruorem mœrores tuos intingere, & amara tædia eodem quaſi intinctu condire.

Quod utique genus ſolatij promptum ac ſibi familiare habuiſſe fertur S. Lutgardis. Quæ videlicet, ut prodit autor vitæ ipſius, ſi quo animi aut corporis incommodo conflictaretur, ſtabat coram imagine Crucifixi, & confeſtim

l. 1. c. 7.

ſtim in Chriſtum abſorpta; intuebatur illum ſibi præſentem, ejúsq; lateris cruentum vulnus, cui os ſuum adjungens, tantam inde ſugebat dulcedinem, ut jam nullâ re poſſet affligi.

Quamobrem etiam religioſam Virginem hortabatur S. Bonaventura: ut ſi quid triſtius aſperiúsve, ſi quid tædij aut amaritudinis incideret, illico recurreret ad Chriſtum crucifixum, ejúsq; ſacratiſſima vulnera pedum, manuum, capitis, ac præſertim lateris attentiùs contemplaretur; *recolens* (inquit, *qui ſic pro te paſſus eſt, qui tanta pro te ſuſtinuit, quantùm te amaverit. Crede mihi, quia ſtatim tali intuitu, omne triſte lætum, omne grave leve, omne tædioſum amabile, omne aſperum dulce & ſuave reperies; ſic ut & tu incipias exclamare cum Beato Job & dicere: Quæ priùs noluit tangere anima mea, nunc propter anguſtiam paſſionis Chriſti, cibi mei ſunt: quàm dulcia & delectabilia facta ſunt mihi.* *De perf. vit. c. 6.* *Job. 6.* Quod exemplo confirmat viri cujusdam Religioſi, qui cùm ob conſuetam victûs aſperitatem, ſeveritatémq; religioſæ diſciplinæ, grandi tædio oppreſſus eſſet, ſolatij gratiâ procidit ad Crucifixi imaginem; & ecce repentè de perfoſſo ſimulachri latere ſanguis manare cœpit, unáq; ad aures allabi Crucifixi vox, admonentis, ut quoties ciborum auſteritate offenderetur, eos Chriſti ſanguine intingere ac condire aſſueſceret: ita omnem ab ijs horrorem & amaritudinem, de facili abſtergendam, atque in ſuavem jucundúmq; ſaporem commutandam. Quod adeò non uni contigiſſe, referunt alij; ut exemplis pluribus demum compertum haberemus; nihil eſſe tam amarum in vita, quod piâ mentis commentatione intinctum in latus Crucifixi de divini cordis ſuavitate dulceſcere non poſſit.

§. 2.

*Ejusdem Exercitij pars poſterior.*

Q*Vartò:* Poſtquàm hac ratione afflicto animo nonnihil indulſeris, & dolori tuo hoc tanquam ſpatium laxamentúmve conceſſeris: aſſurge paulatim, & omiſſis queſtibus, ad ipſum Crucifixi aſpectum, velut ad ſpeculum, animum tuum licet oppreſſum mœſtitiâ, ad quandam in primis æquabilitatem & indifferentiam compone.

Ingredere piâ meditatione in mœſtiſſimum cor benigniſſimi Jesu; guſta & experire, ſi potes, amarorem ejus abſinthij, quo dulciſſima ipſius anima, ſub ſuum exceſſum, undique infecta & confuſa eſt; & iſtam mœroris, quâ velut abſorberis, guttulam, in immenſam illam amaritudinis abyſſum immerge.

Indue cor ſecundùm cor afflictiſſimi Jesu. Qui tametſi ad ſuæ derelictionis acerbitatem declarandam, de eâ cum Patre dulciter expoſtulare viſus eſt; non tamen idcirco, naturæ deſiderio velut obſecundans, illam cordis ſui amaritiem à ſe amoliri aut excutere voluit; ſed uti in primis horti Gethſemani mœroribus, ita in his ſupremis, propenſionem omnem voluntatis ſuæ, ad paternæ definitionis nutum ſubjunxit atque accommodavit.

Sed & paucis antè diebus, in agonem extremum quàm deſcenderet, cùm imminentis paſſionis injecta cogitatio, ejus ſenſus nonnihil commoviſſet, en ut ſeſe rurſum permittit Patri, animíque ſui propenſionem ad ejus gloriam ac voluntatem inflectit. Sic enim loquitur Joannis 12. cap: *Nunc anima mea turbata eſt. Et quid dicam? Pater ſalvifica me ex hac hora. Sed propterea veni in horam hanc Pater, clarifica nomen tuum.* Verbis pauculis, ſed variâ ſcilicet ſubnaſcentium ſimul affectionum commotione conciſis, omnem præſentis exercitij rationem mihi videtur eſſe complexus. Nam primùm in illa anxia mentis ægritudine, hæret veluti pendens animi, num & quale dolori ſuo levamen aut ſolatium exquirat. Tum verò, ne nullus in eo humanitatis ſenſus

eſſe

eſſe videatur, ut ab inſtanti malo liberetur, flagitat Patrem. Continuò tamen, tanquam affectum ſuum corrigat, amplectitur ultrò oblatum amaritudinis calicem, quippe qui illius ergò in mundum, & in hanc ipſam horam venerit. Ad extremum proinde Patrem obſecrat, ut nullo ipſius deſiderij reſpectu, ſolius divinæ ſuæ gloriæ claritatíſq; rationem habeat. Hanc igitur formulam ſequi potes & tu in deſolatione tua; dicendo cum ipſo Salvatore: *Nunc anima mea turbata eſt, &c.*

*Quintò:* Verùm ut ad illud, quod in hoc exercitio ſupremum eſt, & genus quoddam robuſtioris ſolatij, gradatim tandem pervenias; hoc eſt, ut præſentem mœrorem & ægritudinem, non æquo tantùm, ſed etiam libenti animo, pro Chriſto & cum Chriſto ſuſtineas: incipe amare derelictionem tuam, quòd per eam Chriſto derelicto ac deſolato aliquâ ex parte, ſimilis efficiaris.

Gaude per te augeri numerum eorum, qui Chriſti paſſionibus communicent, eíq; in ſumma deſtitutione atque angore conſtituto, fideliter & conſtanter aſſiſtant. Gratias age æterno Patri, quòd ex ſingulari in te amore, tractet te inſtar Unigeniti & unicè dilecti filij ſui. Offer illi hunc cordis tui laborem, conjunctum doloribus Unigeniti, in gloriam ipſius & laudem æternam.

Ita ipſo amore ſenſim dulceſcet amaritudo tua, & (ex Aſceticorum Doctorum ſententiâ) rem præſtantiorem, Deóq; acceptiorem feceris, quàm ſi longâ inediâ corpus aliíſve afflictationibus attriveris; eíq; proinde eris charior, & ad capeſſenda majora quædam & diviniora dona apparaberis. Nam (ut quidam amicorum DEI apud Bloſium ait) *quem DEUS donis potioribus exornare, ſublimitérq; transformare decrevit, eum non blandè aut molliter lavare, ſed totum in mare amaritudinis immergere conſuevit.* Et Chriſtus ad Henricũ Suſonem: *Quantò externa tua crux fuerit acerbior, & intus* *Inſtit. ſpirit. c. 8.* *Dial. ſap. c. c. 18.*

*tu ipſe magis derelictus fueris, tantò propiùs ad meam accedes ſimilitudinem, & æterno Patri eris charior. ſiquidem hac ratione præcipui DEI amici probantur.*

## §. 3.

### *Quædam in eandem rem obſervatu digna adduntur.*

AD extremum placet, velut appendicem, iſta quæ ſequuntur adijcere. *Primùm:* Quod de recurſu ad Crucifixum in deſolatione jam diximus, id pariter ad alterum illud deſolatorum exemplar, afflictorúmq; perfugium, ſanctiſſimam, inquam, DEI Matrem utiliter extendi poſſe. Juvabit enim te ſubinde in afflictione tua ad Matrem dolorum hoc ferè pacto confugere. Contemplare illam, juxta crucem filij aſſiſtentem, mœrore ac luctu oppreſſam, ſed quò filio ſuo ſimilior evaderet, in ſummis cordis ſui preſſuris, abſque ſolatio derelictam; ut jam tacitâ ſecum cogitatione
Ruth 1. diceret: *Ne vocetis me Noëmi (id eſt pulchram) ſed vocate me Mara (id eſt amarā) quia amaritudine valde replevit me Omni-*
Vit. c. 61. *potens. Nunquid enim* (ut ait ad ejus imitationem nos provocans B. Angela) *MARIA Mater JESU dilectiſſima, videns dilectum filium ſuum in cruce pendentem & morientem, petivit tunc ab ipſo dulcedinem aut conſolationem? Certè nequaquam: ſed anguſtias ab eo accepit, amaritudinem & dolorem.*

Adjunge te illi ſocium in deſolatione ſua. Poſtula amanter, ut quemadmodum dolorum ejus aliquâ ratione es particeps, ita conſors exiſtas amoris, & ſummæ illius cum voluntate divina conſenſionis, per quam ipſa Virgo (uti ajebat S. Catharina Senenſis) facta eſt ſcala, quâ Chriſtus aſcendit in crucem. Quòd nempe nec ipſa (ut pluribus antea demonſtratum eſt) proprio filio ſuo pepercerit; ſed, Patris voluntate perſpectâ, eum lubens voléunsq; pro nobis omni-
Expl. paſſ. c. 13. bus tradiderit: proindéq; ei (quæ pia eſt Joannis Thauleri
L. 1. Rev. c. 20. meditatio, innuitq; Chriſtus apud B. Birgittam) gratius fue-

rit

rit tanto ſuo deſtitui ſolatio; quàm, ſi ei liceret, hominum impedire redemptionem. Et *quia* (ut ſubijcit idem autor) *DEI intelligebat voluntatem, ut unà cum filio ſuo pateretur, ſponte ſeſe ad hoc obtulit, etiam mori paratiſſima, unà cum JESU nato ſuo, pro ſalute ac redemptione miſerorum.*

*Alterum* quod hîc obſervamus, eſt: hoc capite traditam ſe ipſum conſolandi rationem, non facilè cuiquam, quamlibet deſolato, deeſſe poſſe. Semper enim homini bonæ voluntatis patet recurſus ad Crucifixi ſeu brachia ſeu vulnera, ſempérq; copia eſt de Salvatoris fontibus, ſi non largiter hauriendi, at ſtillam ſaltem aliquam libandi. Experta hoc eſt B. Lydvina, quæ cæteris ſubinde deſtituta divinis ſolatijs, in hoc denique ſolo exercitio, doloris ſui remedium atque allevamentum inveniebat. In hunc enim modum ipſa de ſe loquitur: *Hoc tamen mihi relictum eſt, quod vitam & paſſionem amantiſſimi JESU, avidâ mente percurro. Nec mihi ulla ſupereſt, meo judicio, exercitandi facultas, niſi ut dilectũ per noctem in lectulo crucis quæram, & à Patre derelictum abſq; ſpiritûs dulcedine aſpiciam, & mente complectar in cruce morientem.* Sic illa. Quocirca etiam S. Teresia, hoc ipſum pro facili & afflictis omnibus obvio ſolatio proponebat, dicens: *Si quã ærumnâ aut triſtitiâ opprimaris, intuere illum in hortum Gethſemani abeuntem, & conſidera, quantam ille tunc triſtitiam in corde ſuo gereret. Aut reſpice illum ad columnam ligatum, & toto corpore flagellis conciſum, idq; ex vehementi amore, quo te proſequitur. Denique reſpice crucem bajulantem, & ita ſub ea gementem, ut ne ſpiritum quidem attrahere permitteretur. Reſpiciet ille viciſſim blandis & benignis oculis, ſed lacrymis oppletis, & ſuorum ipſe tormentorum obliviſcetur, quò te in tuis ærumnis ſoletur.*

*Vit. p. 3. c. 8.*

*Itin. perfect. c. 26.*

*Poſtremum:* Nullam hac eſſe efficaciorem certiorémve rationem, obtinendi à DEO opportuni ſolatij; quàm ſi in tua deſolatione, uti dicebamus, plenè atque integrè ei te



Digitized by Google

tradas atque reſignes; paratus etiam per omnem vitam (ſi ita ferat ejus voluntas) quocunq; ſolatio deſtitui, atque in perpetua ariditate cordis animiq; deſolatione vivere, eò quòd, ex Chriſti imitatione, pro unico ac ſummo ſolatio tibi ſit, per te, in te, & de te, fieri ejus ſanctiſſimam, tibiq; acceptiſſimam voluntatem. Ut enim præclarè Abbas Bloſius: *Homo reſignatæ voluntatis, qui in quibuslibet tentationibus, anguſtijs & doloribus ſuis, novit amanter fidere DEO, ſecuréq; ſe & omnia ſua paternæ providentiæ illius committere; is planè cor DEI vulnerat, & ipſum Dominum cogit ſibi adeſſe.* Quòd ſi fortè DEUS eundem ad tempus, aut (quod rarum erit) in vitæ reliquum, in illa ſenſuum obnubilatione, aut cordis oppreſſi defectione deſtituat, neque eum ullâ ſenſibili (ut ajunt) conſolatione recreet, quòd ad ſuam gloriam ejúſq; ſalutem ita fieri conveniat: attamen non omittet illa bonitas, eum gratiâ ſuâ ad quandam majeſtatem generoſæ patientiæ amorémq; fortem confirmare; ut jam Dominum ſuum puriùs diligat, ac plura pro eo pati amet, ſicq; ei ſua deſolatio, ad dilectionis DEI aliarúmq; virtutum ſolidarum augmentum proficiat: quod, ex ſenſu S. Ignatij in Exercitijs, genus quoddam eſt veræ atque robuſtæ conſolationis ſpiritualis. Ut hic jam non addam, quod proximo capite demonſtrabitur; ut alia deficiant, grande eſſe ſolatium Chriſtum amanti, poſſe pro dilecto quidpiam ſufferre, & in paupertate, labore, dolore, derelictione, Domino ſuo pauperi, afflicto, derelicto aſſimilari. Itaque vir magnus, & in rebus ſpiritûs multùm exercitatus S. Franciſcus Saleſius, negabat etiam in extrema deſolatione ſpiritûs, ejus liberationem eſſe à DEO expetendam.

*Farr. util. prec.*

*Reg. 3. ad mot. anim. diſcern.*

Neque admiratione tantùm fortaſſis, ſed etiam imitatione dignum videbitur nonnullis, quibus ad id DEUS firmum animi robur addiderit, quod in vita Venerabilis ſervæ DEI, MariæVictoriæ, de quadam ipſius ſpiritali filia commemora-

*L. 2. c. 2.*

moratur. Quæ cùm ab initio ſuſceptæ vitæ religioſæ, in omni ſuimet abnegatione, vexatione, odio, ac pene ultra modum, verſata eſſet, atque inter ea ſanctæ ſeveritatis exercitia, magno jubilo ſpiritus diviniſq; raptibus frueretur, tandem DEO puriùs ſerviendi deſiderio, in ipſius divinæ Majeſtatis conſpectu, omni in poſterum renunciavit guſtui ſpirituali, contenta in reliquam vitam quocunque deſtitui divino ſolatio, & (ſi DEO id allubeſceret) non modò quibusvis conflictari externis incommodis, ſed etiam in omnimoda ſpiritûs deſolatione verſari. Atque hanc puram generoſámq; omnis ſolatij abdicationem DEUS acceptam habuiſſe viſus eſt. Mox ſiquidem illam multiplex ægritudo corripuit, unà cum profunda deſolatione ſpiritûs, quæ uſque ad extremum vitæ tenuit: DEO interim illam in ſupremo mentis vertice, ſolidarum virtutum actibus, præſtanti divinæ bonitatis fiduciâ, excelſo vigore animi, & magno ſe Deo arctiſſimè conjungendi deſiderio, roborante dicam an munerante? At poſt iſta lego, ſub idem tempus pactum ejusmodi iniviſſe cum DEO etiam B. Mariam Magdalenam de Pazzis; nempe ut coram illo omni in poſterum ſpirituali guſtui ſeu ſolatio renunciaret; quod ipſe tunc quidem etiā viſus eſt acceptaſſe. Sed cùm aliquando neſcio quem ſenſum cœleſtis dulcedinis ipſius animæ divina bonitas impertiviſſet; confeſtim cum DEO expoſtulaſſe, atque hunc in modum eſſe conqueſtam: Hei mihi! quare Domine Deus pactum violas inter nos initum, cùm jam olim pro tui amore, omne etiam cœleſte ſolatium, quod in futurum habere poſſem, abdicavi? Et ante utramque S. Tereſia, fortè de ſemetipſa loquens: *Novi*, inquit, *perſonas nonnullas, quæ procedunt in via amoris, prout eas oportet procedere, purè ut JESU Chriſto crucifixo ſerviant; & non tantùm non requirunt ab eo guſtus ſpirituales, eóſve deſiderant, ſed potiùs ab eo contendunt, ne guſtus ejuſmodi ipſis largiatur in hac vita.* Quales

*Vit. p. 1. c. 37.*

*Caſtell. ani. manſ. 4. c. 2.*

nos nimirum etiam nonnullas capite ſuperiori retulimus. *Fundamenta hæc in montibus ſanctis.* Sed tamen ſupereſt quod his addamus, & quò profundiùs in divinam iſtam ſolitudinem nos penetremus,

# CAPUT XII.

## *Proponitur altiſſima quædam & abſolutiſſima abnegatio ſui, & tanquam apex patientiæ Chriſtianæ.*

PErfectio Chriſtianæ virtutis, quam iſto capite proponimus, uti ſublimiſſima eſt & ſummè ardua, ita paucis fortaſſe cognita, & multis apparebit incredibilis, & ſupra captum ac vires conditionis humanæ: ideóq; pluribus à nobis hoc loco exponenda eſt, & multiplici ſive exemplo, ſive autoritate confirmanda.

### §. I.

*Tres quaſi gradus perfectionis Chriſtianæ, ex S. Ignatij Exercitijs.*

*Lect. 4. de S. Ign. Hebdom. 2.*

S. Ignatius Societatis JESU Fundator, in admirabili (uti eum appellat Eccleſia) Exercitiorum ſpiritualium libello, proponit tres veluti gradus perfectionis Chriſtianæ, quos ipſe appellat tres modos humilitatis; ſive quòd per illos homo ſe Deo plenè ſubijciat; ſive quòd nominatim verſentur circa humilitatis materiam, puta paupertatem, ignominiam, &c. Placet autem ad præſentem, ſive patientiæ, ſive abnegationis ſui tractatum, ipsâ etiam materiâ permittente, translatos, & ipſis quidem S. Patris verbis hoc loco ſubijcere; ut intelligi poſſit, ad quantam virtutis exaggeratæ ſublimitatem, ex tanti Magiſtri ſenſu, hominem adducat ſincerus JESU Chriſti amor, & deſiderium eundem Crucifixum ac derelictum imitandi.

Pri-

Digitized by Google

*Primus*, inquit, *humilitatis modus hic eſt, ad ſalutem neceſſarius, ut me penitus ſubdam divinæ Legi obſervandæ, útq; ne mundi quidem totius oblato mihi Dominio, vel extremo vitæ diſcrimine objecto, transgrediar ex deliberato mandatum ullum divinum aut humanum, quod quidem peccati mortalis vinculo nos obliget.* Hic modus non tam gradus eſt aut perfectio, quàm fundamentum & velut ſolum Chriſtianæ vitæ: neque enim Chriſtianè vivere cenſendus eſt, qui non ita animo ſit comparatus, ut quantivis boni malive conditione propoſitâ, nolit DEI Legem ex deliberato violare, ejúsve amicitiam contemnere.

*Secundus majoris eſt perfectionis:* qui duo complectitur: Primum: *Ut fixo animo, ad divitias, paupertatem; honorem, ignominiam; brevitatem vitæ ac longitudinem æquè ſim propenſus, ubi æqualis eſt divinæ laudis & ſalutis meæ occaſio.* Alterum: *útq; nullâ, vel humanæ quantacunq; felicitatis, vel propriæ mortis conditione propoſitâ, adducar unquam, ut culpam, licet venialem tantùm, decernam admittere.*

In iſto jam gradu magna Chriſtianæ virtutis perfectio eſt. Permagnum quippe eſſe videtur, ſi, ubi æqualis eſt divinæ laudis & ſalutis noſtræ occaſio, neutram in partem propenſiores ſimus; paupertatem adeò, ignominiam, brevitatémq; vitæ contrarijs præoptaturi, ſi eam in partem divinæ gloriæ momentum aliquod, aut ſimplex divinæ voluntatis nutus inclinaverit. Verumtamen, ut Apoſtoli verbis hoc dicam, *adhuc excellentiorem viam* nobis S. Ignatius demonſtrat. *1. Cor: 12.*

*Tertius* igitur *eſt modus humilitatis abſolutiſſimæ, ut priores duos jam adeptus, etiamſi nullo ſuperaddito laus DEI par foret, ad majorem tamen imitationem Chriſti, eligam potiùs cum eo paupere, ſpreto, & illuſo, pauperiem, contemptum, & inſipientiæ titulum amplecti, quàm opes, honores, & ſapientiæ æſtimationem.* Paucis ille quidem ſummam Evangelicæ virtutis

tutis

tutis abſolutionem complexus eſt, de aliorum nunc Sanctorum ſententiâ ſtabiliendam nobis, aut etiam exaggerandam.

## §. 2.

### *Supremus hic gradus patientiæ Chriſtianæ ex S. Ioanne Chryſoſtomo aſtruitur.*

ET meritò ſanè præclarus vitæ ſpiritualis Magiſter, hunc gradum cenſet eſſe perfectionis abſolutiſſimæ. Quò enim altiùs aſpiret Jesu Chriſti crucifixi amator, quàm ſi, ubi etiam, non modò ſalutis propriæ, ſed divinæ quoq; gloriæ par ſit occaſio, aſpera quæq; & inſuavia præ jucundis & ſuavibus adamet, in illis id unicè ſpectans, quòd hac ratione (ut ut reliqua ſe habeant) ſaltem dilecto ſuo, pauperi, deſpecto atque afflicto, ipſe pauper, deſpectus, afflictus, ſimilior futurus ſit? Tum præſertim ſi adjunxerimus, uſque eò aſſurgere poſſe, hujusmodi ſeſe ad exemplum Chriſti conformandi deſiderium, ut quæ dixi incommoda & cruciatus, non ſolùm quibusvis hujus vitæ, quamlibet puris ſanctiſq; delitijs, ſed ipſis etiam Paradiſi gaudijs (niſi majoris Dei laudis ratio præponderet) anteponantur. Hoc quippe non Chriſtum quomodocunq; amantis eſt, ſed ejus qui in Dominum inſaniat (ut loquentem video ſimili in re Chryſoſtomum) ſive, qui inſano & tanquam immodico ipſius amore uratur. Veruntamen ut eum Chriſtianæ perfectionis gradum, neque ſupra fidem, neque extra uſum eſſe, exemplis demonſtremus: vide num in eo ſanctè in Dominum inſanientium numero, cenſendus non ſit ipſe S. Chryſoſtomus; dum homiliâ octavâ in Epiſtolam ad Ephesios, ad illa verba: *Ego vinctus in Domino.* ita illa Pauli pro Chriſto vincula extollit ac deperit, ut Chriſti cauſâ vinctum eſſe, aut universè pro eo aliquid pati, ipſo ſuo genere etiam Cœlo ipſi præoptandum putet? in quo etiam argumento tractando ita inſiſtit, ita illud exornat exaggerátq; dicendo, ut

cùm

cùm omnia dixerit, tamen inſanum ſuum in Chriſtum amorem, ardénsq; pro illo patiendi deſiderium, nullis ſibi verbis ſatis exprimere, neque quantalibet ſacrorum illorum vinculorum commendatione animo ſuo ſatisfacere, videatur. Apponam hic nonnulla ejus verba, ex quibus de reliquo ſermone, déq; ipſius Sancti Doctoris ſenſu, conjectura ſumi poſſit.

Primùm igitur Chryſoſtomus, cùm Pauli vinculorum dignitatem Conſulatui & Regno antetuliſſet: *Si quis amat Chriſtum* (inquit) *novit quod dicitur. Si quis in Dominum inſanit, & amore ejus uritur, novit vim vinculorum. Maluerit eſſe vinctus propter Chriſtum, quàm habitare cælos.* Et paulò pòſt: *Etiamſi res nullam habeat mercedem, hoc ſolum eſt magna merces; & ſufficiens remuneratio, hæc gravia pati, propter eum qui amatur.* Tum de ſeipſo: *Si quis mihi daret totum cœlum, aut illam catenam, ego illam præferrem. Si quis me apud ſuperos collocaret cum Angelis, aut cum Paulo vincto, eligerem carcerem & vincula.* Et rurſum: *Mihi optabilius eſt & magis eligendum, malè pati pro Chriſto, quàm honorari à Chriſto.* Et iterum: *Ad omnem mihi remunerationem ſufficit malè paſſum eſſe propter Chriſtum. Det mihi ut illud eloquar: Adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea; & nullius egeo.* Et ſubinde: *Non propterea beata cenſeo eſſe vincula, quòd tranſmittant in cælum, ſed quòd ea ſint propter Dominum cæli.* Tandem: *Nam propter Chriſtum aliquid eſſe paſſum, eſt quovis ſolatio jucundius.* Hæc & multò plura S. Joannes Chryſoſtomus: ad cujus exundantem exuberantémq; adverſus Chriſtum crucifixum ardorem quid adjici poſſit, ægrè equidem video.

## §. 3.

*Idem ſenſus in S. Bonaventura, & alijs quibuſdam oſtenditur.*

Audia-

AUdiamus tamen S. Bonaventuram, haud ſcio an magis ſobriè, de ſuo in Chriſtum amore philoſophantem. Ita enim in primis quodam loco illum alloquitur: *O bone JESU, nihil à te peto in hac vita, niſi ut perfectè ſim tecum crucifixus in cruce.* Ac deinde: *Magis eligo ad præſens tecum crucifigi, quàm tecum delitijs affluere.* Et poſteà: *Magis in hac vita deſidero, Domine JESU, cum latrone tecum in crucem aſcendere, quàm cum Petro, Jacobo & Joanne, in montem Transfigurationis tuæ conſcendere.* Verùm alibi magis aſſurgens ac mente excedens, expreſſiúsq; in rem noſtram: *Si propter te* (inquit) *Domine mi, lacerarer, & paſſiones ac mortes quaſcunque ad tui honorem reciperem, eas magis approbarem, magis diligerem, & de his magis gauderem, quàm de quacunq; delectatione, quam etiam in patria poſſem habere; n ſi fortè illa delectatio tantum aut plus cederet ad tui honorem: & hoc etiam, non ratione delectationis, ſed ratione tui honoris optarem.* Denique alio quodam in loco; cùm de homine attentiùs Chriſti in cruce abjectionem contemplante dixiſſet: *Jam non deſiderat placere hominibus, ſed potiùs quantum in ſe eſt, omnibus diſplicere, & ab omnibus abhorrere; ſemper tamen ad DEI honorem:* addit, haud dubiè ex animi ſui ſententia: *Et etiam ſi indifferens eſſet utrumque* (hoc eſt, ut ajebat S. Ignatius, *etiamſi nullo ſuperaddito laus DEI par foret*) *vituperium* (inquit) *potiùs appeteret quàm honorem*; idq; uti præmiſit in verbis antecedentibus, quia toto corde deſiderat Domino ſuo aliqualiter conformari. En Doctorem verè Seraphicum, nec ſcientem quidquam, nec ſapientem, nec reſpirantem, niſi JESUM, & hunc Crucifixum.

P. 1. Stim. c. 15.

P. 3. Stim. c. 17.

P. 1. Stim. c. 7.

Eadémq; mente cenſendi ſunt eſſe viri illi perfecti, de quibus ita loquitur DEUS apud S. Catharinam Senenſem: *Anxio deſiderio currunt induti JESUm Chriſtum crucifixum, & gloriantur in ſuis opprobrijs & pœnis. Unde ſi poſſibile foret eis, habere virtutem ſine labore, non acceptarent. Potiùs enim eligunt*

Dial. c. 84.

*ligunt delectari in cruce cum Chriſto, & cum pœna virtutem acquirere, quàm alio modo vitam æternam habere: quia ſunt incenſi, atque ſubmerſi in ſanguine, ubi inveniunt incenſam charitatem meam.* Veruntamen non eſt prætermittenda hoc in genere, ſervi DEI è Societate noſtra P. Dominici Valeſij, qui anno 1615. in Bohemia obijt, ſancta quoq; in Chriſtum inſania, & patiendi ardor incredibilis, etiam æternùm pro Chriſto pati præoptantis cœleſtibus delicijs, niſi aliorſum divinæ nutus voluntatis propenderet. Ita enim ille in ſchedis arcanis, quibus animi ſui ſenſa ſoleret committere, dilectam ſibi crucem ſeu mortificationem alloquens, ſcribere auſus eſt inter cætera: *Addo, quòd tibi comparata, ferè quodammodo vileſcat ipſa, ne dicam ſordeat, cœleſtis gloria. Et verò beatius duco, hîc multa DEI causâ perpeti aſpera, quàm ibi ſempiternis frui gaudijs. O ſi mihi corpus aheneum foret! Næ ego, æternum licet, à cælo exilium libens tui amore perferrem, ô beata mortificatio! ô ſoror optima! ô amica fideliſſima!* Et infrà: *Eò fertur voluntatis pondus, ut cupiat ipſa etiam beatitudine æternùm privari, & illam cum ſtatu commutare perpetua crucis, dum id gratum Divinæ Majeſtati foret*, &c. Quæ ille quidem, magis ad piam quandam exercitationem ſcripſiſſe, quàm ex animi ſui ſenſu protuliſſe videri poſſet; niſi orationem affirmaret hominis vita, in perpetuo crucis complexu, atque ad extremum in peſte afflatorum obſequio (quam ille ſortem ardentibus votis expetierat) generoſè poſita. Adeò hominem alienat ab ſeſe, cum ſemel animum occupaverit, & intimas cordis tanquam medullas pervaſerit, germana & fortis Chriſti crucifixi dilectio.

*Alegam. in Heroib. clar.*

## §. 4.

### *Adduntur nonnulla ad idem argumentum pertinentia.*

QVid ſi hîc addamus extitiſſe nonnullos, qui inexplebili cum Chriſto patiendi deſiderio, non quaslibet tantùm



Digitized by Google

vitæ præſentis acerbitates, ſed ipſa quoque inferorum ſupplicia expetere auſi ſunt, idque nullo ſuo etiam ſpirituali emolumento, tantùm ut ipſa tormentorum quamlibet horrendorum patientiâ, Chriſto ſimiliores efficerentur? Id enim tum de alijs nonnullis, tum nominatim de B. Jacobo Tudertino, tradunt, qui ipſorum res geſtas conſcripſêre. Quam etiam animi comparationem ab aſceta ſuo exigit, à nobis alibi laudatus Ludovicus Bloſius: *Iſtam (inquit) tantam filij DEI pietatem atque charitatem aſceta memoriâ repetens, exoptet vicem amoris ei reddere, vel etiam paratus ſit pro illo, non ſolùm temporales hujus vitæ afflictiones, ſed æterna inferni tormenta tolerare.*

Rader. in Vita.

Inſtit. ſpirit. c. 6.

Hi nimirum immodici in Chriſtum amoris exceſſus ſunt, hæc ſancta ebrietas ſpiritûs; hic fervor muſti de crucis torcularibus expreſſi. *Admirantes enim* (inquit ſeu Bernardus ſeu Richardus de S. Victore) *& amplectentes in Chriſto illum amoris exceſſum, quo, propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, humanâ confuſione contemptâ, confunduntur non reddere vicem, atque paſſionis ejus ludibrijs, quaſi quibusdam aculeis incitati, feruntur effrenes in amoris abyſſum, & profundum charitatis. Illud omninò & ſolummodo quæritantes: Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi; & quadam ſenſatâ & ſanctâ inſaniâ mentis tranſlati, parum amare ſe reputant, ſic amati.*

L. de charit. c. 2.

Quæ tametſi ijs qui aliter affecti ſint, parum fortaſſis credibilia, aut etiam humanæ imbecillitati minùs conſentanea videbuntur; at ſciunt quod dicitur, qui amant: quippe qui linguam amoris intelligant, quæ (ut S. Bernardus ait) barbara eſt, & peregrina non amanti; Unde etiam idem S. Doctor de ſponſæ affectibus loquens: *Quid eſt hoc quod dicit: ille mihi & ego illi? Neſcimus quid loquitur, quia non ſentimus, quod ſentit.* Et idem rurſum: *Si quis horum quæ leguntur cupit adipiſci notitiam, amet.*

ſerm. 79. in Cant.

ſerm. 67. ib.

ſerm. 79. cit.

Quod

Digitized by Google

Quod ſi B. Auguſtinus, de ſpiritualibus delitijs, earúmque præ ſenſuum voluptatibus, excellentiâ diſſerens, non putavit ſe ſatis intelligi, niſi ab amante & deſiderante cœleſtia: *ſi enim frigidò loquor* (inquit) *neſcit quid loquor:* nunc quando quamlibet ſuppliciorum acerbitatem ipſis etiam cœli delitijs anteferendam, ex ſententia diſcipulorum crucis, audimus, multò ſanè magis peregrinus ſermo eſt, & à vulgari mortalium lingua abhorrens, & quem non capiat, niſi qui Chriſtum ſingulariter amaverit. *Tract. 26. in Joan.*

Id adeò utramvis in partem in Apoſtolis videre licet. Nam cùm Chriſtus poſtremò aſcendens Jeroſolymam, planè ac diſertè cum eis ageret de imminenti ſua paſſione; tamen (ut ait Evangeliſta) *erat verbum iſtud abſconditum ab eis, & non intelligebant, quæ dicebantur;* & ut nominatim de S. Petro Chryſoſtomus: *centies audiendo non ſentit, quod dicitur.* At poſtquam ijdem divino ſpiritu igneiſq; linguis donati ſunt; uti quàm anteà vehementiùs amare, ita & jam amoris linguam noſſe atque uſurpare cœperunt; ut nihil jam præter Chriſtum crucifixum intelligerent, in ſola cruce gloriarentur, ſolis cruciatibus atque opprobrijs gauderent. *Luc. 18.* *Hom. 55. in Matth.*

Quod admonendi hoc loco fuimus; ne res ejuſmodi (ut in re ſimili obſervat S. Hieronymus) imbecillitate noſtrâ, & non Sanctorum viribus æſtimantes; quemadmodum modulum captúmq; ac ſenſum noſtrum excedunt, ita fidem excedere, aut à vero quoque abhorrere exiſtimemus. *In c. 5. Matt.*

His obiter attexo, ſi quis fortè id putet aliquid referre ad rem noſtram: in ſenſum aliquem iſtis affinem, quadam ſeu ingenij felicitate, ſive excelſitate animi, ſive occulto quodam inſtinctu Providentiæ incidiſſe Romanum Philoſophum; quem mollis nimiùm Chriſtianus non ſine pudore legat ita philoſophantem. *Permitte mihi, mi Lucili, virorum optime, aliquid audacius dicere. Si ulla bona majora eſſe alijs poſſent; hæc ego quæ triſtia videntur, mollibus illis & deli-* *Ep. 66.*

*licatis prætuliſſem.* Nam ſi is in ſua Porticu ambulans, hoc eſt ſolo Stoicæ moraliſq; Philoſophiæ ductu, in rebus triſtibus atque acerbis vidit ineſſe quiddam, quo eas præ cæteris optandas ſibiq; adamandas diceret, ſi rerum iſtarum externarum alias alijs præſtare exiſtimaret: quo nos animi ſenſu circa res iſtas, earúmve delectum, eſſe convenit, qui diviniorem profitemur Philoſophiam, & illa in Crucifixi ſchola recepta axiomata, tollendam crucem, odio habendam animam ſuam, paupertatem opibus beatiorem eſſe, luctum gaudio, aſpera mollibus, acerba ſuavibus anteponenda, non ut paradoxum aut abſtruſum quiddam in ea diſciplina accipimus, ſed apertè diſertéq; propoſita in omni pœnè Evangelij pagina legimus?

# CAPVT XIII.

## *Amatorem Chriſti juvat interdum, latitudinem & longitudinem, ſublimitatem & profundum crucis inveſtigare.*

### §. 1.

*Dimenſiones illæ ad Chriſti crucem variè applicatæ.*

EGregius Chriſti crucifixi prædicator Paulus, ad Epheſios ſcribens, hoc illis à DEO precatur inter cætera: Ephes. 3. *Ut poſſitis*, inquit, *comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ ſit latitudo & longitudo, & ſublimitas, & profundum*, &c. Quibus verbis S. Auguſtinus & plures alij putant Apoſtolum reſpexiſſe ad dimenſiones crucis Chriſti, in quibus varia lateant myſteria, noſtrâ conſideratione digniſſima; quibus eruendis, potes te hoc pacto, ſuavi atque utili meditatione exercere. *Primò* igitur: conſidera, quæ & quanta ſit lati-

latitudo Crucis Chriſti. Quod ſi ad cruciatus quos ipſe paſſus eſt, retuleris: invenies crucem ejus fuiſſe latiſſimam, cùm omnia pœnarum ac dolorum genera comprehendat, quæ etiam ipſe pertulerit, in membris omnibus ſui corporis, omnibúsq; animæ facultatibus, idq; ab omni hominum genere, atq; adeo ab ipſo DEO Patre ſuo percuſſus & derelictus.

Si autem ad eas virtutes, quæ crucem illam myſticâ ratione conſtituant; ſecundùm Auguſtinum, latitudo crucis Chriſti eſt charitas: quæ utique in eo fuit latiſſima, ut quæ ad omnes prorſus homines, omniáq; tempora ac loca ſe extenderit. Pro omnibus enim mortuus eſt Chriſtus; præteritis, præſentibus, futuris; Judæis, Græcis & barbaris; pro quibus etiam, ſi ita eſſet neceſſitas, libens atrociora ſuſtinuiſſet ſupplicia, neque ſemel dunfaxat, ſed ſæpiùs, quâ erat cordis latitudine, pro iiſdem immolatus fuiſſet. *Serm. 7. de verb. Apoſt.*

*Secundò:* metire longitudinem crucis Chriſti: quæ quidem per omnem ipſius vitam protenſa eſt; quando & ab ipſo conceptûs ſui puncto, uſque ad mortem, ſemper ſi non re ipſâ, at mente tamen & affectu crucifixus fuit; nolens vel ad momentum de illa cruce ſua ſpirituali deſcendere, aut ab arctiſſimo ejus amplexu ſeparari; ut paulò pòſt magis declarabitur. Quin & illud hîc addere poſſumus: Chriſto etiam ad vitam immortalem abeunte, adhuc protendi & adimpleri paſſiones ejus; eóq; illum membrorum ſuorum afflictiones, ſuas quodammodo facere; ut quando id per ſeſe non poteſt, in ſuis certâ ratione ad finem uſque mundi patiatur: de quo item aliàs fortaſsis erit ſpecialis dicendi locus. Ergo crucis longitudo, perſeverantia eſt in ſufferendis adverſis, de qua breviter S. Auguſtinus: *Si vis habere crucis longitudinem, habeto perſeverandi longanimitatem.* *Serm. 7. cit.*

*Tertiò:* Suſpice crucis Chriſti ſublimitatem; quæ indicat excelſos illos fines, ad quos Chriſti mors & paſsio, divino

vino conſilio relata & ordinata eſt; maximam nimirum DEI gloriam, mortaliúmq; ſalutem. Quos etiam fines ſpectavit Chriſtus in omni vita ſua; profeſſus, ſe tantùm Patris ſui gloriam quærere, &, ut vitam æternam habeamus, veniſſe. *ſerm. 7. cit.* *Quid enim eſt* (inquit Auguſtinus) *habere altitudinem, niſi cogitare DEUM, amare DEUM, & gratis amare, ipſum DEUM adjutorem, ipſum ſpectatorem, ipſum coronatorem, ipſum præmij largitorem, poſtremò ipſum præmium deputare, non aliud ab ipſo quàm ipſum expectare.* Et, ut idem alibi uno verbo: *Tract. 118. in Joan.* *Altitudo ſignificat ſupremum finem, quò cuncta opera referuntur.*

*Quartò*: ſcrutare, ſi potes, profunditatem crucis Chriſti: hoc eſt, acerbitatem & gravitatem dolorum, & ignominiarum ejus, ſive profundiſsimam ejus humilitatem & abjectionem. Etenim in paſsione ſua Salvator in altiſsimam abyſſum depreſſus fuit, abyſſum nuditatis, abyſſum doloris, abyſſum ignominiæ, abyſſum derelictionis. Quanquam Auguſtinus hoc ad profunditatem Judiciorum DEI *Serm. cit. & ep. 120.* retulit, quæ perſcrutari nobis aut perveſtigare fas non eſt; ſeu, quod eodem redit, ad profunditatem gratiæ DEI, quæ & nobis occulta eſt, & à qua tamen, velut radice, procedunt univerſa quæ rectè facimus.

*ſer. de paſſ.* Neque ab his multùm abſcedit illa S. Bernardi ſententia, ita Chriſtum precantis: *Illam diviniſſimam crucem humeris meis impone, cujus latitudo eſt charitas, cujus longitudo eſt æternitas; cujus ſublimitas eſt omnipotentia, cujus profundum eſt inſerutabilis ſapientia.*

*ſerm. 7. cit.* Hîc verò exclamat S. Auguſtinus, noſtram circa alia curioſitatem, & circa hæc ipſa incuriam, exagitans: *Quid corde pergis, homo Chriſtiane, per latitudinem terræ, longitudinem temporum, altitudinem cæli, profunditatem abyſſi? Ipſum audi Apoſtolum dicentem tibi: Mihi autem abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri JESU Chriſti. Et nos in illa glorie-*

Digitized by Google

*viemur. Ibi fortè inveniemus & latitudinem, & longitudinem, & altitudinem & profundum. His enim Apoſtoli verbis, crux quodammodo nobis ante oculos conſtituta eſt.*

## §. 2.

### *Noſtram etiam crucem ijsdem dimenſionibus conſtare debere.*

EX his autem pronum eſt definire, quibus itidem dimenſionibus crux noſtra conſtare, aut quemadmodum componi & conſtitui debeat. Nam tametſi, ut monet Salvator, unicuique noſtrûm crux ſua ferenda eſt; ſua, inquam, velut unicuique propria, & in alijs, aliiſq; diverſa: id tamen duntaxat de ipſa crucis tanquam materia accipiendum; quaſi cruces noſtræ, ſive inter ſeſe, ſive cum Chriſti cruce comparatæ, non eodem omnes, ſed diverſo ligni genere conſtent; dum alter mœrore animi, alter corporis morbis affligitur, hujus honor & exiſtimatio, iſtius, fortunæ atteruntur; quem in ſenſum ſcitè piéq; dictitabat S. Franciſcus Saleſius nolle ſe ſibi crucis ſuæ ligna deligere, ſed quâcunque DEUS, & quacunque ex materia, crucem imponeret, promptè tollere, conſtantérq; perferre.

At ſi formam ipſam dimenſionéſq; ſpectemus, omnis ſanè crux noſtra, quocunque tandem è ligno conſtet, ipſi cruci Chriſti configurari & conformari debet: ut nempe eodem ſpiritu, quo crucem ſuam Chriſtus tulit, noſtram ferentes, ipſam quodammodo Chriſti crucem omnes feramus, eidémq; cum illo cruci figamur, fiátq; in nobis, quod de ſe ajebat Apoſtolus: *Chriſto confixus ſum cruci:* quod equidem ille non ita diceret, niſi in ipſa Salvatoris cruce ſe ſimul cum illo ſuffixum eſſe ſentiret.

Quibus igitur menſuris, ſeu virtutum perfectarum officijs, conſtitit ſpiritualis crux Chriſti, ijsdem & noſtra inſtruenda & coagmentanda eſt. Ut nimirum quidquid acerbita-

bitatis in vita nobis obvenerit, id cum profunda humilitate, cum ſublimi ſpe, cum lata charitate, cum longa deniq; perſeverantia ſufferamus; adamantes nimirum, nobíſque quodammodo deſpondentes, ex Redemptoris imitatione, crucem perpetuam; qualem nos infrà deſcribemus, & variâ Sanctorum autoritate aſtruemus.

Audiamus hîc rurſum S. Auguſtinum, ea quæ ſparſim de his dimenſionibus dixit, in unum recolligentem, & qualiter ex Chriſti magiſterio, eædem in uſus quoque noſtros adhibendæ ſint, innuentem. Ita enim ſcribit in quadam epiſtola: *Latitudo eſt in operibus bonis, quibus benevolentia porrigitur, uſq; ad diligendos inimicos: & longitudo, ut longanimitate pro hac latitudine moleſtiæ tolerentur: & altitudo, ut pro hu æternum, quod in ſupernis eſt præmium, non vanum aliquid aut temporale ſperetur: & profundum, unde gratuita gratia DEI, ſecundùm ſecretum & abditum voluntatis ejus exiſtit. Hoc totum agitur, cùm in hac noſtra peregrinatione, fides per dilectionem operatur.* Ad extremum autem ita concludit: *Intelligentes igitur peregrinationem noſtram in hac vita, mundo crucifigamur, extendentes manus in latitudinem bonorum operum, & longanimitate uſque in finem perſeverantes, atque habentes cor ſurſum, ubi Chriſtus eſt in dextera DEI ſedens, totúmq; hoc non nobis, ſed illius miſericordiæ tribuentes, cujus profunda judicia omnem ſcrutatorem fatigant.* Hæc Auguſtinus.

Ep. 120. c. 26.

Ibid. c. 36.

# CAPUT XIV.

## *In quo oſtenditur, etiam homines perfectos, grandes ac multiplices cruces perferre.*

§. 1.

Digitized by Google

## §. I.

### *Non eaſdem hominum perfectorum, atq; imperfectorum cruces eſſe.*

VErùm quod ad crucis noſtræ dimenſionem attinet; extat inter S. Anſelmi opera, de menſuratione crucis libellus; ubi, quisquis eſt autor (non enim Anſelmus eſſe poteſt, cùm Bernardum citet, qui ipſo Anſelmo eſt ævo poſterior) paulò aliter, neque incommodè, de hac tota re philoſophatur. Nam cùm illa exponeret Chriſti verba: *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemet ipſum, tollat crucem ſuam, & ſequatur me;* illúdq; præfatus eſſet, ſi crucem noſtram, ipſum Deo debitum atque impenſum ſervitium diceret, id ſe ex eorum duntaxat opinione facturum, qui neſciunt, jugum Chriſti Jesu ſuave eſſe, & onus leve; aut qui non ſentiant, quàm bonus & ſuavis ſit Dei Spiritus in nobis; tum denique ſubijcit: Crucem noſtram eſſe cruciatum cordis, quem inde maximum capere debeamus, quòd in divinæ Majeſtatis obſequio, non perinde atque res depoſceret, fideles atque ferventes ſimus Tom. 3. Matth. 16.

Hujus autem crucis hæ tanquam dimenſiones aſſignantur. Profunditas ejus in eo ſita eſt; ut ſcilicet angamur animo, quòd non qua par eſſet humilitate, deprimamus nos ſub potenti manu Dei, agnoſcentes nihilum noſtrum, & nos uſquequaque indignos eſſe beneficijs ejus.

Sublimitas ejus eſt, cruciari, quòd Deum, pro eo ac dignus eſt, amare & laudare non poſſumus; & cùm tot ſuppetant eum amandi cauſæ (quas idem autor copioſiùs enumerat) attamen in eo diligendo, inertes, remiſſi, languidi, ac pœnè frigidi invenimur.

Porrò latitudo ejuſdem crucis ſpiritualis, eſt quoddam animæ dilatatæ cruciamentum, quòd, non uti vellet, eidem liceat, mortales omnes divinæ gloriæ ac ſervituti ſubijcere, univer-

univerſúmque mundum tanquam alis aureis ardentiſſimæ charitatis circumplecti. Longitudo denique eſt quidam crucians animi ſenſus, quòd non aſſiduè patiamur in hac vita pro incremento divinæ gloriæ, ſed ſenſim tædium nos capiat ferendæ crucis, quam tamen toti vitæ noſtræ oporteat eſſe commenſam. Hæc ferè ex iſto autore.

In quibus & illud obſervare eſt, quod ut non exiguum in via ſpiritûs momentum habens, paulò exactiùs declarabimus: non eaſdem eſſe Sanctorum hominum ac Chriſtum perfectè diligentium cruces, quæ ſunt hominum imperfectorum, & (ut loquitur S. Auguſtinus) in germano DEI amore adhuc rudium. L. 9. Conf. c. 4. Neque enim iſti, ut principio dicebamus, perinde ac cæteri, jugum divinæ Legis, aut Evangelicæ perfectionis diſciplinam, pro cruce habent, quam utique ſuavem atque jucundam experiantur. Neque ut crucem aſpiciunt, quæ alij mortales horrent tantopere, incommoda, inquam, acerbitatéſq; humanæ vitæ, paupertatem, dolorem, contemptum, amicorum deſertionem, cruciatus graves ac tormenta corporis, mortémq; per illa miſerè acerbéq; feſtinatam. Siquidem & iſta pro Amore ſuo crucifixo, optanda ſibi atque expetenda exiſtimant; dicúntq; audacter cum S. Ignatio: *Ignis, crux, beſtiæ, confractio oſſium, & tota diaboli tormenta in me veniant: tantùm ut Chriſto fruar.* Neque ad extremum pro cruce illis eſſe ſolet, quòd cœleſti conſolatione ſubtractâ, quâdam ſpiritûs ariditate, & velut cordis duritiâ laborent. Nam tametſi fortaſſe hoc illis præ cæteris grave eſt: dum tamen offenſum ſibi Numen non ſentiunt, illam quoq; internam derelictionem moderatè tolerant; quin propter majorem pro Chriſto derelicto ſimilitudinem, uti antè diximus, etiam amare didicerunt. At enim, inquies: quid hîc reſtat denique, quod ijs qui ita affecti ſint, obvenire poſſit in vita, quod ipſi quidem crucem reputent, eáq; tandem appellatione dignentur?

§. 2.

## §. 2.

### *Speciales quædam Sanctorum cruces expoſitæ.*

ATqui ijs etiam, qui DEUM magnoperè ament ſuæ cruces ſunt, grandia inquam animi cruciamenta, & tanquam gehennæ multiplices; eóq; etiam graviores, quò magis in amore proceſſerint: quia, ut ille ait, *ſine dolore non vivitur in amore.* Porrò ea videntur ad quinque ſeu modos ſeu genera, revocari poſſe. *L.3. de imit. Chriſti c.5.*

*Prima* igitur Sanctorum crux interior, uti paulò antè memorabamus, in eo cordis cruciatu ſita eſt, quem exinde concipiunt; quòd, cùm infinitam DEI Conditoris ac Redemptoris ſui bonitatem cæteris perfectiùs intelligant (amor quippe acuit amantis oculos, & quò magis ſuprema bonitas amatur, hoc etiam magis magiſq; amabilis eſſe cognoſcitur) tamen ſe ab eo amoris gradu, ſive quem ab eis depoſcat illa bonitas, ſive ad quem ipſi flagranti deſiderio aſpirent, tam longè adhuc abeſſe ſentiant.

Quo pertinet illud B. Catharinæ Genuenſis pronuntiatum: ſi clarè perſpiceret anima, ad quantam virtutis abſolutionem, & ad quem ſancti amoris gradum à DEO vocetur, deſtinetúrq; ; eandem, dum ad eum pertingat, ob deſiderij violentam inquietudinem, ſuos tanquam inferos in hac vita eſſe experturam. *Vit. c.9.*

Quamobrem etiam Guilielmus Abbas S. Theodorici, cùm perfectos quoſdam DEI amatores contemplaretur, homines alioqui doctrinæ expertes, ſed in ipſa ſchola divinæ charitatis eruditos; ſuúmq; frigus (uti cenſebat) cum eorũ ardore componeret; adeò angebatur animo, ut eò diceret, vitam ipſam ſibi ingratam & injucundam eſſe. Ita enim DEUM alloquitur in quadam ſua meditatione: *Hi ſunt qui te amant. Tales cùm video, & inter eos me non invenio, tædet me vivere. Quorum ſapientia non eſt de ſpiritu hujus mundi,*

*vel de prudentia hujus ſæculi; ſed quia non cognoverunt litteraturam, introierunt in potentiam Domini, & pauperes ſpiritu memorantur juſtitiæ tuæ ſolius.*

*Secunda* Sanctorum ſpiritualis crux eſt; ſi quando nihil patiuntur adverſi. Siquidem cùm Chriſtum Jesum pro ipſis paſſum ardentiſſimè diligant; percupiunt itidem ei aſſimilari, malorum patientiâ; & grande quidpiam pro ejus honore perferendo, vicem quaſi rependere amoris. Quod dum minùs obtinent, diſcruciantur ſcilicet animo, & ipſâ ſummi deſiderij velut impatientiâ torquentur.

Rurſum: cùm adverſa mortalis vitæ ſingulare eſſe Dei donum intelligant, certúmq; pignus benevolentiæ divinæ; iſtam ſeu pacem dicas ſeu ceſſationem, ſuſpectam habent; quaſi ipſi Deo minùs placeant, aut certè habeantur indigni, qui fortiori aliquo certamine exerceantur probentúrve.

*Poſtremò*, cùm ſeſe Deum offendiſſe recolant, ſe ipſos quodammodo æquo animo ferre non poſſunt, dum expetitis de ſe ſupplicijs divina juſtitia contenta eſſe ac ſatiata videatur. Nam *electi quiq;* (ut ait Magnus Gregorius) *dum perpetraſſe ſe illicita noverunt, ſed perſcrutantes inveniunt, quia nulla pro eis adverſa perpeſſi ſunt, in immenſa formidinis terrore tabeſcunt.* Magna igitur Deum perfectè amantibus crux eſt, cruce carere; ut hoc quoque ſenſu uſurpare poſſint, quod ſcriptum eſt: *Ecce in pace amaritudo mea amariſſima.* Audiatur unus pro omnibus Doctor Seraphicus, dum crucis amore tabeſcens, & exæſtuantis deſiderij vim non ſuſtinens, hunc in modum exclamat: *Certè dilectiſſime Domine JESU, nolo vivere, niſi moriar tecum; aut ergo da mihi mortem temporalem, aut in corde meo imprime tuam mortem. Hei mihi! quare natus ſum, niſi Dominum meum amplectar in cruce, & requieſcam in vulneribus ejus.* Et infrà: *Tota die affligo animam meam, petendo ignominioſam mortem tuam, & vix poſſum aliquam guttulam impetrare.* Et rurſum:

*L. 7. Mor. c. 8.*

*Iſai. 38.*

*P. 1. Stim: c. 13.*

ſum: *Non peto pulchritudinem cœli, ſed ignominiam tuam; non mundi delitias, ſed tuas anguſtias. Citò mihi, Domine JESU, tribue eam. Paſſionem tuam*, videlicet. Hæc & plura S. Bonaventura.

## §. 3.

### *Perfectorum hominum aliæ cruces nonnullæ.*

TErtia crux Sanctorum conſiſtit in amara quadam deſolatione, aut cæcâ velut contenebratione ſpiritûs: quibus rebus DEUS etiam ſibi dilectiſſimos diu multúmq; exercere conſuevit, & uſque eò aliquando percellere, ut præ interiorum tenebrarum denſitate, vix ſe ipſos poſſint circumſpicere, aut quo loco conſiſtant, intueri; neque ſatis expediant aut diſpiciant, DEUMne adhuc amicum habeant, an contrà offenſum atque iratum experiantur. Quæ quidem animi tenebris occupati ac circumfuſi anxietas, ita DEI ſervis acerba & intolerabilis eſſe ſolet; ut eam non abs re Theologiæ myſticæ Magiſtri (& nominatim Henricus Harphius) tāetſi horridiore vocabulo, languorem infernalem appellitent. *L. 3. Theol. myſt. c. 13.* Nam cùm hi qui ita affecti ſunt, ipſam divinitatis offenſam omnibus ſupplicijs acerbiorem exiſtiment; iſtam divinæ lucis ſubtractionem, ubi ad eam is, quem dicebamus, perplexus pavor acceſſerit, ſicut umbram mortis inferorúmve exhorreſcunt, & quandam gehennæ imaginem ac rudimentum arbitrantur.

Magna igitur rurſum animæ DEUM amanti crux eſt, intimus hic pavor, ac divinæ iræ ſuſpectatio: ad quam non immeritò transferri poſſit & adhiberi ille afflictiſſimi Jobi gemitus: *Sagittæ Domini in me ſunt, quarum indignatio ebibit ſpiritum meum: & terrores Domini militant contra me.* *Job 5.* Aut illæ alterius Prophetæ voces: *Collocavit me in obſcuris, ſicut mortuos ſaculi: & anxiatus eſt ſuper me ſpiritus meus, in me turbatum eſt cor meum.* *Pſal. 142.* Itémq; illæ: *Ego autem dixi in* *Pſal. 30.*

*exceſſu*

*vel de prudentia hujus ſaculi; ſed quia non cognoverunt litteraturam, introierunt in potentiam Domini, & pauperes ſpiritu memorantur juſtitiæ tuæ ſolius.*

*Secunda* Sanctorum ſpiritualis crux eſt; ſi quando nihil patiuntur adverſi. Siquidem cùm Chriſtum JESUM pro ipſis paſſum ardentiſſimè diligant; percupiunt itidem ei aſſimilari, malorum patientiâ; & grande quidpiam pro ejus honore perferendo, vicem quaſi rependere amoris. Quod dum minùs obtinent, diſcruciantur ſcilicet animo, & ipſâ ſummi deſiderij velut impatientiâ torquentur.

Rurſum: cùm adverſa mortalis vitæ ſingulare eſſe DEI donum intelligant, certúmq; pignus benevolentiæ divinæ; iſtam ſeu pacem dicas ſeu ceſſationem, ſuſpectam habent; quaſi ipſi DEO minùs placeant, aut certè habeantur indigni, qui fortiori aliquo certamine exerceantur probentúrve.

*Poſtremò*, cùm ſeſe DEUM offendiſſe recolant, ſe ipſos quodammodo æquo animo ferre non poſſunt, dum expetitis de ſe ſupplicijs divina juſtitia contenta eſſe ac ſatiata videatur. Nam *electi quiq;* (ut ait Magnus Gregorius) *dum perpetraſſe ſe illicita noverunt, ſed perſcrutantes inveniunt, quia nulla pro eis adverſa perpeſſi ſunt, in immenſa formidinis terrore tabeſcunt.* Magna igitur DEUM perfectè amantibus crux eſt, cruce carere; ut hoc quoque ſenſu uſurpare poſſint, quod ſcriptum eſt: *Ecce in pace amaritudo mea amariſſima.* Audiatur unus pro omnibus Doctor Seraphicus, dum crucis amore tabeſcens, & exæſtuantis deſiderij vim non ſuſtinens, hunc in modum exclamat: *Certè dilectiſſime Domine JESU, nolo vivere, niſi moriar tecum; aut ergo da mihi mortem temporalem, aut in corde meo imprime tuam mortem. Hei mihi! quare natus ſum, niſi Dominum meum amplectar in cruce, & requieſcam in vulneribus ejus.* Et infrà: *Tota die affligo animam meam, petendo ignominioſam mortem tuam, & vix poſſum aliquam guttulam impetrare.* Et rurſum:

*L. 7. Mor. c. 8.* — *Iſai. 38.* — *P. 1. Stim: c. 13.*

ſum: *Non peto pulchritudinem cæli, ſed ignominiam tuam; non mundi delitias, ſed tuas anguſtias. Citò mihi, Domine JESU, tribue eam. Paſſionem tuam*, videlicet. Hæc & plura S. Bonaventura.

## §. 3.

### *Perfectorum hominum aliæ cruces nonnullæ.*

TErtia crux Sanctorum conſiſtit in amara quadam deſolatione, aut cæcâ velut contenebratione ſpiritûs: quibus rebus DEUS etiam ſibi dilectiſſimos diu multúmq; exercere conſuevit, & uſque eò aliquando percellere, ut præ interiorum tenebrarum denſitate, vix ſe ipſos poſſint circumſpicere, aut quo loco conſiſtant, intueri; neque ſatis expediant aut diſpiciant, DEÚMne adhuc amicum habeant, an contrà offenſum atque iratum experiantur. Quæ quidem animi tenebris occupati ac circumfuſi anxietas, ita DEI ſervis acerba & intolerabilis eſſe ſolet; ut eam non abs re Theologiæ myſticæ Magiſtri (& nominatim Henricus Harphius) tametſi horridiore vocabulo, languorem infernalem appellitent. *L. 3. Theol. myſt. c. 13.* Nam cùm hi qui ita affecti ſunt, ipſam divinitatis offenſam omnibus ſupplicijs acerbiorem exiſtiment; iſtam divinæ lucis ſubtractionem, ubi ad eam is, quem diceba-mus, perplexus pavor acceſſerit, ſicut umbram mortis inferorúmve exhorreſcunt, & quandam gehennæ imaginem ac rudimentum arbitrantur.

Magna igitur rurſum animæ DEUM amanti crux eſt, intimus hic pavor, ac divinæ iræ ſuſpectatio: ad quam non immeritò transferri poſſit & adhiberi ille afflictiſſimi Jobi gemitus: *Sagittæ Domini in me ſunt, quarum indignatio ebibit ſpiritum meum: & terrores Domini militant contra me.* *Job 5.* Aut illæ alterius Prophetæ voces: *Collocavit me in obſcuris, ſicut mortuos ſæculi, & anxiatus eſt ſuper me ſpiritus meus, in me turbatum eſt cor meum.* *Pſal. 142.* Itémq; illæ: *Ego autem dixi in exceſſu* *Pſal. 30.*

*exceſſu mentis mea: Projectus ſum à facie oculorum tuorum.* Atque in hac cruce ſpirituali annis pluribus diſtenta fuit B. Magdalena de Pazzis; tot undique obſeſſa ac circumplexa inteſtinis animi difficultatibus, ut nulla ex parte ſolatium ullum poſſet capere, ſibiq; interdum à Deo derelicta eſſe, neque illũ in ſe habere videretur. Eodémq; tormenti genere plures alias exercitas legimus magnas & Deo dilectas animas, quas partim refert Nicolaus Lancicius noſter, opuſculo de ariditate in oratione cap: 4. Eodémq; pertinet, quod diſertis verbis tradit B. Catharina Bononienſis ab eodẽ autore laudata cap: ſequenti: *Non eſt dolor* (inquiens) *acerbior illo quem patitur anima, ob ſenſibilis amoris abſentiam; & credit ſe DEI gratiam amiſiſſe, quando non guſtat conſuetas internas dulcedines; & de hac derelictione ſummum ſentit dolorem.* Veruntamen quod ad hunc derelictionis amariſſimæ ſtatum attinet, eum pluribus deſcriptum invenies apud Bloſium; ad calcem inſtitutionis ſpiritualis.

*Vit. p. 3.*

*Append. 1. c. 1.*

*Quarta* in quadam conſiſtit anxia & inquieta ægritudine animi, ex eo concepta; quòd Deum, quem ſummo affectu atque opere diligunt, non perinde ab alijs cognoſci atque amari conſpiciunt; immò verò à pleriſq; mortalium, tot, támq; indignis atrocibúsq; modis, ſupremam illam, tum majeſtatem, tum bonitatem, & amabilitatem offendi. Hinc enim cum rege Propheta, tabeſcunt ad aſpectum peccantium; & ardore animi depaſcente vitalia, ipſo zelo ſuo exeduntur atque conſumuntur.

*Pſ. 118.*

*Pſ. 92.*

Ita tabeſcebat S. Elias, dum abjectus ſubter juniperũ, orabat mortem, & maturo fato ſibi occludi oculos, ne horrendas Numinis injurias, illis uſurpare, & ultrà ſuſtinere cogeretur. Ita Athenis incitabatur urebatúrq; Pauli ſpiritus, videntis idololatriæ deditam civitatem. Ita denique S. Franciſcus Xaverius, quando poſt obitas divinæ gloriæ causâ tot terras, & ſuperata tot maria; ad extremum tanquam

*3. Reg. 19.*

Digitized by Google

quam ad flores florentiſſimi Sinarum Regni reſiſtens, ipſóq; prohibitus aditu, non tam febrium vi, inter deſertos illos ſcopulos, quàm ſui ſpiritûs ac zeli ardore extabuit: dolens, geménsq; videlicet, ſivè, animoſâ ſpe præceptam tot animarum prædam, ſibi ab infenſiſsimo divinitatis hoſte præripi, ſivè omnibus expetitam votis martyrij palmam ſibi penè in manibus infringi. *L.3.Vit.c.17*

Itaque S. Ambroſius in illa Pſalmi 118. *Vidi prævaricantes & tabeſcebam: Beatus*, inquit, *qui in charitate DEI tabeſcit. Nam ſi* (ut ibi ſubdit) *alius propter vitioſos amores tabeſcit, qui diſtillat, dum eſt dilatus amore dilecta: alius immodicè capeſſendi honoris impatiens, ſi deſideria longa ſuſpiret, non mediocri mentis tabe conficitur:* Quidni id aliquando efficiat magna atque inſolens Dei charitas, ejúsq; honoris zelus inæſtuans, ubi ſeſe is ardor totis animæ venis diffuderit, vitaléımq; cordis ſuccum carpere atque depaſci cœperit?

## §. 4.

### *Chriſtum perfectè diligentium crux poſtrema.*

P*Oſtrema* crux Sanctorum illis adnaſcitur, ex ingenti quodam, & (ut ita loquar) intemperato deſiderio videndi Deum, ſeſéq; vinculis mortalitatis exſolvendi; non tam boni ſui felicitatisve cupidine, quàm quo labis omnis atque impedimenti expertes, Deo ſummè dilecto ſincerè ac purè placeant, eidémq; amore caſtiſſimo, & arctiſsimo perenniq; complexu, imperturbatè adhæreſcant. Siquidem & hujus deſiderij vim, ad crucem quandam interiorem pertinere, teſtatur S. Gregorius in caput 3. Job ita ſcribens: *In amaritudine quippe animæ ſunt omnes electi, qui vel punire flendo non deſinunt quæ deliquerant, vel gravi ſe mœrore afficiunt, quia longè huc à facie conditoris profecti, adhuc in æterna patriæ gaudijs non ſunt.* Et alio in loco, cùm præmiſiſſet, electos ex intenta rerum cœleſtium meditatione, vehementiſsi- *L.5.Mor.c.2*

*In pſ. 4. pœnit.* tiſsimæ tribulationis igne intrinſecus inardeſcere: *Hæc eſt illa* (ſubjungit) *ſpiritalis ſanctorum tribulatio, quam in cordibus eorum generat pœnitentia & deſiderij dilati amaritudo.* Diſertè autem Thomas de Kempis: *Quantò altiùs quis in ſpiritu profecerit, tantò graviores ſæpè cruces invenit; quia exilij ſui pœna, magis ex amore creſcit.* Nimirum ut eſt in ſacro Proverbio: *Spes quæ differtur, affligit animam:* eóque profectò violentiùs, quò & majus eſt bonum quod ſperatur, & contentior ardor, quo diligitur. Quamobrem etiam videre eſt, eum animi Deum deſiderantis ardorem, ita quandoque modum excedere, ut qui eo corripiantur, quandam hic quoque gehennæ ſpeciem, in ipſa dilati deſiderij impatibilitate, inveniant. Sic enim antea à nobis memoratus Guilielmus Abbas, in alia quadam ad Deum ſuſpiratione; ubi videlicet ad Divinitatis felicem conſpectũ anhelans, & in atria Domini, præ æſtuantis deſiderij vi, deficiens, in has denique cum dilecto ſuo blandas expoſtulationes erumpit. *Vſquequo, Domine, uſquequo poſt te langueo & deficio? Cur ego non ſum tecum? Obſecro, dic animæ meæ ô ſalus ejus, quare ei tuum inſpiraveris deſiderium: num ut tantùm torqueat, diſcerpat, & occidat? Et utinam occidiſſet! Obſecro, Domine, hæccine eſt mea gehenna? Et hæc ſit, nec unquam me deſinat torquere, nec unquam deſinam in hac ardere, nec in aliquo liceat reſpirare unâ die, unâ horâ, uno momento: donec appaream in conſpectu tuo, & appareat mihi gloria tua, & faciei tuæ æterna feſtivitas illuxerit animæ meæ.* En quemadmodum cervus iſte (ut phraſim imiter S. Auguſtini in pſalmum 41.) raptus deſiderio ad fontes aquarum, ad interiorem ſcilicet dulcedinem domûs Dei, cóſq; bibere nondum valens, manducat die ac nocte lachrymas ſuas; dum dicitur ei: *Vbi eſt DEVS tuus?*

*l. 2. de imit. c. 12.*

*Prov. 13.*

*Pſal. 41.*

In quorum ſanctorum cervorum numero, divinum illum fontem ardentiùs ſitientium, & ipſe erat B. Auguſtinus, cujus

cujus ſedentis ſuper flumina Babylonis, atque ad cœleſtem Jeruſalem aſpirantis, tot gemitus ac ſuſpiria in ipſius tractatibus legimus; atque hæc inter cætera: *ô ſancta Sion, ubi totum ſtat, & nihil fluit: quis nos in iſta inſtabilia dejecit? Quare dimiſimus conditorem tuum & ſocietatem tuam?* Et alio in loco: *ô bona Domini dulcia, immortalia, incomparabilia, ſempiterna, incommutabilia! Et quando vos videbo, bona Domini!* Et rurſum in perſona Pſalmiſtæ: *Per ſingulas noctes flebo, in deſiderio lucis ardebo. Videt Dominus deſiderium meum.* Et alibi paſſim. Neque enim iſtis, tametſi prædulcibus, operoſiùs inſiſtere nos ſinit præſentis inſtituti ratio.

*In pſ. 136.* *In pſ. 26.* *Tract. 34 in Joann:*

Videantur ex altero ſexu S. Mariæ Oegniacenſis, extremo vitæ ſuæ anno ad inſtantem jam Dei conſpectum cupidiſſimè anhelantis, ardores, clamores, & impatibilia deſideria, vi quorum ſubinde ſic cruciabatur, ut toto corpore dirumpi videretur; teſte Cardinali à Vitriaco in ejus vita. *l. 2. c. 10.*

## §. 5.

### *Extrema dictorum clauſula.*

Iſtæ igitur ſunt, & ſi quæ aliæ, velut inteſtinæ Sanctorum cruces: præ quibus, inflicta extrinſecus cruciamenta, ſagittas parvulorum & imbellia tela reputant; ut quæ ſummam tantùm cutem diſtringant atque delibent, non etiam ad ipſa viſcera, aut cordis intima pertineant.

Cæterùm ad ea quæ diximus exigat quisque atque caſtiget & exacuat amorem ſuum: comperto, robuſtum amorem grandibus gaudere atque ali crucibus, & magnas mentes fortibus certaminibus exerceri: neque continuò atque ad aliquam amoris divini perfectionem quis profecerit, eò omnia jam proclivia ac ſuavia eſſe; ſed ut aliæ deſint acerbitates, ipſum æſtuantem atque incitatum mentis ardorem, animæ Deum valdè amanti, pro magno quandoque tormen-

to eſſe. Quanquam eidem & iſtud tormentum oppidò dulce eſt: fitq; neſcio quo modo, ut tot inter cruces interiores, in profundiore ac reconditiore quodam receſſu, ſua illi conſtet tranquillitas; & in ſumma (ut ſic appellem) mentis arce, abundantiâ pacis perfruatur.

Hinc etiam, ſive S. Bernardus, ſive Guilielmus Abbas in tractatu de Amore, Dei amore ac deſiderio æſtuans, atq; ingemiſcens, quòd eum nondum in ſe ipſo, ſed in ſuis duntaxat operibus (licet amabilibus) intueatur; ita ait ad Deum ſuum: *Quæ* (ſcilicet opera tua) *quantò te maniſeſtiùs & veriùs prædicant & approbant amabilem; tantò ardentiùs te mihi faciunt deſiderabilem. Sed heu! non ad perfectam fruendi ſuavitatem & gaudium, ſed ad intentionis & affectûs (non tamen ſine aliqua ſuavitate) tormentum.*

Videri etiam poteſt de hoc argumento S. Tereſia in Caſtello animæ, manſione quintâ, capite undecimo

# Caput XV.

## *Dei ſervos, qui crucis complexum & mortificationis ſtudium refugiant, eapropter crucem multiplicem, pluréſq; mortes incurrere.*

DEI ſervos eos hìc intelligo, qui ſeveriori obſtricti diſciplinâ, ſeſe gravioribus ſeu letalibus noxis abſtinent: cæterùm remiſsè languidéq; viventes, & umbrâ quadam difficultatis abſterriti, à crucis mortificationiſve complexu, & ſemetipſos pervincendi ſtudio (quoad ejus poſſunt) refugiunt. Quos equidem longè errare pronuncio, ſi hac ratione crucem ſeſe omnem defugituros, & non magis in graviorem aliquam incurſuros eſſe exiſtiment: quin ipſum

ipſum adeò crucis vitandæ tam ſolicitum ſtudium, conten-do crucem operoſam & permoleſtam eſſe, verùm hæc tota res illo ferè modo demonſtrabitur.

## §. I.

*Ejus pronunciati rationes aliquæ allatæ.*

PRimùm enim etiam hic vim habet, quod DEUM alloquens universè affirmat S. Auguſtinus: *Juſſiſti Domine, & ſic eſt, ut pœna ſua ſibi ſit omnis inordinatus animus.* Omnis quippe animi inordinatio, perturbatio eſt pacis internæ; Et velut in corpore, membri cujusvis emotio luxatióve abſque aliquo cruciatu eſſe nequit: ita in animo, cujusvis affectûs depravatio, ipſius animæ harmonicam rationem, ejúsq; partium naturalem tanquam poſitionem diſſolvit; quod in mente non omnino perverſa, nequit abſque intima moleſtia, & gravi animi ſibimet ipſi diſplicentis ægritudine conſiſtere. Accedit ad hæc affectionum compugnantium inteſtina lis: tum quidam animæ ſecum pugnantis, & nunc in partem unam, nunc in alteram ſeſe jactantis, atque verſantis perplexus languor: demum ille conſciæ mentis remorſus, quem identidem exagitat ſuſceptæ profeſſionis obligatio, & vel ipſe ingerit nudus aſpectus Crucifixi, cui ſe non poteſt abſque pudore adeò diſſimilem agnoſcere, quisquis ipſius diſciplinam imitationémve profiteatur. *L. 1. Conf. c. 12.*

Neque modicum terrorem infert, occurſans animo ſevera Pauli denunciatio: *Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt:* ne videlicet forte Chriſti non ſit, qui (quoad poteſt) crucem fugiens, ubique mollia & carni commoda ſectetur. Id ſanè hoc loco fixum eſto: Nolens DEO perfectè ſubijci hominis anima, ſecum ipſa pacem habere non poteſt. fit quippe neſcio quo modo, attamen fit occultis rationibus, ut tali homini eveniat denique, id quod ſcriptum eſt in Libro Job: *Poſuiſti me contrarium tibi, & factus ſum mihi-* *Gal. 5.* *Job. 7.*

*mihimet ipſi gravis.* Credebas tibi videlicet mollius tranquilliúsq; futurum, ſi, quà poſſes, crucem defugeres, & virtutis exactæ ſtudium, quò te ipſe vocabat DEUS, & tua propellebat profeſſio, declinares: At è contrà DEUS, iſtam pacem tuam convertit in amarorem amariſſimum, & quidquid agis molirísve ingratâ aliquâ offenſione aſpergens, ipſam tibi vitam inſuavem & gravem efficit; quò intelligas denique, dura extra DEUM eſſe omnia, neque animi pacem in illa cum domeſticis intimíſq; hoſtibus conniventiâ conſiſtere, ſed niſi his planè debellatis ac perdomitis, nullam haberi poſſe.

*L. 10. Conf. c. 28.* Præclariſſimè rurſum ad DEUM ſuum S. Auguſtinus *Cùm inhæſero tibi ex omni me, nuſquam erit mihi dolor & labor, & viva erit vita mea, tota plena te. Sed quoniam quem tu imples, ſublevas eum; quoniam tui plenus non ſum, oneri mihi ſum.* Quibus quidem, ſi illum aſſequor, interiorem ſuam vitam, hoc eſt, affectus omnes, amores, intentiones, deſideria, velut membra quædam animi ſui conſiderat, ex quibus omnibus ſeſe DEO inhærere oporteat, ut omne vitæ ſuæ corpus vivum, vegetum, ac valens ſit, ipsíq; proinde nulla ex parte oneroſum. Sic igitur ait: *Cùm inhæſero tibi ex omni me*; hoc eſt, cùm in me nullus erit affectus, & nulla tanquam pars vitæ meæ, quâ tibi (ut par eſt) amore caſto non inhæream; tunc viva erit, & florens undique, & doloris omnis atque laboris expers vita mea; quippe tota plena te, qui es vita, vigor, pax, ſalus, gaudium animæ meæ. At quamdiu (quæ eſt vitæ mortalis infirmitas) adhuc aliquis in me ſupereſt affectus, quo tibi vitæ meæ non adhæream, ſive, quo me ipſum aut aliquid extra te impurè quæram; jam ex ea parte oneroſa mihi ſit vita mea: quo pacto non poteſt oneroſum & grave non eſſe, ſi quod in corpore membrum emortuum eſſe contigerit. Quæ ſi de ſe vir ſanctus ita ſcripſit; quantò potiori jure dicemus in præſentia,

[illegible]meri ſibi & cruci eſſe, quicunque per languidam inertiam cupiditates ſuas frangere, & ſibimet ipſi vim aliquam inferre neglexerit.

## §. 2.

### *Ejusdem aſſerti ratio ſpecialior & occultior exponitur.*

JAm verò Joannes Thaulerus, quem ut virum à Deo illuminatum ſæpè commendat Ludovicus Bloſius, aliam quandam & minùs cognitam profert ejusdem pronunciatî rationem. Aſſerit enim, homini crucis ac mortificationis fugitanti, eóq; pravos affectus ſuos molliter ac blandè accipienti, ſub vitæ exitum tot quaſi mortes experiendas & exequendas eſſe, quot animi ſui perturbationes ac cupiditates in vita minùs domuerit. Sive id dicamus, ex ipſa quaſi natura rei, eorúmq; omnium, quæ in ſupremum illum fatalémque articulum concurrunt, circumſtantiâ evenire: ſive ſpecialis eſt divini Numinis providentia, eo cruciatu amanter caſtigantis atque purgantis ſuorum electorum negligentiam; quo modo (ut S. ait Gregorius) *plerumq; de culpis minimis ipſe ſolus pavor egredientes juſtorum animas purgat*: aut quaſi ita poſtulet æquitatis ac juſtitiæ ratio, ut quam illi pœnam moleſtiámve, in ſe pervincendis in vita adhibere ſubterfugerint; eandem, ſub mortem, verùm in unum jam quodammodo collectam, & conferto agmine infeſtiùs multò ingruentem, perferre ſcilicet atq; exantlare cogantur. *L. 4. Dialog. c. 46.*

Sed ipſa audiamus verba Thauleri, de ijs propriè loquentis, qui ad perfectionem à Deo vocati ſunt; *quam tamen* (inquit) *quia in vita ſua obtinere neglexerunt, ideò neceſſe habent illam vel in extremis impetrare, cùm anima de corpore jam jam diſtrahenda eſt. Quod certè tunc fit tam varijs & horrendis mortibus* (*ut ita dicam*) *quot quantáſq; per omnem vitam pro ſua abnegatione ſufferre debuiſſent; adeò ut pœnas infernales hoc ipſo tempore ſibi ferre videantur.* *Ermon.* [illegible]

[illegible]

Neque ab iſtius Doctoris ſenſu re ipſâ abhorrere video, virum olim in Ordine noſtro ſanctitatis opinione celebrem, Franciſcum Villanovam, quem quidem non ultra Dialecticæ limen in humanis diſciplinis progreſſum, tamen ob profundam earum rerum, quæ ad ſpiritum pertinent peritiam, nonnulli Doctorũ Complutenſium, Doctorem Villanovam jucundè ſolebant appellare. Quippe & hunc quoque, inter alia præclara effata dicere ſolitum accepimus: *Quam quiſque minùs in vita domaret perturbationem, ab ea ingruente morte moleſtias pati graviores.* Proinde nimirum atq; ſi eo in articulo, cùm proſtrato jam corpore, & vigore ſpiritûs hebetato, animus varijs diſtractus curis, & mortiferis confectus angoribus, minùs valet ad ſeſe reſpicere; inordinati hominis affectus, veluti feræ ſolutæ vinculis, opportunitatémq; nactæ, atrociùs inſurgant in animam, eámque ſibi ſubijcere penitus atque opprimere contendant.

*P.2.hiſt.Soc. l.1.n.132.*

Hìc verò quis ſatis æſtimet: quanta eſſe debeat interioris hominis perturbatio: quantus animi, imbecillitatis infirmitatiſq; ſuæ conſcij, & quàm anxius ac mordens cruciatus: quando, juxta quandam Beati Ambroſij commentationem, veniunt omnia vitia, & ſingula dicunt: *Meus es, meus es*; miſerámq; animam ſibi quæque certatim vindicantia ac vellicantia, eandem velut in partes diſcerpunt, & cruciabili diráq; morte conficiunt?

*Serm. 12. in pſal. 118.*

Quò proinde etiam referri poteſt, quod idem glorioſus Doctor, illud Sancti Job, quod in vulgata ita legimus: *Cogitationes meæ diſſipatæ ſunt, torquentes cor meum* (quod quidem præſertim evenire conſtat in hora mortis, in corde hominis indomitis laborantis affectionibus) ipſe ita legit ex verſione ſeptuaginta: *Dirupti ſunt articuli cordis mei.* Quaſi cor humanum tot tanquam articulis conſtet, in quot affectus dividitur: quibus, extremo illo tempore, ſive inter ſeſe, ſive adversùs hominem pugnantibus, neceſſe ſit cor

*Job. 17.*

ejus dirumpi, & membratim quodammodo convelli, non ſine diro cruciatu, & multiplicis experientia doloris. In quem etiam ſenſum, ſic eum locum legit S. Auguſtinus: *Convulſæ ſunt compages cordis mei.*

Audiatur hic denique S. Bernardus: cujus præclara ſententia, tametſi propriè de homine peccatore in extremis conſtituto prolata, ipsi tamen materiæ affinitate apprimè convenit in rem noſtram. *Quomodo* (inquit) *ſub unius horæ articulo, revocari poſſe æſtimant omnia animæ membra, cujus concupiſcentiæ & deſideria per totum mundum ſparſæ ſunt, & ubique trrrarum velut quodam viſco tenentur?* Vides hîc conſentaneè antedictis, noſtras cupiditates affectionésve diſtortas, eſſe quaſi quædam animæ membra, aut cordis articulos; easdémq; miſeram animam velut in diverſa diſtrahere; & dum hæc, ſub ſuum è corpore diſceſſum, nititur ſe ipſam quodammodo ad ſe colligere, difficillimè revocare ſe, neque ab ijs rebus, quibus velut quodam tenaci viſco illigata ſit, niſi cum acerbo doloris ſenſu divelli poſſe. *ſerm. 38. ex parvis.*

Confirmabit hæc, Annæi Senecæ, relatu digna, atque huic loco, quantùm arbitror, non inopportuna ſententia: qui universè de iſtis agens, qui ſuas domare cupiditates negligant: *Quot cupiditatibus,* inquit, *tot crucibus diſtrahuntur.* Ubi & crucis nomen obſerves; & diſtrahendi verbum, quod eam velut artuum cordis, membrorúmq; animi divulſionem, & quaſi diſcerptionem ſignificat, de qua mox dicam expreſſiùs. *De vit. beat. c. 19.*

## §. 3.

### *Ratio poſtremò propoſita magis explicatur, & confirmatur.*

SEd placet rem omnem Guigonis Carthuſiani, ejus Ordinis quinti Generalis (cujus ex litteris ad ſe transmiſſis ignitas quaſdam divini amoris ſcintillas percepiſſe ſeſe teſtaba-

Ep. 11. ſtabatur S. Bernardus) ſententiâ quadam, ex ejus meditatio-
Medit. c. 6. nibus deſumptâ, confirmare. *Ecce huic corpori immixtus (in-quit) ſatis miſer eras: omnibus enim ejus corruptionibus, uſque ad morſum culicis vel ſorunculi, ſubjacebas. Non ſufficit hoc tibi. Immiſcuiſti enim te aliÿs quaſi corporibus, opinioni hominum, admirationi, amori, honori, timori, & ſimilibus: & ſicut ex corporis, ita ex horum læſione, dolore afficeris. Ipſemet ligna quibus combureris, tibi adhibuiſti. Læditur nempe honor tuus, cùm contemneris; ſic de cæteris. Ita etiam de formis corporum cogita.* Sic ille: perappoſitè in rem noſtram. Siquidem res omnes quæ minùs rectè à nobis diliguntur, conſiderat vir pius tanquam totidem corpora, quibus ſeſe quaſi obvolvit anima, dum illis amore inordinato adhæreſcit. Ac quemadmodum hominis anima, eò quòd corpori illigata atque conſerta eſt, omnibus ſubjacet illius ærumnis atq; incommodis, quæ nempe neceſſe eſt ab illo ad animam, ob intimam ejus cum ſuo corpore copulationem, conſenſione quadam pertinere: ita cùm res iſtas, alioqui extra ſe poſitas, opes, gloriam, opinionem hominum, & alia ejuſmodi, ipſa per amorem inconſultò ſibi adjunxerit, & quodammodo concorporaverit; naturali quâdam conſequentiâ fieri, ut ſi horum quidpiam detrimentum aliquod accipiat; ſi lædatur honor, offendatur exiſtimatio, ipſam quoque animam inde affici lædive oporteat; eóq; pluribus offenſionibus ſubjacere, quò pluribus ejuſmodi ceu corporibus improvidâ ſeſe conſortione copulaverit. Ex quo in rem præſentem iſtud denique conficitur: quòd velut animæ à corpore ſuo ſeparatio, mors eſt; quæ utique non poteſt abſque magno dolore contingere: ita cùm ab iis divellendus eſt animus, quibus velut pluribus ſuperinductis corporibus ſuâ ſe voluntate conjunxerit; exinde oporteat totidem quaſi mortes effici. Ut vel ſic verum ſit, iſtud Thauleri pronunciatum: Eum, qui ſtudium ſeſe vincendi neglexerit in vita,

ſui.

ſub animæ exitum tot perferre mortes, quot in ſe affectus minùs domitos habuerit.

Cæterùm ex Guigone deſumptam, atque à nobis hîc propoſitam, philoſophandi rationem, adverto denique etiam Auguſtini dictis conſentaneam eſſe. Quippe qui in Libris de Libero arbitrio, de rebus iſtis quæ aliquando amittendæ ſunt diſſerens, earum poſſeſſorem admonet: *ne eis amore conglutinetur, neque velut membra animi ſui faciat, quod fit amando; ne cùm reſecari cœperint, eum cruciatu ac tabe fœdent.* Et rurſum in quadam ad S. Paulinum epiſtola ait; Bona iſta temporalia, quæ nobis amore uſúq; incorporata fuerint, cùm dimittenda ſunt, velut membra præcidi. *L. 1. c. 15.* *Ep. 34.*

Quæ omnia ſi à vero ſanè non aliena exiſtimentur; exinde colliget prudens aſceta, quàm inconſultum ſit, ne dicam fatuum, alicujus virtutis ac perfectionis ſtudium negligere: quod in re ipſa non eſt aliud, quàm ut leviorem tolerabilémq; laborem declines, in eas quas dixi cruces & mortes te induere; & pro cruce Chriſti, quæ & amanti ſuavis eſt, & ipſâ Domini ſocietate, ac præclaræ virtutis conſcientiâ, & hauſtis de cœlo ſolatijs multùm lenitur, & magnam habet apud DEUM mercedem repoſitam; aliam quandam, & per ſe acerbiorem, & divini ſolatij vacuam, & ſi non omninò infructuoſam, attamen immenſo minùs profuturam, adoptare. In quem itidem ſenſum Henricus Suſo, æternam Sapientiam in Dialogo, de ejusmodi hominibus ita introducit loquentem: *Putant & conantur cruces effugere, ſed in alias præcipites ruunt. Dum enim me, qui ſum bonum ſempiternum, & ſuave jugum meum ferre nolunt; permiſſu juſtitiæ meæ; multis iisq; gravibus premuntur oneribus, & cùm pruinam timent, cadunt in nivem.* Aut, ut aliâ phraſi dictitabat ſuperiùs à nobis laudatus Cæſar de Bus: *dum crucem unam effugere credimus, incidimus in quatuor.* *Dial. c. 6.* *Job 6.* *L. 6. tit. c. 22*



Digitized by Google

# CAPVT XVI.

## *Quemadmodum nos par ſit, in commentandis ac devenerandis occultis Chriſti cruciatibus, interdum exerceri.*

### §. I.

*Quinam illi fuerint occulti Domini noſtri cruciatus.*

SUggerit hanc etiam nobis induſtriam Thaulerus (& ex eo Ludovicus Bloſius) in ſua piiſſima Dominicæ paſſionis explicatione, de ijs præcipuè cruciatibus agens, quibus dubium non eſt, totam eam noctem vexatum fuiſſe Redemptorem, quâ à Principibus Sacerdotum reus mortis pronunciatus, manſit in miniſtrorum manibus, eorum ſævitiæ ac libidini permiſſus: tametſi eos, Scriptores ſacri particulatim omnes non expreſſerint.

Joannis Thauleri verba ſunt iſta in cap. 5. apud Bloſiū: *Divi Hieronymi quidem ſententia eſt* (inquit) *moleſtias illas & pœnas, quas Domino illâ nocte intulêre, ante extremi judicij diem non fore manifeſtas. Unde devoti quiq;, qui in Dominica ſe cupiunt paſſione exercere, aliquid ad honorem occultorum illorum Domini cruciatuum facere deberent, eoſdémq; Patri cœleſti (cui utique bene noti ſunt) pro ſuis occultis & ignotis offerre peccatis.* Sic ille.

Conc: 92. Locum S. Hieronymi non adſcribit Thaulerus, neque adhuc in eum incidi. Nam quod Fridericus Fornerus in ſuo tractatu de Paſſione, etiam hæc pluſculùm exaggerata eidē attribuit, ſcribenti in caput Matthæi 26. *Hieronymus* (inquiens) *teſtatur tam turpia, tam obſcœna, tam nefanda paſſum,* (*dicente Marco: fecerunt in eum quæcunq; voluerunt*) *ut ea ob turpitudinem noluerint Evangeliſtæ exprimere, verbiſq; apertiùs revelare, nec uſq; ad judicij extremi diem manifeſtanda;* nihil inquam

Marc. 9. Matth. 17.

inquam eo in commentario invenio. Cæterùm dubitare fas non eſt (de quo in raptu quodã admonita eſt etiam S. Franciſca Romana) quin diverſiſſimis indigniſſimíſq; modis à petulante turba, totam eam noctem dulciſſimus Salvator exercitus ſit: ſive quòd ea fex hominum, ſuopte ingenio petulans & procax, de hominis innocentiſſimi ludibrijs ſui oblectandi materiam quærerent, vigilatæ noctis tædia hac quoque arte fallere volentes; ſive quòd eâ re ad Dominorum ingenia propenſionémq; ſe fingerent, & eo quem illi odiſſent, quibusvis ſeu dictis ſeu factis improbis divexando obruendóq;, eorum oculis ſervire ac placere vellent. Planè ut à recenter ſudato ſanguine, aliíſq; moleſtijs exhauſto Redemptori, quietis pars nulla, & ne reſpirandi quidem ſpatium ullum concederetur. *L. 3. Vit. c. 6.*

Sanè ad verborum contumelias quod attinet; ijs variè atrocitérq; oneratum fuiſſe Chriſtum, apertè ſignificat S. Lucas; qui cùm retuliſſet improbos illos ſatellites ei velut pſeudoprophetæ velatione faciei & ſcommatis petulanter illuſiſſe, ſubjungit: *& alia multa blaſphemantes, dicebant in eum.* Ut jam tum videatur impletum eſſe, quod Threnorum cap: 3. dicitur: *Dabit percutienti ſe maxillam; ſaturabitur opprobrijs:* qua quidem voce, dum opprobrijs ſaturandus dicitur, tanta eorum indicatur futura copia, ut tametſi ea Chriſtus avidè deſideraturus ſit, ijs tamen repleri atque exſaturari poſſit. Quod autem ad factorum injuriam; addit Iſaias, quod ab Evangeliſtis omiſſum eſt, non tantùm colaphis contuſas genas, ſed & pilorum barbæ (quod atrocis contumeliæ genus eſt) vellicatione atque evulſione vexatas. *Corpus meum* (inquit in perſona Chriſti) *dedi percutientibus, & genas meas vellentibus, ſeu*, ut quidam vertunt, *depilantibus.* Eſtq; omnino veriſimile, pari petulantiâ etiam Nazaræi noſtri ſacram cæſariem violenter diſtractam, convulſam, laceratam fuiſſe: itémq; (uti cenſent varij) pugno- *Luca 22.* *Iſai. 50.*

 rum

rum incuſſu collum, humeros, pectus, & omne corpus malè habitum, quin & humi afflictum, proculcatúmq; ſceleſtorum illorum veſtigijs, ipſúmq; adeò divinum vultum etiam impactis unguibus crudeliter notatum atque conſciſſum. Sunt enim iſta aliáq; hujusmodi, iſtorum hominum genio, impunitatíq; ac licentiæ, ipsíq; tempori ac loco planè conſentanea: cenſeríq; poſſunt, ijs quæ ſacri Evangeliſtæ exprimunt ſubindicata & comprehenſa; ſecundùm illud S. Hilarij: *In palmis atque ſputis ad conſummandam hominis humilitatem, univerſa in eum contumeliarum genera exercebantur.* Planè enim jam tum extrema fuit Hominis Dei humilitas, & depreſſio tanta, ut mente confuſus, de ſe meritò ſcriptum recognoſceret: *Ego ſum vermis, & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis:* ſeu ut vertere maluit Tertulliaaus, *nullificamen populi;* cujus vim vocis poſtea in loco ponderabimus.

*Can. 32. in Matth.*

*Pſal. 21.*

*L. 3. con. Marc. c. 7.*

Hæc igitur, & ſi quæ alia, acta fuêre illius infandæ atq; nefaſtæ noctis, quæ bono Jesu ſuprema extitit: hi actus funeſtæ comœdiæ, quâ per atrocem indignitatem factori ſuo inſultavêre protervi vermiculi, & oblectando nocturno otio, ludos fecêre Deum ſupremæ Majeſtatis.

## §. 2.

### *Quî conveniat nos in ijs interdum exerceri.*

Quocirca, ſive ad ſanctum amorem excitandum, ſive ad commiſerationem, alióſve piæ gratæq; mentis in afflictiſſimum Redemptorem conciendos affectus, opportuna erit interdum hujus exercitij ratio, tribus hiſce capitibus conſtans. *Primum:* Ut quando eorum occultorum dolorum Domini Jesu, quorum ſpeciatim nullus Evangeliſta meminit, nulla eſt apud pleroſque, aut exigua recogitatio, eos ſaltem ipſi interdum revolvamus animo: quo & aliorũ corrigamus ac ſuppleamus incuriã, & nullum ſit cruciatuũ

Domi-

Dominicorum genus, cui non ſua apud nos conſtet gratia, & bene collocati beneficij ratio.

Imitemur proinde S. Bernardum; qui cùm inter eas anxietates & amaritudines Domini ſui, ex quibus ab ineunte adoleſcentia charum quendam myrrhæ faſciculum conficere ſibi ſtuduerit, ea nominatim quæ à miniſtris petulantibus ſupremâ illâ nocte paſſus eſt, commemoràſſet, convitia, ſputa, colaphos, ſubſannationes, exprobrationes, & horum ſimilia; poſteà ſubjungit, ut etiam principio retulimus; *Memoriā abundantiæ ſuavitatis horum eructabo, quamdiu vixero. In æternum non obliviſcar miſerationes iſtas, quia in ipſis vivificatus ſum.* Et rurſum: *Has meditari dixi ſapientiam;* & quæ ſequuntur. *Serm. 43. in Cant.*

*Alterum*: Ut eosdem æterno Patri cum reliquis Unigeniti tormentis, velut in ſatisfactionem offeramus pro peccatis noſtris, præſertim occultis atque ignotis (ut Thaulerus admonet) quæ nos videlicet etiam dum committuntur fugiunt, aut jam commiſſa elabuntur è memoria. Inter quæ & occultos illos Domini JESU cruciatus ea eſt ſanè comparatio; ut quemadmodum de his pronunciavit S. Hieronymus, eorum multitudinem gravitatémq; ante extremi judicij diem non fore manifeſtam: ita de illis liceat dicere; ante mortis noſtræ judiciiq; particularis diem, futurum nobis incompertum; quàm multa ex oblivione & inconſiderantia, ex ignorantia aut errore non omnino probabili, ex occulto amore proprio, aut latente (ut vocant) noſtri exquiſitione peccemus: in quibus aut nullam fortaſſis noxam agnoſcimus, aut quæ etiam inter merita noſtra computamus. Veriſſimum quippe eſt, quod ille ait: *Multi occultè ſe ipſos quærunt in rebus quas agunt, & neſciunt.* *L. 1. de imit. c. 14.*

*Poſtremum*: ut ijs occultis Domini JESU vexationibus conjungamus moleſtias noſtras; præſertim ſi quâ contumeliâ, contemptu, probro, ſubſannatione vexamur. Quo nimirum

mirum fiat, ut & occultas illas Domini pœnas honoremus, ac quaſi compenſemus, noſtrâ ſimilium moleſtiarum patientia; & illarum acceſſione & tanquam attactu, paſſiones noſtræ ſanctitatem quandam & vim majorem accipiant, eóque evadant æterno Patri acceptiores.

Similiter autem, ut ad earundem Chriſti pœnarum venerationem, interdum ſuſcipiamus aliquid operis ad pietatem aut pœnitentiam pertinentis; earum pro nobis à Salvatore tam amanter toleratarum gratiâ, noſtram adverſus eum propenſam mentem, devinctúmq; animum, vel eo ſaltem officio religiosè profeſſuri.

# CAPUT XVII.

## *De Chriſti JESU cruce perpetua, memori mente aſſiduè circumferenda.*

VIdetur & hæc conſideratio ad occultos Domini cruciatus ex parte pertinere. Nam quanquam ſatis compertum eſt, illum ab ortus ſui primordijs, atque in reliqua deinceps vita, permultis exercitum incommodis, ærumniſque gravibus conflictatum fuiſſe, ſive ob inopem durámque parentum vivendi conditionem, quorum uſus laborúmque particeps diu vixerit, ſive ob acerbas acresve multorum inſectationes, ſive ob moleſtias vexationésq; ſponte ſuſceptas, in prædicatione Evangelij, & mortalium procuranda ſalute; attamen, tum horum incomperta nobis eſt pars maxima, cùm eorum pauca Scriptores ſacri prodiderint, qui etiam vitam ejus omnem ab ætatis anno duodecimo, ad uſque circiter trigeſimum, quo parentum domo relictâ ad labores ſeſe accinxit diſſeminandi Evangelij, ſilentio ſuppreſſam præteriêre: tum verò præſertim latét nos internæ moleſtiæ, angores, & cruciatus animi, quorum amarore conficiebatur

tur cor boni Jesu, etiam cùm nihil acerbi obveniret extrinſecus; ex quibus internis cruciamentis crux illa, de qua modò loquimur, compacta & conſtituta eſt. Ut mihi ſanè vel ipſum crucis perpetuæ nomen, nonnullis novum atque inſolens in re præſenti, futurum eſſe videatur.

Adſtruamus igitur illum in primis, ex Sanctorum ſapientúmq; ſenſu: tum autem ad ejus rationem ac pondus nonnihil reflexa cogitatione; exinde nonnulla vitæ ſpirituali apprimè conducibilia, conſuetâ methodo conſiciemus.

## §. I.

*Crux Chriſti perpetua quorundam Patrum Scriptorúmve Aſceticorum autoritate adſtruitur.*

IN primis ſiquidem S. Auguſtinus ſermone 32. de ſanctis, & ex eo S. Maximus in quodam ſermone de Martyribus, de cruce perpetua Sanctorum agens, ea profert, quæ jure potiori in ipſum Chriſtum conveniant. *Unde & crux Domini* (inquit) *non illa tantùm dicitur, quæ paſſionis tempore ligni affixione conſtruitur; ſed & illa quæ totius vitæ curriculo cunctarum diſciplinarum virtutibus coaptatur, de qua mihi videtur Salvator dicere: Qui vult venire poſt me, tollat crucem ſuam; ut intelligas crucem, non ligni eſſe patibulum, ſed vitæ virtutiſq; propoſitum. Tota igitur vita hominis Chriſtiani, ſi ſecundùm Evangelium vivat, crux eſt atq; martyrium.*

S. Bernardus (ut quidam referunt) ſermone quodam ita loquitur: *Volve & revolve totam vitam boni JESU, & non invenies eum niſi in cruce. Ex quo enim carnem aſſumpſit, ſemper in pœna fuit, in amaritudine & anguſtia.* Idem expreſsè docet Doctor mellifluus in Tractatu de Paſſione, ex quo nonnulla retulimus anteà, cùm de tribus Chriſti comitibus ageremus. Quod etiam pluribus infrà confirmans, cùm Chriſtum dixiſſet tradidiſſe in mortem animam ſuam: *mor-*

*Alex. Calam. in ſent.*

*cap. 35.* *mortem autem crucis* (ſubjungit) *non breviter tranſeuntis, ſed à principio ortus ſui in finem mortis duriſſimæ, perdurantis: ſicut enim ſuperiùs veſtræ commendavimus charitati, crux optimi JESU Chriſti, non tantùm fuit unius diei, ſed tota vita illius crux fuit & martyrium.*

Referuntur etiam ex S. Brixiano ad illud Canticorum cap: 8 *ſub arbore malo ſuſcitavi te;* verba quædam huc bellè cadentia, nam is ſententiam hanc de Chriſto & cruce interpretans: *Pulchrè* (inquit) *convenit in Chriſtum, quia ita promptè ad crucem acceſſit, itáque totâ vitâ eam eſt amplexatus, ut ſub ea natus eſſe videretur.* S. Bonaventura opuſculo de perfectione vitæ: *A prima die nativitatis ſuæ, uſque ad ultimum diem mortis ſuæ, fuit ſemper in paſſionibus & doloribus; ſicut ipſe teſtatur per Prophetam dicens: Pauper ſum ego, & in laboribus à juventute mea. Et alibi dicit: fui flagellatus totâ die, id eſt, toto tempore vitæ meæ.* In quem etiam ſenſum Chriſtus ipſe loquens inducitur in libello de Imitatione: *Ab hora ortus mei uſque ad exitum in cruce, non defuit mihi tolerantia paſſionis.* Et alio loco idem autor: *Nec enim* (inquit) *JESUS Chriſtus Dominus noſter, unâ horâ ſine dolore paſſionis fuit, quamdiu vixit.* Ubertinus de Caſali in Arbore vitæ crucifixæ Jesu, idem pluribus perſequitur, nominatim autem in 1. Prologo, de quadam agens illuſtratione cœleſti, quâ didicit ubique intueri dilectum, hoc eſt, Jesum crucifixum: *Et tunc* (ait) *tota Chriſti vita colligebatur in ejus paſſione & cruce; & in omni actu vitæ ſuæ mihi occurrebat JESUS ſemper cruce tranſfixus.*

*Ildeph. Flores de Martyr. n. 1347.*

*cap. 6.*

*L. 3. c. 18.*

*L. 2. c. 12.*

Eodem ſpectat quod dixit S. Bernardinus à nobis citatus parte 1. hujus opuſculi: Beatam Virginem crucifixam, Crucifixum concepiſſe. Et illa Nicolai Eſchij in exercitio cruciformi, quod parte 3. aliâ occaſione poſuimus; ubi hortatur nos, ut corpus & animam ſemper & ubique crucifigamus, *juxta exemplar Chriſti JESU, qui ſemper* (inquit)

*De B. V. Serm. 6. a. 2. c. 1.*

*cruci-*

Digitized by Google

*crucifixus vixit, & crucifixus ex hoc ſæculo migrare voluit.* Porrò ut eam nubem teſtium, quarundam etiam Chriſti Sponſarum teſtimonijs addenſemus; S. Tereſiam jam audivimus edicentem: Chriſtum, quoad vixit, crucem tuliſſe, eámq; guſtus ac ſuavitatis expertem. Sanctæ etiam Mechtildi ipſe Chriſtus indicare dignatus eſt: ſe ab infantia uſq; ad ſuum è vita exceſſum, perpetuò habuiſſe præ oculis amaram paſſionem ſuam, & ſingula eorum quæ ſibi toleranda eſſent, nuſquam intermiſsâ cogitatione versâſſe: quod item rurſum in 1. parte admonuimus. *Itin. perf. c. 17.* *L. 1. c. 6.*

Præclarè itidem S. Catharina Senenſis; quæ in precatione quadam Romæ conceptâ in feſto Annunciationis, ita Virginem Deiparam alloquitur: *Ego video Verbum iſtud divinum ſtatim atq; in te fuit inſcriptum, abſq; cruce ſancti deſiderij non fuiſſe: verùm mox ut in te conceptum fuit, continuò ei fuiſſe inditum atq; inſitum deſiderium moriendi, pro humana ſalute. Proinde ei magna crux fuit, tam diu ſufferre deſiderium illud, quod ipſe illico voluiſſet adimpleri.* Quem porro Librum ſignificat hæc ſancta Virgo, exarari cœptum in ipſa Verbi incarnatione, Librum inquam crucis ſpiritualis, ſeu cruciantis deſiderij; eundem in cathedra crucis eſſe denique perfectum atque completum, docet B. Laurentius Juſtinianus, dum ita loquitur: *Quamobrem cùm ſcribere compleſſet, nihilq; ſupereſſet ſcribendum, dixit: Conſummatum eſt,* &c. *De triumph. Chr. agon. c. 20.*

Expreſſiùs autem eadem S. Catharina epiſtolâ quadam ad Petrum Cardinalem Oſtienſem; ubi Chriſti exemplo illum adhortans, ut (quod ipſa ait) *in menſa crucis comedat cibum divini honoris;* diſertè pronunciat: *majorem in Chriſto fuiſſe crucem deſiderij cruce corporali, atque illam portâſſe à principio, uſque ad finem vitæ.* *Ep. 24.*

Præ cæteris autem in hoc argumento diſertam invenio B. Angelam Fulginienſem; quæ eam rem in tantum exaggerat, ut non dubitet quodam loco dicere: tantum támq; *Vit. c. 56.*

acutum fuiſſe dolorem in anima Chriſti, dum eſſet in utero Matris, quantum poſtea paſſus eſt in cruce, hoc uno excepto, quòd veram non haberet eorum tormentorum experientiam. Idque ſe ait in mentis exceſſu eum in modum planè cognoviſſe. Verùm ſanctæ viduæ verba, pluſcula opportuniùs reddam paragrapho ſequenti.

Cæterùm cùm eo argumento conſcripti extent pij quidam libelli; ex ijs, ſi ad manum forent, liceret fortaſſis hunc teſtium indicem locupletare: ſed quando nos illi jam deficiunt, ijs erimus, quæ in præſentia occurrêre, contenti.

§. 2.

*Crux illa Chriſti ſpiritualis, quibus ex partibus conſtiterit.*

Atque ex his quæ jam delibavimus, utcunque licebit, ejus crucis Chriſti ſpiritualis, quam perpetuam appellamus, notionem aliquam mente effingere, & quibus rebus, ceu partibus conſtet, definire. Ad illam quippe conſtruendam concurrêre, tum reliquæ omnes externarum internarúmq; afflictionum ſpecies, quæ bono Jesu non facilè ullo ſeu loco ſeu tempore defuerint; tum verò maximè aſſidua illa ſubeundæ crucis & mortis acerbiſſimæ recogitatio; cùm ut etiam antea indicatum eſt, paſſionis ſuæ haud unquam deponeret memoriam, ſed dolorem ſuum in conſpectu ſemper haberet. Hinc quippe in ejus anima ſubnaſcebatur affectus duplex, cujus utriusque motibus ſibi adverſis & pugnantibus in ſpeciem, mitiſſima illa anima dies noctésque vellicaretur. Alter, horror quidam & averſatio tormentorum, quæ ſubeunda ſibi præſentiſceret, ea nimirum refugiente (ſed quâ ipſe menſurâ ſtatueret) atque exhorrente naturâ; quem ille affectum, inſtante horâ paſſionis, uſque eò permiſit invaleſcere, ut præ agonia multo ſanguine ſudaverit. Alter, ex oppoſito inſurgens, earundem pœnarum ingens ac moræ impatiens deſiderium, ob illam, quâ ſolicitabatur aſſiduè, paterno præcepto obſequendi, atque ad ſalutem

tem mortales adducendi, cupiditatem. Quibus affectibus inter ſe commiſſis, neceſſe erat in ejus animo colliſionem luctámve non levem exiſtere; ut eapropter coarctari & tanquam opprimi ſe diceret, impatienti deſiderio earum rerũ, quas animæ pars (ut vocant) inferior tantopere averſaretur.

Quod enim nonnulli in re præſenti diſſentiunt; negantes, Chriſtum, niſi appropinquante paſſionis tempore, dolorem illum ex futuræ ſuæ paſſionis præſenſione antecapere potuiſſe, hac ratione ducti: quòd mala quæ adhuc abſint longiùs, neq; prævideantur ut de propinquo imminentia, non ita nata ſint commovere ſenſus, & dolorem aut triſtitiam ingenerare: quo argumento Joannes Nider, ait Chriſtum fuiſſe ſemper martyrem, notitiâ ſcientiæ infuſæ, ſed non ſenſu doloris, & experientiâ. Id, inquam, non ſatis eſt, ut quemquam à noſtra opinione dimoveat, quam vidimus in Sanctorum dictis non infirmum fundamentum habere. Siquidem, ut libenter concedimus, cùm jam è propinquo malum impendere cernitur, majorem in eo ineſſe vim ad conciendos immutandósq; ſenſus noſtros, & quandam in nobis progignendam velut anticipatam experientiam jam jam inſtantis urgentísq; doloris: non adeò tamen negari poteſt, etiam longiùs abſentis mali, ſed certò aliquando obventuri ita expreſſam atque attentam efficacémq; prænotionem eſſe poſſe, ut dolorem animo cruciatúmq; grandem inferat, præſertim cùm rei imago ita figuratur & ſubijcitur mentis oculis, perinde atque ſi non abſens eſſe, ſed coràm nunc geri videatur.

*Formic. l. 1. c. 11.*

Idq; nominatim in Chriſto valuiſſe contendimus, qui & ſcientiæ infuſæ perſpicaciâ, futurarum pœnarum gravitatem, inſolentiam, diuturnitatem, & reliqua adjuncta prænoverat, eáq; aſſiduâ verſabat cogitatione; inſuper & affectus ſuos, utramvis in partem habebat in poteſtate, paſſionique ſuæ proludens, ipſam pœnarum experientiam occu-

pabat patiendi deſiderio, & longum amarorem libens otioséq; ſorbebat. Jam ſi, uti docet piorum hominum experientia, Salvatoris paſſio pridem præterita, jámq; adeò ad illum diſcruciandum nihil attinens, attamen attentè recogitata eam vim habet, ut mœrorem, luctum, dolorem in animis meditantium concitet, ex ſola cum Chriſto jam olim paſſo compaſsione: multò ſanè id magis efficere potuit, nondum exhauſtus iſte calix, ídq; in corde ejus cui propinandus apparabatur, quiq; illius ingratiſsimam amaritiem immenſo meliùs comprehenderet, quàm attingere valeat cujusvis hominis contemplatio.

Tandem cùm (veluti SS. Birgittæ ac Tereſiæ revelatum eſt divinitùs, nósq; primâ parte pluribus docuimus) ipſa DEI Mater, ex eo ſaltem, quo ei B. Simeon denuntiârat, futurum aliquando, ut ipſius animam doloris gladius transfigeret, in magna vixit perpetuáq; amaritudine, præ illarum, quas filio ſuo obventuras cognoſceret, acerbitatum expectatione: nunquid filium ipſum cenſebimus, cujus res unicè agebatur, eâ cauſâ immunem fuiſſe triſtitiæ, neq; ullam ad ejus doloris partem pertinuiſſe? Quin imò credemus, & ipſum vixiſſe in perpetua amaritudine & prægustatione crucis ſuæ: tametſi illum dolorem ſuum corde premeret, & intra menſuram ſibi placitam, cum magna interni externíque hominis tranquillitate, contineret.

Audiatur hîc denique B. Angela, ſermone ſimplici, ſed luculentè tamen, ita confirmans. Sic enim loquitur agens de tertia Chriſti ſocietate, hoc eſt ſummo dolore: *In* Vit. c. 61.
*illo momento, quo fuit anima illa humano corpori & Divinitati unita, ſtatim in utero Virginis Matris ſuæ incepit ſentire ſummum dolorem, intelligendo univerſaliter & ſingulariter omnes pœnas & quamlibet per ſe, quas ipſa anima cum ſua carne experiri debebat, & pro nobis tolerare. Et ſicut propinquus morti factus fuit in agonia, & in tanta triſtitia, quòd corpus ſudorem*

rem

*rem ſanguineum uſque ad terram emſit, propter hoc quòd acerbitatem mortis prævidebat: ita anima Chriſti prævidendo iſta tormenta ſibi affutura, ſummo dolore dolebat, quamvis corpus non experiretur tantum, ſicut quando paſſioni fuit Chriſtus propinquus.* Et infrà: *Sciebat, & continuè conſiderabat, à quibus, & quando, & quomodo, & quantùm debebat affligi, interfici, illudi, & mactari; & videbat ſe ad hoc natum, & veniſſe in mundum: unde non poterat eſſe niſi in dolore, &c.* Ad extremum ita concludit in rem noſtram: *Et ſic tota vita Chriſti fuit aſſociata ſummo dolore, triſtitiâ, & afflictione.*

Maneat igitur quod dicebamus: Chriſtum per omnem vitam, cùm futuram paſſionem ſuam certâ prænotione comprehenderet, magnum animo dolorem ac cruciatum exinde cepiſſe; atque ex his internis angoribus (ut alia deeſſent extrinſecùs) occultam, ſed gravem, ſed longam & perpetuam crucem, benigniſſimo Salvatori conſtructam ac conſtitutam fuiſſe.

Quo loco & iſtam adferre liceat à propoſito non abhorrentem cogitationem: Quemadmodum ex ritu recepto, ſummo Pontifici ejúsve à latere Legato, quocunque procedant, crux antefertur: ita Chriſtum Dominum, qui & Pontifex noſter appellatur ab Apoſtolo, & pacis cum mundo conciliandæ gratiâ, Legatus eſt de Latere Patris (quippe quem virum cohærentem ſibi, ipſe per Prophetam appellat *Zach. 13.* Pater) quidquid animo agitaret prætenderétve, vivam & ob oculos perpetuò obverſantem habuiſſe futurorum ſuppliciorum imaginem; ipſámq; adeo crucem ſuam, quocunque pergeret, quocunque ſe verteret, ſeſe quodammodo antecedentem aſpexiſſe.

## §. 3.

*Tam præproperi in Chriſto Crucis complexûs, cauſæ nonnullæ.*

Hinc

HInc autem in primis mecum colliget pius Aſceta, quàm ingens fuerit in Chriſto JESU, & quantopere flagrans crucis amor. Qui cùm poſſet, ſi vellet, ſalvo etiam præcepto Patris, & incolumi atq; integra ſalutis humanæ procuratione, in tempus huic rei præſtitutum differre paſſionis ſenſum; & aversâ aliò futurorum malorum imagine, omnẽ crucis ſuæ præſumptionem ac prægustationem declinare: voluit tamen ab ortûs ſui principio, & per omnia deinceps momenta vitæ, in aſſidua tormentorum ſuorum præſenſione ac recogitatione verſari; eáq; ratione crucem ſuam, quæ paucarum horarum eſſe poterat, vitæ ſuæ commenſam atq; coævam, eóq; perpetuam, facere. Itaque nec ipſum naſcendi tempus ſuſtinens, etiam in materno utero, ipſóque adeò primo ſui conceptûs momento, ut cum Apoſtolo Paulo primâ parte diximus, moriendi legem ſibi à Patre impoſitam defixit in medio cordis ſui, oblatámq; crucem arctè complexus, jam tum ſponte ſuâ in illa diſtentus eſt; omnes illius acerbitates ſemper in mente, ſemper in deſiderio habens, earúmq; guſtum atque experimentum anticipans; ut ex eo momento (prout Sanctus indicat Bernardinus) veluti crucifigi cœperit, & in cruce conceptus, in cruce natus, omni denique vita in cruce verſatus, & non tantùm mortuus, dici poſſit. Tantus amor crucis, tantum támq; inſolens patiendi deſiderium fuit.

Hujus autem tam pronæ in Chriſto, adeóq; effuſæ, ne dicam præcipitis, in cruce ſua complectenda prægustandáve, cupiditatis, cùm multæ cauſæ poſſint adferri; iſtæ occurrunt in præſentia, ad exemplum noſtrum, uſúmq; cumprimis accommodatæ.

*Prima:* ut hoc pacto evidentiùs ingentem ſuum erga nos amorem oſtenderet; quorum utique ſalutis negotium ita cordi haberet præ cæteris, ut nullam ſibi in eo procurando moram indulgens, quo primùm momento vivere, eodem



Digitized by Google

dem ſaluti noſtræ ſervire, eodem pro nobis ſatisfacere occiperet. Nam (ut inter alios loco ſuprà laudato ait S. Bernardinus Senenſis) *ab inſtanti conceptionis fuit in Chriſti anima totus actus internus, quo DEO pro omnibus ſatisfecit, & quoad omnem pœnam & mortem DEO placitam ſeu exactam, ſe promptiſſimè expoſuit.* Ut ea denique contemplatione, pudeat nos pigeátq; aliquando noſtræ (ut molliſſimè dicam) in eo redamando inertiæ; itaq; deinceps nos comparemus, ut unica nobis ſolicitudo ſit illi vivere, illum diligere, illius honori ac gloriæ, quantumvis dura atq; acerba offerantur, obſecundare; verbo (quod graviter à S. Cypriano dictum eſt) *Chriſto nihil omnino præponere, quia nec nobis quidquam ille præpoſuit.* *De orat. Domin.*

*Secunda*: ut hac ratione in animis noſtris aliquantùm molliret crucis horrorem, eámq; doceret non adeo à nobis refugiendam aut repellendam eſſe, ſed è contra in ea ineſſe quiddam, propter quod requiri atque amari digna ſit: quando ipſa DEI Sapientia, ſciens utique reprobare malum & eligere bonum, crucem ſuam ut rem oppidò deſiderabilem, votis etiam præfeſtinatis expetierit, eiq; à vitæ principio ad ipſum è vita exitum, indiſſolubili amoris nexu copulata ſit.

Itaque & ab his, qui ſe ut magiſtrum ac ducem conſectari affectent, jure poſtulat, ut ſuo exemplo crucem ſuam ferant *quotidie*, hoc eſt, aſſiduè ac perpetuò, prout ſuam ipſe Salvator perpetuò tulit: perinde acſi nobis edicat, ut ait S. Hieronymus: *Niſi anima veſtra ita ad crucem fuerit præparata, ſicut mea fuit pro vobis, mei diſcipuli eſſe non poteſtis.* Atque ut idem S. Doctor ſcribens in S. Matthæum: *In alio*, inquit, *Evangelio ſcribitur: Qui non accipit crucem ſuam quotidie, ne ſemel putemus ardorem fidei poſſe ſufficere, ſemper crux portanda eſt, & ſemper nos Chriſtum amare doceamus.* *Luc. 9.* *In pſ. 95.* *In c. 10. Matth.*

§. 4.

## §. 4.

### *Rationes aliæ eodem ſpectantes.*

TErtia: Ut eodem exemplo diſcamus, crucis mortificationiſq; ſtudium, non in ſeram ætatem differendum, ſed à teneris annis continuò capeſſendum eſſe; ſicut ſcriptum eſt: *Bonum eſt viro, cùm portaverit jugum ab adoleſcentia ſua.* Quod verò, amabò, jugum Chriſti eſt, niſi crux Chriſti?

*Thren. 3.*

Quamobrem ſemper delectatus ſum piâ quadam parvuli Jesu imagine, quippe ad ſenſum hunc animis ingignendum bene appoſitâ: in qua ille ſpectatur tenelli pueri ſpecie, crucem humeris bajulans, ſpinoſo ſerto præcinctus caput, nudo corpore; juxta ac ſi indicet, in ſe quidem moram nullam eſſe, quò minùs actutum ducatur ad pulchram mortem; quin promptum eſſe ſe atque avidum, vel nunc (ſi liceat) in crucem agi atque ſuffigi, & ita implere opus redemptionis noſtræ. Quâ equidem formâ fertur dulcis Jesus B. Oſannæ Mantuanæ etiam puellulæ, ſeſe videndum præbuiſſe. Aut illa altera ejuſdem pueri Jesu, ſed grandiuſculi effigie, lævâ manu crucem ſubvectam humeris, dextrâ calathum, in quem funes, flagella, clavi, ſpinæ, & reliqua illa amaræ paſſionis argumenta congeſta videas, animosè præferentis. Quò ſignificetur, quod dicebamus, innocentem & amabilem puerulum, ſævam illam dolorum ſuorum congeriem perpetuò habuiſſe præ oculis, jam tum promptum involare in crucem, jam tum cogitatione ac deſiderio in ea diſtentum ſuffixúmq; fuiſſe. Quod etiam indicat priori imagini adſcriptum lemma: *In laboribus à juventute mea.* At enim, à *juventute mea*, inquis. Quin etiam, mi Jesu, ab ipſa porrò pueritia, ab infantia, ab ortu, ab ipſa conceptione tua. Ex quo enim mundum ingrediens, priſcorum illorum ſacrificiorum tenuitatem ac jejunica-

*Vit. c. 13.*

*Pſal. 87.*

nitatem ſuppleturus. *Ecce venio*, dixiſti Patri, ſemper te aſpexiſti ut victimam Patri placando deſtinatam, pérq; longos dolores, aſſiduósq; cruciatus præparandam, ac demum in ara crucis in odorem ſuavitatis conſumendam: ut proinde, quaſi cultrum ſacrificalem jam tum jugulo defixum circumferres, ita nullum momentum doloris vacuum transires. Ergo & hoc cuique à juventute ſua, immò ab ipſa pueritia ſtudendum eſt; ut legem illam ferendæ crucis, unicuiq; à Deo impoſitam, defigat in medio cordis ſui. Ut enim rectè S. Ambroſius: *Nulla Dei regno infirma ætas*, ſemperq; potiùs dolendum nobis, quòd ſerò nimiùm ad crucis nos ſigna contulerimus, neque licuerit vel ab ipſis vivendi initijs, ſancti amoris ſtudium, atque amabilem Crucifixi diſciplinam amplecti. *L. 7. in Luc. c. 15.*

*Quarta:* Ut in longis vexationibus, prolixis morbis, aut (ut S. Auguſtinus loquitur) *in medijs gemitibus & parturitionibus moleſtiarum*, quarum vel ſola longinquitas, amaro tædio victum animum, refringere atque abijcere ſolet; illo nobis ob oculos poſito invictiſſimæ tolerantiæ ac perſeverantiæ exemplo, ad malorum noſtrorum patientiam confirmemur. Quantula enim eſt omnis crux noſtra, ut longinqua nobis ac diuturna videatur, cum illa Domini ac Salvatoris perpetua cruce comparata? quâ ille annos tres & triginta, eóq; ampliùs, ita oppreſſus fuit, ut dies noctésq; hæc in eum incurſaret cogitatio, neque ullum ſibi doloris intervallum permitteret: cùm neq; ſic ſomno illi occuparetur animus, quin vigili mente ad ea quæ Patris ſui eſſent, attenderet, & opus noſtræ redemptionis, crucisq; labores ſecum ipſe perpetuò convolveret. *In pſal. 122.*

Iſte igitur ſit exercitij præſentis fructus præcipuus: ut in memoriam atque honorem imitationémq; crucis Chriſti perpetuæ, conſtanter atque hilariter perferas, ſi quæ tibi cruces, afflictiones, morbi paulò diuturniores obvenerint;



Digitized by Google

id tecum aſsiduè ejuſdem exemplo reputans: victimam te eſſe divinæ gloriæ, pro tot peccatis tuis, ſummæ juſtitiæ cultro immolandam; pérq; varias tribulationes, tandem cum Chriſto, in ara crucis, doloris & amoris igne concremandam: ita enim fiet, ut quidquid adverſum atque acerbum occurrerit, id velut proviſum meditatúmq; æquo animo excipias; memor, ferrum & ignem, nec mollius aliquid, manere victimam, téq; per hæc dura, ad dignum Deo gratúmq; ſacrificium apparari. Quem etiam in morem alicubi invenio S. Auguſtinum, eâdémq; prorſus cogitatione ſeſe in pœnis ſuis confirmantem. Nam cùm de ſupplicijs quæ ſponte ſuſcipiuntur diſſerens, id ſibi objeciſſet quaſi ex perſona tentatoris: *DEO ergo placet, quia te crucias? Ergo crudelis eſt, qui delectatur pœnis tuis?* tum fortiter reſpondet in hunc modum: *Excrucio me planè, ut ille parcat; do de me pœnas, ut ille ſubveniat; ut placeam oculis ejus, ut delectem ſuavitatem ejus:* quæ poſtrema jam ſupra poſuimus. *Nam & victima* (ſubdit) *excruciatur, ut in aram imponatur.*

*De utilit. jejun. c. 3.*

Hunc igitur in modum, nos quoque animo affecti, & comparati eſſe debemus: quemadmodum & Martyr Ignatius; dum locum ſupplicio ſuo apparatum, tanquam altare aſpiceret, beſtiarum dentes velut inſtrumenta ſacrificij, quibus Deo immolandus eſſet; ita Romanis ſcribens: *In hoc potiùs incumbite, ut DEO immoler, dum adhuc altare paratum eſt.* Et poſteà: *Orate, ut per hæc inſtrumenta, DEO fiam pura hoſtia.* Sed de his hactenus.

# CAPUT XVIII.

## *Conſiderationes, quibus efficitur, afflictiones à DEO immiſſas, cum veneratione atq; amore eſſe ſuſcipiendas.*

A gra-

A Gravioribus magiſq; arduis robuſtæ patientiæ documentis, quæ anteà ſparſim expoſuimus, deſcendimus modò ad faciliores magiſq; obvias, malorum noſtrorũ patientiã ſublevandi, & nosmet ipſos, acerbis in rebus, vario ad Chriſtum exemplar noſtrum reſpectu, piè ac jucundè conſolandi, rationes. Quas quidem hoc capite tradi cœptas, ad extremũ uſque iſtius partis perſequi conſilium eſt, ut è pluribus eligat quisq;, quæ ad genium ſuum magis faciant; aut etiam (uti placuerit) nunc hanc, nunc iſtam cogitationem ad uſus ſuos adhibeat, quotidianarum ærumnarum familiare remedium, & vitæ acerbæ non utile delinimentum.

## §. 1.

*Afflictiones noſtras, veluti micas de menſa crucis deciduas, religioſè excipiendas eſſe.*

ATque id in primis tecum reputato ac conſtituito, mi Lector. Si ea tibi ſors olim oblata eſſet, ut Chriſto veſcenti, ad menſam ut miniſter aſſiſteres: quâ gratulatione ac reverentia, fragmenta panis, aut ciborum analecta recolligeres? Nunc igitur in rebus adverſis, & quoties difficile quidpiam ad patiendum occurrerit, eum in modum tecum philoſophare.

Inopia, morbi, dolores, ægritudines animi, & omnes ærumnæ quæ nobis in vita obveniunt, fragmenta ſunt divinæ menſæ, quæ jubemur colligere ne pereant, & ſine fructu efficiantur in nobis. *Joann: 6.* Micæ ſunt cadentes de menſa crucis: tibiq; ipſe gratulari debes, quòd peculiariter dignus habitus ſis, qui inſtar catelli edas de menſa Domini tui. Denique ſpicæ ſunt, quas validus ille laborum dolorúmq; meſſor tibi reliquit, etiam de induſtria proijciens, ut habeas quod colligas, ſequens ipſius veſtigia, & panem invenias, quo alaris in vitam æternam. *Matth: 15.* *Ruth 2.*

Hic certè panis eſt, quo Deus filios ſuos amat alere;

quò quemque chariorem habeat, hoc ſeveriùs illum edu-
Heb. 12. cans, & durâ diſciplinâ paratæ cooptans hæreditati. *Quem enim diligit Dominus, caſtigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit.* Nec alio quàm hoc lacrymarum pane filium ſuum dilectum & unigenitum cibavit. Si is fuit panis pri-
Joann. 4. mogeniti, quidni & noſter? *Meus cibus eſt* (inquiebat ille) *ut faciam voluntatem ejus qui miſit me, ut perficiam opus ejus.* Hoc eſt, œconomiam humanæ ſalutis, tot ſudoribus & laboribus affectam, tantis tormentis ac doloribus, & ignominioſâ denique morte complendam. Mancipiorum panis, terrena conſolatio: cùm plerumque reprobis temporalis obtingat felicitas; contrà verò electi omnibus conflictentur incommodis. Ita ferè res temperante Providentiâ, ut quibus æternam hæreditatem apparet, hos laboribus exerceat ad gloriam; eos autem iſtis bonis aſpergat ac ſolatiolis temporalibus, quos merito ſuo fore præſciat gloriæ cœleſtis exhæredes.

Neque verò Chriſtus in Evangelio promiſit electis ſæ-
Joan. 16. culi gaudia, ſed triſtitiam, preſſuram, luctum; mundo interim gaudente & exultante. Ut vel hinc videas, quàm non injuriâ plerique ſancti ſuſpectam haberent felicitatem hujus ſæculi; & ſi aliunde adverſi nihil occurreret, ipſi ſibi eſſent pro perſecutoribus, & ſpontaneis ſe ſupplicijs ſubijcerent: ne ſcilicet ſi extra diſciplinam eſſent, inter adulterinos & non germanos Dei filios computarentur. Audiatur cæterorum nomine S. Gregorius, ad illud dolentis Job cap: 3.
L. 5. Mor. c. 1. *Quare miſero data eſt lux, &c. Sancti viri* (inquit) *cùm ſibi ſuppetere proſpera hujus mundi conſpiciunt, pavidâ ſuſpicione turbantur. Timent enim, ne hîc laborum ſuorum fructus recipiant: timent, ne quod divina juſtitia latens in eis vulnus aſpiciat, & exterioribus eos muneribus cumulans, ab intimis repellat.* Verùm priuſquam hinc abeo, placet iſti affinem nec multùm diverſam accumulare commentationem.

Sic

Digitized by Google

Sic igitur hîc rurſum tecum reputa. Si Salvator tuus in terris agens tibi præbibiſſet, ipſúmq; ſuum calicem propinâſſet atque obtuliſſet, quanto affectu, quantâ reverentiâ, atque grati animi ſignificatione, reliquum calicis ebibiſſes? Atqui hoc ipſum eſt, quod hodiéq; à te poſtulat. Audi illum de cruce acclamantem, & ijsdem vocibus, quibus olim ſibi cumprimis dilectos diſcipulos affatus eſt, te invitantem: Dilecta anima, potéſne bibere calicem, quem ego bibo, aut baptiſmo, quo ego baptizor, baptizari? Expectat autem ſanè quàm avidè, ut invitanti hilarè reſpondeas; atque id ipſius tanquam honori ac gratiæ tribuens, oblatum calicem gratus acceptes; & pauculas illas quaſi guttas amaritudinis, quæ circa calicis labra remanent, libens exſorbeas. Nam ſi verum loqui volumus; ipſe grandem illum paſſionum & amaritudinum calicem, à Patre ſibi propinatum, uſque ad fundum & fæces exhauſit; ut nobis illius non niſi ſtilla relicta ſit, quam deguſtantes, Chriſti paſſionibus communicemus. *Cur recuſamus* (inquit Thaulerus, de Dominicis flagellis agens) *vel guttulam unam myrrhæ acerbioris deguſtare causâ illius, qui ſeſe totum propter nos in ipſum amariſſimum paſſionis pelagus immergi paſſus eſt?*

*Marc. 10.*

*Explic. paſſ. c. 9.*

## §. 2.

### *Easdem, tanquam fragmenta quædam crucis Dominicæ, aut portionem aliquam paſſionis Chriſti, aſpiciendas.*

COnducet deinde ad Chriſtianam ſanctámq; malorum patientiam iſta etiam perſuaſio: Dolores, afflictiones, anguſtias, quibus urgeris, eſſe quædam quaſi ſchidia minutáſve partes earum rerum, per quas olim Chriſtus cruciatus eſt, & quibus attactu corporis ſui ſanctitatem ac religionem impertijt; proindéq; easdem afflictiones, ut ſanctarum rerum pretioſas reliquias, cum gratiarum actione & venerati-

one

one tibi ſuſcipiendas eſſe. Itaque & hic deſcendendo ad ſingula, licebit ad hunc modum ratiocinari.

Si partem aliquam eorum flagellorum, quibus Chriſti corpus ſacratiſſimum olim diſſectum & laceratum fuit, undeunde nactus eſſes: quanto illam affectu & pietatis ſenſu ori apprimeres & diſſuaviareris? Nunc autem in morbo, quem, exempli cauſâ, nunc pateris, flagellat te Deus, ut ſimilis ſis Filio ipſius unigenito, déq; ejus flagellis participes. Ecquid igitur cum illo paratum te offers in flagella, & gratanter flagellantis manum, ipſúmq; flagellum exoſcularis? Rurſum: Si ſpinâ aliquâ donareris coronæ Chriſti, ut rem pretioſam tibiq; charam auro certè ac gemmis includeres. Atqui, ſi bene rem æſtimas, hæc tua afflictio, hic capitis dolor, hæ moleſtiæ, hi ſcrupuli & mentis anxietates, ſunt una de ſpinis, quibus Domini tui caput præcinctum atque compunctum eſt. Agnoſce igitur divinum munus, & illud in pretio ac veneratione habe.

Tandem: Si Dominicæ crucis particulam humi fortè abjectam & neglectam, invenires; eam cum gaudio levares de terra, eóq; invento plurimùm tibi gratulareris. Ecce tibi modò in manus venit ſanctæ crucis portio: omnes quippe juſtorum tribulationes particula quædam crucis Chriſti ſunt. Quidni igitur illam libens admittis, immò cum gaudio occurris venienti?

Et hanc ipſam conſiderationem facilè erit ſigillatim transferre ad reliqua incommoda mortalis vitæ; nam hæc penuria v. g. hic rerum defectus quem pateris, quodammodo una eſt de ſtipulis, ſuper quibus Chriſtus recens natus reclinatus eſt, aut certè ramentum ipſius præſepis, aut panniculorum ejus fragmentum. Hæc ignominia, hoc opprobrium, particula eſt & lacinia veſtis albæ, quâ Chriſtum induit per ludibrium Herodes, & quæ (ſi eâdem rectè uti noveris) æternæ gloriæ te candidatum efficiet. Iſta triſtitia, hæc

hæc amaritudo animi & oppreſſio cordis, eſt velut gutta fellei potûs, quo illius os in paſſione imbutum eſt. Et ita de alijs. Quin & ipſas denique afflictiones tuas, non modò ut earum, quas dixi, externarum rerum particulas aliquas aſpicere debes; ſed etiam tanquam portionem ipſarum Chriſti paſſionum, quas veluti Chriſtus, præ quàm externa illa, intimè in ſe ſuſcepit, ita etiam majori quadam affecit ſanctitudine, & majori honore atque amore dignas reddidit. Ad hoc enim faciunt illa B. Petri verba: *Communicantes Chriſti paſſionibus gaudete: ut & in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes.* Quid enim eſt Chriſti paſſionibus communicare, niſi in earundem paſsionum partem ac ſocietatem venire? Igitur, ex S. Petri mente, afflictiones quas patimur, particulæ ſunt, & velut reliquiæ earum paſsionum, quas Chriſtus in ſe noſtrâ causâ ſuſcepit: eáſq; par eſſet, non patienter modò, ſed etiam gaudenter excipere, tanquam ejus intimo complexu peculiariter conſecratas; & quaſi pignora ac ſemina ejus gloriæ, ad cujus etiam communitatem vocantur, qui ſocij fuerint & participes paſsionum ejus. Ut enim ait [illegible] confirmans Lætienſis Abbas: *quodvis gravamen imaginem aliquam excellentiſſimæ paſſionis Domini noſtri JESU Chriſti refert, & in eo homo promereri poteſt perfectam ejuſdem paſſionis Dominicæ participationem.*

*Ep. 1. c. 4.*

*Inſtit. ſpirit. c. 8.*

## §. 3.

### *Eaſdem eſſe velut ſtigmata Domini IESV, in corpore aut corde noſtro impreſſa.*

POſtremò adverſus incurſantes in te moleſtiarum aculeos, & iſtâ cogitatione armaberis. Si DEUS ſingularis benevolentiæ gratiâ, aut corpori tuo, ut B. Franciſco, aut cordi tuo, ut B. Claræ de Montefalco, aut etiam B Gertrudi contigit, ſuorum vulnerum ſacra ſtigmata, aut paſsionis ſuæ

ſuæ peculiares notas imprimeret; quàm grato animo divinum hoc munus exciperes! qua in æſtimatione hoc ſalutis pignus; hanc ineffabilis dilectionis arrham, quo in pretio haberes! Ecce autem, quanquam occultis modis, id ipſum tamen tecum agitur, quoties tibi Salvator tuus, pro ſua adverſus electos ſuavi providentia, aut immittit adverſi aliquid, aut obvenire permittit. Nec enim, opinor, in corpore ſuo, vulnerum ſeu paſsionis Chriſti certa ſigna aut impreſſas notas divinitùs acceperat Apoſtolus; & tamen gloriatur, & dicit: *De cætero nemo mihi moleſtus ſit, ego enim ſtigmata Domini JESU in corpore meo porto.* Nimirum vincula, verbera, plagas, plagarúmq; cicatrices, quæ in Chriſti cauſa hactenus perpeſſus fuerat, ſtigmata Domini JESU appellat; quòd his tanquam notis ac ſtigmatibus inſignitus, verus ac peculiaris Chriſti ſervus agnoſceretur. Veluti de Magno Conſtantino refert Theodoretus in hiſtoria; cum in illis Nicœni Concilij Patribus, qui pro Chriſti fide dextros oculos effoſſos habuerant, atque (ut idem autor loquitur) ſtigmata Domini JESU in corpore ſuo geſtabant, impreſsis labijs plagarum veſtigia, magno fidei ardore exoſculatum fuiſſe. Nec abſimili pietatis ſenſu S. Paulinus Nolanus; dum ad S. Victricium Rothomagenſem Epiſcopum, qui ſub Juliano in Gallijs militans, fidei Chriſtianæ gratiâ, immanes plagas pertulerat, ita ſcribit: *Quis daret nobis pennas columbæ, & volaremus ad te, & requieſceremus in conſpectu ſanctitatis tuæ, coràm in ore tuo Chriſtum DEUM admirantes atque venerantes, tergeremus capillis pedes illius tuis pedibus, & lacrymis rigaremus, & in illis cicatricibus tuis quaſi Dominicæ paſſionis impreſſa veſtigia lamberemus!*

*Gal. 6.*

*L. 1. c. 7. & 11.*

*Epiſt. 2. ad Victr.*

Igitur, uti dicere cœpimus, eàdem nos mente eſſe convenit, ſi quid patimur adverſi. Decorat enim nos Dominus ſuis inſignibus, & quaſi notis ſuis inſcribit, ut hoc inuſto diverſarum afflictionum ſtigmate, de ejus tanquam familia, imò

imò de ſpecialium amicorum electorúmq; numero cenſeamur. Quò referri poteſt quod de S. Franciſca Romana accepimus: quæ quadam die poſt ſacram Synaxim in mentis exceſſu poſita, viſa ſibi eſt videre JESUM, Crucifixi ſpeciem, vulneribus ipſis in modum Solis radiantibus; eundémque ſibi tanquam gratulantem audire, quòd ſua (ut ajebat) arma & inſignia geſtaret: quo nomine viſus eſt (uti obſervat Julius Urſinus) dolores pedum ac manuum, laterisq; plagam peracerbã, ei ſanctæ viduæ divinitùs impoſitam, ſignificâſſe. *L. 3. c. 6.*

Proinde, ſi corpori quidem moleſtum aliquid acciderit, ſi morbus obvenerit, ſi membrorum artuúmve vexatio; gratulabimur nobis videlicet, quòd ſtigmata Domini JESU circumferamus in corpore. Si autem animum invadet triſtitia, lancinabunt curæ, diſcruciabit anxietas: tum eadem ſtigmata crucisq; Dominicæ characteres, cordi noſtro inſcribi atque inſculpi fingemus. Atque ejusmodi paſsionis Chriſti notas & imagines, præ illis quas principio memoravi, hoc quodammodo amabimus magis & exoſculabimur, quòd earum voluntaria ſuſceptio ac tolerantia, non modò divinæ erga nos benevolentiæ ſint pignora, ſed viciſſim noſtri in Chriſtum amoris certiſsima documenta.

Sed delectat me S. Eulaliæ 12. annorum virgunculæ, inter pectines & ungulas ferreas, quibus tenerum illius corpus à carnificibus lacerabatur, ſublimis eo in genere Philoſophia: quippe quam ungularum notas ac vulnera ſua intrepidè ſpectantem, & quodammodo dinumerantem, atq; his vocibus Sponſum ſuum alloquentem, deſcribit Chriſtianus Poëta Prudentius:

*Scriberis ecce mihi Domine,* *Periſteph. Hymn. 3.*
*Quàm juvat hos apices legere,*
*Qui tua, Chriſte, trophæa notant!*
*Nomen & ipſa ſacrum loquitur*
*Purpura ſanguinis eliciti.*

Vides excelſam Virginis mentem; & quibus illa ſe cogitationibus, in ipſa artuum ſuorum lanienâ, ac cruoris undique ſcaturientis aſpectu ſuſtentaret, déq; ipſa tormentorum atrocitate ſolatium animúmq; ſumeret. Aſpiciebat nimirum cruciatus ſuos, velut pretioſa Domini Jesu ſtigmata; gaudebátq; in membris ſuis, tanquam in delicata membrana, ferreis illis ſtylis, acutiſq; pectinibus exarari notas, & characteres imprimi, qui Chriſti triumphum loquerentur, & crucis trophæa ſignarent, pérq; hiantia laterum ſuorum coſtarúmq; vulnera, tot quaſi ora aperiri, ipſo ſanguinis vocali profluvio, Jesu nomen ac gloriam apertiſſimè prædicantia.

# Caput XIX.

## *Aliæ nonnullæ conſiderationes eandem ad rem pertinentes.*

### §. I.

*Iuſtorum in vita afflictiones, veras Chriſti amantis blanditias eſſe.*

Ærumnas & moleſtias hujus vitæ, quæ Deo vel immittente vel permittente juſtis eveniunt, eſſe dona amantiſſimæ dextræ, & ſpecialia divinæ benevolentiæ ſigna, jam in ſuperioribus, nec ſemel fortaſſe, prædiximus. Ut porrò homini afflicto, & ſub ærumnæ ſuæ pondere gementi meritò liceat evangelicum iſtud occinere: *Si ſcires donum DEI.* (*Joann. 4.*) Si intelligeres, quorum bonorum compendium, quanti favoris pignus, quantæ gloriæ ſemen ſit, hæc tua, quæcunq; eſt, tribulatio; ſi quibus oportet, illam oculis aſpiceres: nimirum non illam, ut nunc adeò facis, defugeres, ſed optares potiùs, & obvijs ulnis amplecteteris obvenientem, inq; ejus ſinu atque complexu acquieſceres.

Verùm

Verùm illud lubet ſuperaddere in præſentia, eas ipſas ærumnas non qualiacunque divini favoris argumenta eſſe, ſed quasdam veluti blanditias ac luſus incarnatæ Sapientiæ nobiſcum ludentis, ac de patientiæ noſtræ ſpectaculo, ſibi oblectationem, nobis utilitatem quærentis.

Amœnum eſt, quod hoc in genere cuidam Virgini è S. Dominici familia divinitùs aliquando objectum eſt. Referebat hæc, ſe in mentis exceſſu viſam eſſe ſibi videre roſetum quoddam magnitudine præſtans, & pulchritudine eximium, cui inſiſteret puerulus JESUS, cum ſerto è rubicundis confecto roſis. Subtus autem ad roſeti radices, viſum ſibi conſidere Henricum Suſonem, virum ſanctum ex eodem Ordine, de quo ſuperiùs alia nonnulla memoravimus. Porrò puer JESUS, tenerâ manu roſarum flores videbatur hinc & inde decerpere, iiſq; Henricum infernè jacentem ludibundus appetere, dum blandis his telis totum denique cumulatè operiret, & tantùm non obrueret. Ad extremum quærenti Virgini, quid iſtud viſi portenderet, reſpondit divinus puerulus: miſſilibus his roſis, tantâ copiâ in dilectum ſibi miniſtrum conjectis, multiplices cruces & afflictiones adumbrari, quibus illum (DEO ſic permittente) tentari & exerceri oporteret, & quas ille, tanquam ab divina & amica manu profectas, non modò æquo animo, ſed etiam libenti atque hilari, acceptaturus eſſet. *Vit. Suſon. c. 36.*

Vides, quàm diverſè à DEI ſenſu de his rebus judicium ferimus; & (quod hinc conſequi neceſſe eſt) ut præpoſterè atque perversè de illis loquimur, eáſq; non ſuis nominibus appellamus? Tangit te fortaſſis amica & amabilis DEI manus, & aliquam (ut quidem appellas) ærumnam ac calamitatem tibi immittit. Sed adhuc ignoras ingenium ac mores amantis DEI. Tu illum profectò percutere credis atque ſævire: ſed quæ tibi verbera atque afflictiônes videntur, hæ quidem meræ ſunt blanditiæ; & dum te ſeriò vexari putas,

 nihil

nihil niſi Jesus tecum ludit & delicias facit. Tandem quas nos cruces & ſpinas appellamus, molles roſæ ſunt: è diverſo autem quas roſas exiſtimamus, opes ſcilicet, voluptates ac vitæ commoda, ſpinarum nomine, cœleſti nomenclaturâ cenſentur.

*Luc. 8. v. 14.*

*Sider. in faſcic. myr.*

Et verò (ut quidam ex Nazianzeno referunt) cruces & incommoda hujus vitæ, flores ſunt bonorum quæ expectamus, & propter fructum, florem quoque decerpimus.

*Spec. ſpirit. c. 8.*

Nec ineleganter aut abs re noſtra Ludovicus Bloſius: *Tribulationes in hac vita, præclariſſima DEI dona ſunt; & non eſt ullum certius ſignum divinæ electionis, quàm ut quis adverſa humiliter ac reſignato animo propter DEUM toleret. Frigore, æſtu, infirmitate, & quibuslibet alijs gravaminibus externis DEUS purgat, ſanctificat, mirificéq; exornat animas electorum ſuorum. Et quos videt minùs aptos eſſe, ut torques aureas* (id eſt, graviores afflictiones) *ferant, ornat eos ſaltem ſertis ac floſculis, id eſt, levioribus tribulationibus.* Sic ille.

Is igitur nobis ſit hujus conſiderationis fructus: ut ad leniendum minuendúmq; ſenſum dolorum noſtrorum, non jam ad res ipſas, quæ nobis adverſæ obvenerint, prout in ſe ſunt aſpicere; ſed altiùs ſublatâ mentis acie, manum & animum eas immittentis (per quæ dum tranſeunt, illæ ſanè nomen, & qualitatem & guſtum mutant) reſpicere conſueſcamus: illudq; etiam nobis ſuggeramus identidem: dignum eſſe Iesum pro nobis paſſum, cui etiam cum aliquo dolore noſtro gratos de nobis ludos ac patientiæ ſpectaculũ præbeamus: ejúsq; amori, aliqua nos corporis aut animi ægritudine exercenti, aut (quando ita loqui cœpimus) per eam nobiſcum luſitanti ac delicias facienti, ingenuâ & ipſi, gratáq; animi inclinatione & quaſi colluſione, reſpondeamus. Hac eadem arte incommoda ſua fallebat B. Franciſcus Borgia, de quo illud eſt memoriæ proditum. Cùm aliquando tardiùs ac multa jam nocte ad quoddam Societa-

tis

tis noſtræ domicilium deveniſſet, diúq; fores pulſans non L. 2. vit. c. 12. audiretur, quòd & domeſtici ſomno ſopiti eſſent, & domus à janua longè diſtaret; coactum eſſe multo tempore præſtolari ad januam, cùm etiam cœlo nix multa decideret. Iſtam autem & longam, & intempeſtivam expectationem, confirmabat ipſe poſtea, non modò ſibi non moleſtam, ſed etiam jucundam accidiſſe, cum animo ſuo reputanti; quòd veluti principibus viris volupe eſt, feram aliquam ſtimulis & arundine in arena aut circo agitare: ita DEUM crederet id temporis, dum mollibus ſe petit nivium globis, ex hoc quaſi ludo aliquod de ſe oblectationis argumentum ſumpſiſſe.

In quem ferè ſenſum & illa incidit comparatio, quâ ipſe Chriſtus aliquando uſus eſt apud S. Gertrudem, cùm diceret: Quemadmodum fera venatu agitata, quàm do- l. 3. c. 58. meſticum animal, acceptior eſſe ſolet; quòd illius caro tenerior ſit eſúq; jucundior: ita cordis affecti & variè exerciti munus, ſibi longè eſſe acceptiſſimum.

Sed neque hinc denique abludit; quòd S. Clara, B. Fratrem Juniperum, ex primis S. Franciſci Sodalibus, mundi ſuíq; contemptorem egregium, ſolebat Chriſti joculatorem ſeu ludionem appellare; quòd is ludicris in ſpeciem actionibus, ſed cum vero ſui deſpectu ac ſeria vexatione conjunctis, jucundos de ſe ludos voluptatiſq; materiam Chriſto præberet.

## §. 2.

### *Chriſtum electis ſuis luctum, dolores, anguſtias, hæreditatis nomine reliquiſſe.*

DEnique ad pium ac fructuoſum in malis noſtris ſolatiũ valere poteſt & hæc non vana cogitatio:

Afflictiones atque ærumnas hujus vitæ, eſſe Chriſtianorum patrimonium, & hæreditatem electis ſuis à Chriſto moriente transmiſſam. Pulchrè ſiquidem S. Cyprianus, vel

vel quiſquis eſt autor ſermonis illius de Cœna Domini, fideles appellat Crucifixi hæredes: admonens, ut inter celebranda divina myſteria, inſtar pecudis findentis ungulam, & ruminantis, paſſionem ac mortem Domini in mentem revocémus: ut *ſemper*, inquit, *paſſio ſit in memoria, nec terreant Crucifixi hæredes mortis ſupplicia.* Et verò quid hæreditatis nomine nobis in hoc mundo relinquere potuit Crucifixus, niſi ea bona quæ ipſe poſſedit moriens; nempè ſpinas, clavos & vulnera; dolores, inquam, & opprobria crucis ſuæ? Ut jam appareat, quàm rectè (uti ſuprà vidimus) B. Angela Fulginienſis, ſuos in Chriſto filios, ſpirituali quodam teſtamento hæredes inſtituens, ſic edixerit: *Relinquo vobis totam hæreditatem meam, quæ etiam Chriſti JESU eſt, ſcilicet paupertatem, dolorem & deſpectum, vitam videlicet Chriſti*: illud etiam ſupremùm adijciens; dubitandum non eſſe, quin, qui in hac vita hæreditatem hanc adierint, in futuro ſæculo æternæ vitæ hæreditatem accipiant.

Hæc igitur omnis eſt in præſenti Chriſti ſectatorum hæreditas, egeſtas, dolores, opprobria. Nam his oppoſita, in quibus mundus ita ſe amat, opes ſcilicet, delicias, honores, nec Chriſtus admiſit, nec ſuis promiſit: ſed ea filijs hujus ſæculi, ut partem ipſorum propriam (quando eâ ipſi hæreditate, tametſi damnoſa gaudent & contenti ſunt)
Sap. 2. lubens voléntq; dereliquit. Eorum certè vox illa eſt in Libro Sapientiæ, eo ſe nomine invicem adhortantium, ad fruendum bonis, quæ ſunt: vino pretioſo, unguentis, roſis, &c. atque ad carpendum florem temporis, & ſigna lætitiæ ubique relinquenda: *quoniam* (inquiunt) *hæc eſt pars noſtra, & hæc eſt ſors.* Unde ad ſuos Chriſtus, diverſam, u-
Joann. 16. trorúmq; partem ac ſortem indicans: *Mundus gaudebit* (inquit) *vos autem contriſtabimini.* Et verus Chriſti diſcipulus S. Auguſtinus: *Animadvertat quiſquis delicias hujus ſæculi quærit in nomine Chriſtiano, intrinſecò eſſe beatitudinem noſtram.*

Digitized by Google

*noſtram. Nam extrinſecus maledicta, perſecutiones & detractiones promittuntur: de quibus tamen magna merces eſt in cælis, &c.* Habet quippe Chriſtus Dominus noſter in regno Patris ſui meliorem & manentem ſubſtantiam; in cujus etiam cœleſtis patrimonij partem ijsdem nos tabulis vocamur. Verumtamen, quod Romanis Legibus olim diligenter cautum eſt; ne cui tota delata eſt hæreditas, pro parte hæres eſſe, & pro parte hæreditatem repudiare poſſit: hoc idem obtinet in præſenti; ut niſi eam quæ hic nobis offertur hæreditatis partem adierimus, non poſſimus illam, quæ in cœlo nos manet, cernere, atteſtante hoc Apoſtolo, dum dicit: *Hæredes quidem* DEI, *cohæredes autem Chriſti: ſi tamen compatimur, ut & conglorificemur.* Et facit illa tanquam divini Juris Regula, quam tradit S. Auguſtinus, & alij: *Non poteſt quis hic & in futuro gaudere; ſed unum neceſſe eſt ut perdat, qui alterum voluerit poſſidere.* Juxta ac ſi diceret: non poſſumus pro parte capere hæreditatem Jesu Chriſti, volendo ſcilicet in altero ſæculo cum illo gaudere; & eam pro parte repudiare, nolendo nimirum in hoc ſæculo cum illo dolere: ſed delata nobis ſucceſſio, aut integra nobis adeunda eſt, aut ex toto omittenda. Præſertim autem ſi attendimus, portionem illam hæreditatis cœleſtis, non purè nobis aut abſolutè deferri, ſed eo ſeu modo ſeu conditione adjecta, quam expreſſit Apoſtolus: *Si tamen compatimur, &c.* cùm neque ipſe Dei Filius illam gloriæ hæreditatem, niſi *eo modo* adire potuerit: *Oportuit* (inquit) *pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam.*

*De ſerm. in monte l. 1. c. 5.*

*L. 1. & 2. L. ſi ſolus. ff. de acq. vel om. hær.*

*Rom. 8.*

*Soliloq. c. 21*

*Luc. 24.*

Habes igitur in rebus adverſis, quas multas neceſſe eſt humana in vita, & præſertim piè in Chriſto vivere volentibus, obtingere, quâ animi tui ægritudinem aliqua ex parte ſanare, & te ipſum ſolari cogitatione poſſis. Paupertas premit, dolores ingruunt, ignominiâ appeteris? Atqui hoc proprium Chriſtiani hominis patrimonium eſt, & luculenta

ta hæreditas tibi à Crucifixo delata. At grave, acerbum, inſuetum, atrox, & intolerabile eſt malum quod pateris? Illud igitur aſpicies complecterisq; veluti pretioſum cimelium in amoris pignus, tibi privatim ac propriè à Chriſto moriente relictum. At te miſeriæ, te ærumnæ premunt omnes, ut nemo quiſquam perinde ac tu afflictus oppreſſúsq; videri poſſit? Eſt proinde jam quod tibi gratuler, ut cui, *Gen. 48.* tanquam dilecto præ cæteris (ut olim Joſepho) portio major paternæ hæreditatis obvenerit.

Denique in omni afflictione, ſic cum animo tuo ſtatue: præſentis mali patientiam eſſe quandam velut anticipationem præſumptionémq; hæreditatis cœleſtis: & hanc hæreditatis Crucifixi partem, ſpe reliquæ brevi uſurpandæ, lubens gaudénsq; apprehende.

# CAPUT XX.

## *Duplici ratione oſtenditur, quàm homini juſto charæ eſſe debeant præſentis vitæ tribulationes.*

DUas ſibi affines meditationes illigamus in hoc capite, quæ pium hominem poſſint afflictum erigere, & urgentium malorum nonnihil demitigare acerbitatem. Altera juſtos ipſos conſiderat tanquam pretioſos lapides, quos afflictionum ac tribulationum malleo tundi, exculpi, & variè conformari oporteat, quo demum evadant idonei ad conſtruendam exornandámve Jeruſalem cœleſtem. Altera, ipſas afflictiones ut cœli margaritas aſpicit; quarum pretiũ mundus ignoret, ſed ijs ſolis exploratum ſit, quibus DEUS incerta & occulta ſapientiæ ſuæ manifeſtaverit.

§. I.

## §. I.

### *Electos, ut pretioſos lapides, tunſionibus atq; preſſuris variè conformari & expoliri oportere.*

EX Scriptura divina & Sanctorum Patrum conſenſu compertum eſt: homines Deo acceptos, vivis & electis lapidibus comparari, qui in hac vita tunſionibus afflictionum & preſſuris calamitatum cædendi, quadrandi & expoliendi ſint, ut ex illis denique cœleſtis Jeroſolymæ æterna ædificatio conſurgat. Omiſſis alijs audiatur duntaxat Martyr Ignatius, ita ad Epheſios ſcribens: *JESUS Chriſtus fundavit vos ſupra petram, ceu lapides electos, coaptatos in divinum Patris ædificium, ſublatos in altum per Chriſtum pro nobis crucifixum, ſpiritu ſancto utentes pro perpendiculo, fide ſubvectos, charitate elevatos à terra ad cœlum.* Hæc S. Ignatius. *Epiſt: ad Epheſ.*

Illud nunc conſequenter adijcimus: ſi quos fortè Deus peculiariter ſibi dilectos, ad inſignem aliquem & excellentem gloriæ gradum deſtinet; hos velut lapillos pretioſos divino ſuo diademate inſerendos; vexationum cruciatuúmve ſcalpro, & multiplici tanquam affrictu attritúve, ſtudioſiùs ſcalpere & expolire conſueſſe.

S. Gregorius puellam quandam ſanctam memorat Romulam nomine, quæ ſub idem tempus in Urbe ſub Sanctimonialis habitu, juxta Eccleſiam B. Mariæ cum alijs duabus morabatur: &, ut idem ait, morum quidem divitijs plenam, ſed tamen rebus pauperem vitam ducebant. Ipſa autem Romula, cùm ad reliqua vitæ incommoda, moleſta paralyſis acceſſiſſet, annis pluribus in lectulo jacuit; patientiæ merito Deo in primis chara (ut varijs cœleſtibus ſignis ſub ejus mortem apparuit) mortalibus autem, aut ignota, aut ſanè deſpecta. *Sed latebat.* (inquit S. Gregorius) *in ſterquilinio margarita DEI. Sterquilinium hanc ipſam corruptibilitatem corporis appello; ſterquilinium abjectionem paupertatis* *Hom. 40. in Evang.*

*tatis nomino. Aſſumpta eſt ergo margarita, quæ jacuerat in ſterquilinio, & poſita in cæleſtis Regis ornamento. Jam inter ſupernos cives emicat: jam inter ignitos illos lapides æterni diadematis coruſcat.* Sic Magnus Gregorius, & ante illum S. Paulinus in ea quam ſuprà laudavi ad S. Victricium epiſtola: ubi eum martyrem vivum appellans, rogat, ut velit ſui eſſe memor in gloria, *quando eum* (ut ipſe loquitur) *ut pretioſam diademati ſuo margaritam Rex æternus aptabit.*

Ex quibus id apparet quod dicebamus: quos Deus in mundo grandium malorum patientiâ exerceat, hos eſſe in cœlo inſtar margaritarum aut ardentium carbunculorum, in æterni Regis paludamento aut diademate collucentium: eóq; proinde mirum non eſſe, ſi eos crebris ſcalprorum ictibus exactiùs formari ac perpoliri neceſſe ſit, quò puriores ac ſplendidiores, eóq; cui deſtinantur loco, digni, inveniantur. Atq; hic, ſi placet, ad exemplar noſtrum, Chriſtum crucifixum aſpiciamus: quem utique oportuit, & tan-
*1. Pet. 2.* quam lapidem angularem pretioſum, & primum fundamentum civitatis ſanctæ Jeruſalem, ſive malleorum ictibus tundi & quadrari, ſive flagellorum affrictu plurimo lævigari; & tanquam primæ notæ gemmam, ſolerti atque exqui-
*Iſai. 53.* ſito tormentorum attritu perpoliri: *attritus enim eſt propter ſcelera noſtra.* Nam quod ipſe Chriſtus excellens quædam & nobiliſſima margarita ſit, ex Ambroſio dicimus: *Margarita*
*In feſto S. Luciæ.* *enim* (inquit) *Chriſtus eſt Dominus, quam negotiator ille dives in Evangelio, venditis omnibus rebus ſuis emere feſtinavit, & maluit omnes, quas habebat, ſæculi gemmas amittere, tantùm ut unam Chriſti emeret margaritam.*

## §. 2.

DEmonſtremus nunc (quod erat alterum) ipſas etiam afflictiones & incommoda mortalis vitæ, ex divino judicio Sanctorúmq; ſententia, non aliter quàm ut cœli gemmas unio-

Digitized by Google

unionésq; immenſi pretij, aſpicienda & acceptanda eſſe. Id adeò (ne rei admodum neceſſariæ ignari eſſemus) multis divinitùs luculentisq; documentis oſtenſum eſt.

Narrat Scriptor vitæ S. Dominici de fæmina re & nomine Bona, quæ Romæ in turri juxta portam Lateranenſem ſolitariam degebat vitam, & ſancto Patriarcha in animi ſui rebus libenter utebatur. Huic pectus inſederat malum adeò ſævum & pertinax, ut ei denique ubera tabo defluerent, & innumeris horrendisq; vermibus ſcaterent. Quam illa peſtem, cujus ne aſpectum quidem ferrent alij, adeò non averſabatur, ut vermes, ſi qui exciderent, ſtudiosè recolligere, & in ſinum ſuum reponere ſoleret: ut quorum pretium ipſa probè cognitum haberet. Ergò cùm ad eam die quadam veniſſet S. Dominicus, & morbi mentione injectâ, unum ex his vermibus velut pro magno munere impetrâſſet, eâ tamen lege, ut eum deinde fæminæ reſtitueret; vix ille vermem in manus accepit, cùm ſubitò in gemmam elegantiſſimam converſus eſt. Sed tamen reſtitutus ex promiſſo, (licet id diſſuaderent ſocij) & loco priori redditus, ad priorem etiam formam redijt. Quanquam mox fauſtâ ſancti viri precatione, omni deterſo tabo, & extinctis vermibus, piæ fæminæ pectus ſanitati reſtitutum eſt. *L. 2. c. 14.*

Affine quiddam longè antè S. Simeoni Stylitæ ſeniori contigiſſe legimus. Is enim cùm ab improbo dæmone gravem in femore plagam accepiſſet, idq; vulnus itidem plurimis vermibus ſcaturiret, eos ſubinde humi cadentes, ab Antonio diſcipulo (eo qui Sancti vitam & hæc ipſa ſcripto prodidit) ſeriò jubebat recolligi, receptósq; reſtituebat in locum priſtinum, dicens: *Manducate quod vobis Dominus dedit.* Evenit autem aliquando, ut quidam Saracenorum Princeps Baſilicus nomine, pietatis gratiâ ad Sancti columnam accederet, eodémq; tempore de Sancti corpore vermis unus ad pedes ejus deflueret: quem ille correptum, *Vit. c. 7. & 8.*

cùm venerabundus admoviſſet oculis, repentè advertit commutatum eſſe in margaritam pretioſiſsimam: quo quidem accepto tanquam divino munere, lætus ac majori pietatis ſtudio inflammatus, abſceſſit.

P.3. vit. c.6. Denique B. Lydwinæ poſt annos octo & triginta languoris acerbiſſimi, oſtendit Chriſtus coronam pretioſiſſimam, & mirâ gemmarum varietate ornatam, ſed necdum in orbem prorſus perfectam. Cúmq; illa rogâſſet Dominum, ut ſe per quoſcunque corpuſculi ſui cruciatus iſti coronæ percipiendæ aptaret, & quod ſibi deeſſet, de meritorum ſuorum infinitate ſuppleret: haud longo intervallo ad eam introgreſſi quidam milites, ut erant amentiâ & furore agitati, innocentem Virginem per ſummam licentiam ludibrijs ac verberibus, miris indignísq; modis vexârunt. At ecce tibi mox è cœlo conſolator Angelus, qui afflictiſſimæ Virgini denuntiet, eam coronam quam ſuper imperfectam viderit, uſquequaque perfectam, & orbe toto abſolutam eſſe. Illa quippe ludibria & vulnera fuiſſe velut totidem nobiles gemmas, quæ ad ejus coronæ abſolutionem perfectionémque deſiderabantur. Et ſimile quiddam S. Gertrudi à Chriſto revelatum invenies, in ejus divinis Inſinuationibus, non uno loco. L.3.c.74.&c

## §. 3.

### *Nonnulla ex dictis patientiæ documenta.*

HIs autē ita ſe habentibus: opúſne pluribus eſt, ut intelligatur, quàm nobis imponat rerum iſtarum fallax ſpecies, ut quàm non ex vero de præſentis vitæ ſive commodis, ſive incommodis judicemus? Quotus enim quiſque eſt, qui ærumnarum, morborum, opprobriorum, & ejusmodi rerum nôrit pretium; aut qui eas ut cœleſtes lapillos & pretioſas margaritas adamet, & non potiùs ut duros ſilices refugiat & averſetur?

At

At enim aliter in Crucifixi ſchola inter alios inſtitutus erat, is quem ſuprà laudavi, avidus dolorum opprobriorúmq; venator Juniperus. Cui cùm contumelias ac probra tum alij tum fratres ingererent, quòd ſuis (ut dictitabant) inſanijs ſeſe ſuúmq; Ordinem in contemptum & invidiam vocaret, ſumptâ ille in manus ac protensâ veſtis ſuæ fimbriâ; implete (ajebat lætabundus) implete laciniam hanc pretioſis hiſce margaritis: agitedum, neque dubitetis, quin illas ego ut cœli gemmas & opes immarceſcibiles acceptem. Eadémq; mente ac cogitatione olim S. Martyr Ignatius in epiſtola citata, ea vincula quæ pro Chriſti causâ à Syria Romam uſque circumferret, ſpirituales margaritas appellavit. *Wading. anno 1210. n. 35. & 1258. n. 11.*

Incipe igitur & tu aliquando in Crucifixi ſchola philoſophari, & ex tanti Magiſtri dictatis, alijs jam oculis adverſa hujus vitæ aſpicere, eáq; ſi in te incurrerint, tum æquo animo, tum verò etiam libenti ac gaudenti acceptare. Nam ſi quis profectò (quod per luxum & laſciviam feciſſe fertur neſcio quis Romanus Imperator) ſi quis, inquam, te gemmis margaritíſq; lapidaret: an non pretioſam hanc lapidationem gratulabundus exciperes, & adamantum carbunculorúmq; ictus, etſi nonnihil te pulſarent, non injuriæ loco, ſed beneficij duceres, quin etiam lapidibus hujuſmodi (ut in rem eandem venuſtè ajebat B. Juniperus) Pariſijs Aureliã uſque lapidari velles? Atque (ut aliorum non abſimilis meditatio eſt) ſi denſa de cœlo grando, aut horti tui amœnos flores decuſſerit, aut contuderit vites, aut frugibus tuis calamitatem importaverit: principio ingemiſcas ad eum caſum: at ſi, inexpectatâ converſione, omnem iſtum nimbum in ſummi pretij margaritas transijſſe animadvertas, an non illico exultes ad eam inſperatam felicitatem, & quæcunque fuit, jacturam in lucro ponas? Simillimè igitur ex hujus divinæ Philoſophiæ ſcitis, adverſis in rebus temetipſe conſolabere: eas nimirum, ſi ſuo illas pretio æſtimare noverimus, *Cornel. Roman. 8. Vit. Balt. Alvar. c. 40. §. 1.*

mus, expetendas potiùs & in lucro eſſe deputandas, quòd nihil niſi gemmæ ſunt, quibus nos è cœlo Deus appetit, tum maximè amans, cùm ſuos videtur percutere: neque refugiendos ictus lapidum, qui, ut graves & duri videantur, attamen ſunt pretioſi adamantes, quibus nobis texatur, adornetúrve corona gloriæ, & diadema immortalitatis. Hoc denique habebis certiſſimum ac propè unicum in malis tuis ſolatium; ſi firmè id tibi perſuaſeris, quod à Joanne Thaulero veriſſimè dictum, & hîc à nobis variè expoſitum & inculcatum eſt; *Excellentiſſimum donum, quo DEUS ſuos ſolet munerari amicos, crux eſt & afflictio.*

*Explic. paſſ. c. 13.*

Atque ut his illud per occaſionem attexam, quod fortè legenti novum accidet: etiam tantò antè Beatum Job (cujus ex purulentis ulceribus vermes efferbuiſſe, ſatis conſtans eſt Sanctorum Patrum ſenſus, favente etiam Græco textu Scripturæ) eos ipſos vermes è ſuo corpore defluentes, uti rem ſibi charam ac pretioſam, in locum ſuum reponere ſolitum, non uno autore condiſco. Id enim in primis ſignificant illa laudati Scriptoris Vitæ S. Simeonis, dum de eo ſic loquitur: *At ille ponebat eos ſibi in ipſo vulnere* (vermes ſcilicet ſibi redditos) *ad ſimilitudinem juſti Job, dicens: Manducate, &c.* Expreſſiùs autem antiquiſſimus Tertullianus in libro de patientia his præclaris verbis: *Diſſecabatur Malus* (hoc eſt, diabolus) *cùm Job immundam ulceris ſui redundantiam magnâ æquanimitate diſtringeret; cùm erumpentes beſtiolas inde, in eoſdem ſpecus & paſtus foraminoſæ carnis ludendo revocaret.* Pulchrè autem, *ludendo*, inquit: quia fortibus ac generoſis animis, & præſertim in autorem fidei & conſummatorem Jesum attentiùs aſpicientibus, quaſi ludus ſunt, quæ nos infirmi & imbecilles tanquam impatibilia & intoleranda refugimus, & ad quorum ſolum aſpectum aut cogitatum totis artubus inhorreſcimus.

*Ambr. in pſ. 118.*
*Aug. ſerm. 221. de Tēp.*
*cap. 14.*

CAPUT

# CAPVT XXI.

## *Malorum patientiâ Chriſtianum, velut nummum Regis imagine, ſignari.*

### §. I.

*Chriſtum IESVM fuiſſe nummum à DEO Patre percuſſum.*

ILla porrò in ſuperioribus non ſemel memorata Iſaiæ ſententia, quâ Chriſtum in paſſione deſcribens, illum tanquam à DEO percuſſum conſiderat; hanc etiam nobis cogitationem ingerit, quæ fortè non inutilis videbitur, ad malorum noſtrorum patientiam conſolandam.

Cùm etenim certum ſit è divinis litteris, Chriſtum crucifixum eſſe lytrum & pretium magnum redemptionis noſtræ: eum non immeritò ſpectabimus, velut nummum pretioſum & probatum; quo divinæ juſtitiæ repræſentato, grande illud debitum, quod in primo parente contraxeramus, diſſolutum eſt, atque antiquum nomen expunctum, & vera libertas ac vita æterna mortalibus comparata.

Quod ſi quæras hoc viſo numiſmate: *Cujus eſt imago hæc & ſuperſcriptio?* Reſpondet olim jam Iſaias: *Non eſt ſpecies ei, neq; decor: & vidimus eum, & non erat aſpectus. Et nos putavimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à DEO, & humiliatum.* Habes hîc nummi imaginem, & quâ ille formâ, tum etiam à quo percuſſus ſit. Et hæc eſt ſuperſcriptio ejus. *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum.* *Matth. 22.* *Iſai. 53.*

Nummus hic ut eſſet moneta proba, & æterno Patri ut pretium noſtrum accepta, percuti debuit & ictu crebro tundi divinæ juſtitiæ manu, in incude crucis; & jã non modò ſervi formam accipere, ſed in virum dolorũ & quaſi leproſum configurari. Idémq; rurſum, non leviter aut obſcuris

ſcuris notis, ſed altè omninò, flagrorum, ſpinarum, & (ut ferè uſus eſt in nummis noſtris) ipſâ forma crucis, impreſſus apparuit; & ita ex omni latere percuſſus, ut nulla in eo reperiretur particula, crucis figurâ non inſignita, hoc eſt, doloris aut ignominiæ vacua. Quòd ſi ipſe DEI Unigenitus, qui ſeu formam DEI, ſeu formam hominis in eo ſpectares, totus aurum erat & pretium, attamen validè à DEO Patre percuti debuit, ut iſta paſſionis & crucis tanquam publicâ & legitimâ formâ ſignaretur: quid demum me fiet; aut quantis me putem, & quàm validis afflictionum ictibus, ut debitum in modum configurer, eſſe pulſandum? qui, ferri inſtar, vilis & obſcurus, tum etiam ad typi divini impreſſionem durus ſum; inſuper & aliâ formâ antè percuſſus: mihi ut recudendo reformandóve, eò majore vi, eóq; pluribus ac repetitis percuſſibus opus ſit; dum veteris hominis effigie oppreſsâ & abolitâ penitus, noviſſimi Adam imagine, hoc eſt, JESU Chriſto crucifixo, conſigner. Veluti nos quoque admonet B. Apoſtolus: *ut ſicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cæleſtis.* Sed hoc ipſum modò paulò pluribus exequendum eſt.

*1. Cor. 15.*

## §. 2.

### *Nos quoque, ceu nummos percutiendos; & eadem cum Chriſto imagine ſignandos eſſe.*

QVamobrem ut iſta commentatio, in rem uſúmq; noſtrum transferatur; utile erit quæ ſubjungimus, paulò accuratiùs expendere.

*Primum:* cùm etiam unusquisque noſtrum nummus eſſe debeat, quo cœlum & vita beata comparetur; ſecundùm quod à S. Auguſtino, de Regni cœlorum pretio diſſerente dictum eſt: *Res iſta tantum valet, quantum es tu; te da, & habebis illam:* Et à S. Ignatio Martyre in quadam epiſtola: *Virum pium eſſe numiſma à DEO ſignatum:* etiam

*Serm 64. de Verb. Dom.*

*Ep. ad Magneſ.*

atque etiam videndum eſt, quâ formâ hic noſter nummus percuſſus ſit, & Chriſti an beſtiæ charactere, novi an veteris Adami imagine inſignitus. Niſi enim ſigno Thau, hoc eſt, Chriſti cruce ſignati, niſi tribulationum & paſſionum tolerantiâ ad Crucifixi formam percuſſi aut cuſi erimus; velut adulterini nummi rejecti, in cœleſtes theſauros non inferemur. Quemadmodum enim denarius, regis imaginem habet; ita (ut ait S. Irenæus) quicunque ſalvantur, *Regis imaginem & inſcriptionem accipiunt*; quia nempè fiunt conformes imaginis Filij Dei, unâ ſcilicet formâ & eadem imagine ſignati, iſtic per gloriam, hîc per malorum patientiam. *L. 4. c. 70.*

Quod proinde animo probè comprehenſum habens Apoſtolus, id præſertim ſatagebat, ut cognoſceret (ſeu experiretur) ſocietatem paſſionum illius, *configuratus morti ejus*: quod quid eſt aliud, niſi eandem cum Chriſto patiente ac moriente figuram ſuſcipere, & tanquam nummos conformes eâdem formâ percuſſos eſſe. Quibus conſentaneè in Lucam ſcribens S. Ambroſius: *Non mediocris eſt iſte denarius*, inquit, *quo regis imago formatur, qui trophæum habet Imperatoris expreſſum.* Trophæum quippe Imperatoris noſtri, crux eſt; quâ ſignandi ſumus, ut denarij probabiles, ac Deo accepti inveniamur. *Philipp. 3.* *L. 6. in Luc. c. 7.*

At expreſſiſſimè in rem præſentem S. Paulinus; dum Sanctos ait eſſe aurum ignitum Deo; *quia videlicet* (inquit) *eos per examina paſſionum in hujus mundi fornace conflatos, invenit* (*ut ſcriptum eſt*) *dignos ſe*; *& in his ſacram imaginis ſuæ percuſſit monetam.* Eosdémq; ipſos ſubdit à Deo conſtitutos tanquam numularios ſeu monetarios; *ut ſecundùm ſuam formam probabiles Domino cuderent nummos, & abolitâ de nobis figurâ Cæſaris, vivum Regis æterni numiſma ſignarent.* Sic ille. *Ep. 4. ad Sever.*

*Secundum:* Quapropter cùm quid tibi grave ac perpeſſu aſperum inciderit: aſſurge animo, & adverſus omnem

malorum vim, temetipſum aliquâ ejuſmodi meditatione confirma. Nummus es, quo cœlum emendum eſt, & beata illa æternitas comparanda. Tundendus eſt nummus, ut regiam in ſe imaginem, & ab hac pretium, dignitatem, atque æſtimationem accipiat. Quid percutientis manum refugis, pretium futurus æternitatis? Percutit te Deus: ſed ita nempe neceſſe eſt, quò tibi, dilecti Filij ſui ſignum imprimat, quò te ad ejus imaginem conformet, quò ipſius in te lineamenta atque figuram recognoſcat, atque eo demum te, ut monetam legitimam, & cui pretium & uſus in cœlo ſit, libenter recipiat. *Flagellat enim omnem filium, quem recipit.* (Hebr. 12.)

*Poſtremum:* Proinde & illud Eccleſiaſtici præceptum, quo nos ad conſtantem malorum patientiam hortatur, in hunc ipſum ſenſum commodè licebit accipere. *Suſtine*, inquit, *ſuſtentationes* DEI: *coniungere* DEO, *& ſuſtine, ut creſcat in noviſſimo vita tua. Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe; & in dolore ſuſtine, & in humilitate tua patientiam habe: quoniam in igne probatur aurum & argentum, homines verò receptibiles in camino humiliationis.* (Eccli. 2.) Quâ quidem gravi & ſeriâ conduplicatione, perinde facere videtur, acſi diceret: Vis eſſe homo receptibilis, aurum probatum, moneta cœlo & Deo digna? *Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe;* ignem, ferrum, malleum, dolores, angores, afflictiones ſuſtine. His enim oportet hominem excoqui; his percuti, tundi; hiſce formari, ut morti configuratus Salvatoris, evadat moneta æternitatis.

O Domine! paratum cor meum, paratum corpus meum. En adſum, tunde me, quando ita convenit; & ſuper incude crucis tuæ poſitum, quacunque me voles formâ percute. *Etenim* (ut ait quidam ſervorum tuorum) *dummodo tandem ad portum ſalutis perveniam: quid curæ eſt, quæ & quanta paſſus fuero?* (De imitat. Chr. l. 3. c. 57.)

Capvt

# CAPUT XXII.

## *Electos DEI in torculari paſſionum cum Chriſto premi atq; calcari oportere.*

JUvabit & iſta conſideratio, ad fortem malorum, imo & placidam hilarémq; patientiam, Salvatoris exemplo condiſcendam. Eáq; propter neq; prætermittenda viſa eſt, neq; indiligenter exponenda.

### §. I.

*Chriſtum inſtar botri in cruce compreſſum, expreſſúmq; fuiſſe.*

CIrca quod inprimis conſiderabis, Chriſtum Dominum ex Patrum mente, ſub botri imagine in ſcripturis ſanctis repræſentari. Et ſponſam quidem videmus in divino Cantico dilectum ſuum Botro Cypri in vineis Engaddi comparare. Quod tamen plerique Interpretes, non ad uvæ racemum, ſed ſive ad dactylos racematim è palma dependentes, ſive etiam aliorſum referunt. *Cant. 1.*

Communior autem eſt atque expreſſa Patrum traditio, Chriſtum Dominum ex botro ſignari, qui Numerorum 13. de terra promiſſa ab exploratoribus delatus eſt. *Botrus ſiquidem in vecte* (inquit Hugo de S. Victore) *Chriſtus in cruce eſt.* Et longè antea S. Paulinus, Chriſtum dicit eſſe illum dulcem botrum, *qui in crucis vecte ſuſpenſus, de terra repromiſſionis & fructum nobis oſtendit, & guſtum dedit.* Eleganter autem S. Auguſtinus: *Dictus eſt*, inquit, *& Dominus botrus uvæ, quem ligno ſuſpenſum de terra promiſſionis, tanquam crucifixum attulerunt.* Pulchrè enim iſte S. Doctor, in illo vecte cum uva ex eo dependente, crucis quandam ſpeciem agnoſcit. Cujus item rei allegoriam pluribus & ſcitè in ſermone quodam exponit B. Ambroſius, iſtud quod dicimus veluti confeſſum ſupponens: *Nam botrus* (inquit) *in pha-* *L. 1. de Sacram. p. 10. c. 7.* *Ep. 3. ad Sever.* *In pſal. 8.* *Serm. 18.*

*langa ſuſpenſus, in cruce Chriſtus appenſus oſtenditur.* Qua de re plura Jacobus Pintus L. 1. de Chriſto crucifixo.

Secundo loco conſiderabis, divinum hunc botrum, ex eorundem Sanctorum Patrum ſententia, in crucis torculari preſſum atque expreſſum fuiſſe; ut exinde nobis, non modò pretium redemptionis efflueret, ſed etiam calix ſalutaris, præclarus atque inebrians, & ſancti amoris ac lætitiæ muſtum, redundaret. Nam uti præclarè S. Auguſtinus: *Primus botrus in torculari preſſus eſt Chriſtus. Cùm ille botrus in paſſione expreſſus eſt, manavit illud, unde calix inebrians, quàm præclarus eſt.* Et alio in loco: *Calicem ſalutaris* (inquit) *& vinum lætitiæ, de illa ſpiritali uva nobis prælum crucis expreſſit.* Quod etiam priùs uſurpârat Origenes; dum de potu cœleſti, quem Chriſtus propinat in Sacramento, loquens: *Eſt ſanguis* (ait) *uvæ illius, quæ miſſa in torcular paſſionis, protulit potum hunc.* Quibus conſonans S. Ambroſius de Sanctorum Martyrum inter tormenta fortitudine agens; ait id eſſe, *Vinum planè ſpirituale, de illa uva, quæ pro ſalute omnium pependit in ligno, expreſſum.*

*In pſ. 55.* — *Serm. 100. de temp.* — *Tract. 35. in Matth.* — *ſerm. cit.*

Nec refert, quòd ipſe Redemptor dicatur hoc torcular calcâſſe: unde etiam veſtem habeat aſperſam ſanguine. Quia ſicuti crux ipſa & vitis eſt, in qua ille pependit, & torcular in quo expreſſus eſt: ita ipſe ſimul uva eſt, & calcator uvæ; quia ſponte ſuâ ſeſe ſubjecit illi preſſuræ. Quemadmodũ idem & ſacerdos eſt & victima, in quantum oblatus eſt quia ipſe voluit, & ſic ſemetipſum in ara crucis immolavit.

*Iſai. 63.* — *Apoc. 19.*

## §. 2.

### *Mira efficacia muſti, de Crucifixi prælis exæſtuantis.*

DEmum juvabit conſiderare ſanguinis aut ſucci illius uvæ potentiam, & præclarum in ſanctis animabus effectum: quæ ſcilicet hoc muſto ebriæ, ſeu ardenti Chriſti crucifixi amore correptæ, ita ſubinde videntur alienatæ ſenſibus

bus, ut neque jam ſe ipſas ſentiant, neque quæ circa ſe gerantur intelligant, ſed ſoli Amori ſuo crucifixo intendant, exultantes in DEO JESU ſuo. Rectè quippe Gillebertus Abbas, is qui S. Bernardi continuavit Cantici Canticorum expoſitionem: *Muſti* (inquit) *præfert amor inſigne, quod nativitatis ſuæ fervore quodam, & velut ætatis laſciviâ, excreſcit & ſuperfluit.* Quare velut ij, qui ſeſe pluſculum invitârunt, & vino nimio incaluêre, incuſſa verbera aut plagas illatas jam non ſentiunt; ſecundùm quod etiam temulentus quidam ita loquens inducitur in Proverbijs Salomonis: *Vulneraverunt me, ſed non dolui; traxerunt me, & non ſenſi:* ita qui muſto divini amoris (quod præſertim in crucis torcularibus exæſtuat) capti, ſaucij, atque ab ſeſe abalienati ſunt, ſi quid incommodum, aſperum, cruciabile dilecti causâ ſubeundum occurrerit, id illi quidem perinde ſuſcipiunt & ſufferunt, acſi omni malorum ſenſu carerent, & horum ipſos nulla tangeret offenſio.

*Serm. 19. in Cant.*

*Prov. 23.*

Quod tum quidem in ſanctis alijs, tum potiſſimùm in Martyribus cerni licet: qui illo crucis charitatiſq; mero guſtato, uſque adeò ſpiritali illâ ebrietate correpti atque occupati fuerunt, ut omnia pro Chriſto tyrannorum tormenta contemnerent, in illis exultarent, illa neque ſentire ſe dicerent. *Putatis enim fratres mei* (verba ſunt S. Auguſtini) *omnes illos, qui confitendo Chriſtum mori voluerunt, ſobrios fuiſſe? Uſq; adeò ebrij erant, ut ſuos non agnoſcerent. Omnes propinqui, qui eos à ſpe cæleſtium præmiorum terrenis blandimentis avertere moliti ſunt, non ſunt agniti, non ſunt auditi ab ebrijs. Non erant ebrij, quibus mutatum cor erat, quorum mens alienata erat ab hoc ſæculo?* Idémq; alibi: *Quo ſpirituali mero calebant Martyres* (inquit) *abijcientes, & poſt ſe jactantes omnia ſæculi blandimenta, ibant ad paſſionem, obliviſcentes facultates & affectiones, patrimonia & matrimonia ſua;* negligentes nimirum (ut ibi deinde magis explicat)

*In pſ. 74.*

*Serm. 185. de temp.*

Parvu-

parvulorum pignorum pietatem, parentes vociferantes & mittentes pulverem in capita ſua, conjuges avulſis crinibus facies ſuas dilacerantes. *Sed illi hæc omnia* (ſubdit) *tanquam ebrij non videbant, nec agnoſcebant ſuos.*

Et ſanè rem iſtam hujus ſæculi ſenſu penſando; annon ebrius & muſto plenus erat S. Andreas, dum quaſi alienatus ſenſibus, crucem quam homines ita exhorrent, veluti ſponſam ſpecioſiſſimam ac deſideratiſſimam amplexabatur? Annon muſto plenus S. Laurentius, dum in ipſo poſitus ardore & horrore ſupplicij, ludibundus tyranno inſultat, atq; (ut *Tract. 27. in Joann.* nominatim de eo S. Auguſtinus) *tanquam illo calice ebrius, tormenta non ſentit.*

Verùm de his quoque, qui citra martyrium, pro amore Chriſti hujus vitæ aſpera dilexêre, idem S. Pater in ſermo- *Serm: 189. cit.* ne antea citato ita loquitur: *Hoc itaque muſto ſpirituales animæ inebriatæ & penitus commutatæ, abſtinentiam delicijs, vigilias dulcibus ſomnis, paupertatem divitijs anteponunt.* Ut *cap: 2.* proinde meritò S. Bonaventura in Incendio Amoris, ſanctam animæ ebrietatem deſcribens, eam dicat in eo conſiſtere; quòd quis tanto amore diligat Deum, *ut non ſolùm faſtidiat omne ſolatium terrenum, ſed etiam delectetur & quærat tormenta pro ſolatio; & amore illius quem diligit, delectetur in pœnis, opprobrijs & flagellis.*

## §. 3.

### *Simili modo nos & botros eſſe, & in afflictionum torculari premi & calcari debere.*

VErumtamen, uti Salvator noſter botrus fuit, quo in paſſionum torculari preſſo atque calcato, nobis præclarus calix profluxit, ad robur animæ ac delicias ſpiritales: ita nos viciſſim & botri eſſe, & adverſitatum ac paſſionum prælo comprimi, & de nobis Chriſto merum ſuave, grataq; pocula ſcilicet præbere debemus. Sic enim etiam diſertè

S. Au-

S. Auguſtinus; omnes quidem homines in hac vita, botrorum inſtar, in torcularibus & tentationum preſſuris eſſe; ſed præcipuè electos Dei, de quibus quodam loco ita loquitur: *Sic ſunt & homines, quos prædeſtinavit ante ſæcula conformes fieri imaginis Filij ſui; qui præcipuè in paſſione magnus botrus expreſſus eſt.* Quem etiam dum alibi ait primum botrum in paſſione expreſſum fuiſſe; apertè indicat, etiam reliquos ejusdem vineæ ſpiritalis minores botros, eidem prælo ſubijciendos, eodem torculari premendos; quod mox expreſſiùs ex eodem S. Auguſtino dicemus. In quam itidem ſententiam S. Cyprianus ad SS. Martyres & Confeſſores in vinculis diſtentos ſcribens, eos hujusmodi oratione ſolatur: *Vos de Domini vinea pingues racemi, & jam maturis fructibus botri, preſſura ſæcularis infeſtatione calcati, torcular veſtrum carcere torquente ſentitis; vini vice ſanguinem funditis.* Quibus quidem ad id alludi videtur, quòd Chriſtus ipſe ſuis denunciavit diſcipulis: *In mundo preſſuram habebitis;* quod utiq; uvarum proprium eſt, inter anguſtias torcularis occupatarum.

*In pſ. 83.*

*Ep. 16.*

*Joann. 16.*

Quapropter etiam veteres nonnulli Cantici Canticorum interpretes (& nominatim Honorius apud Delrio) ad illa verba capitis 7. *Statura tua aſſimilata eſt palmæ, & ubera tua botris;* botrorum nomine ſanctos Martyres intelligunt, qui veluti botri preſſi ſunt multis paſſionibus: addúntque perpulchrè Virginis Dei Matris ubera, eò rectè botris aſſimilari; quòd non minùs ipſa meruerit fundendo lac de uberibus ad filij ſui nutrimentum, quàm SS. Martyres meruerint fundendo pro Chriſti ſanguine ſuum: ob magnam ſcilicet charitatem, quâ Virgo beatiſſima maternum id munus exequebatur. Quicunq; igitur ad vitam illam Evangelicam, hoc eſt, ad ipſum Chriſtum, pertinemus, non modò nos illius palmites, ſed & botros eſſe exiſtimabimus, eóq; nomine nos tanquam prælo atque preſſuræ deſtinatos;

*Joann. 15.*

multis

multis inquam tentationibus, vexationibus, anguſtijs premendos & conculcandos, continuè meminerimus: uti modò magis explicabitur.

## §. 4.

### *Commentationis jam propoſitæ fructus nonnulli colliguntur.*

NUnc verò, mi Lector, ne ab hac quaſi vindemia, nullo guſtato aut percepto fructu diſcedas; paucula hæc hilaris patientiæ præcepta, ex hactenus dictis pro more noſtro decerpta, in uſus tuos familiares accipe.

*Primum*: Ubi iſtam perſuaſionem imbiberis animo, nihil cauſæ jam fore, quòd percellaris aut commovearis admodum, ſi fortè te vexent, affligant ac conculcent homines, aut ſi varijs caſibus tentationibúſve preſſeris: quaſi novi aliquid (ut in re ſimili loquitur Apoſtolus Petrus) ſive peregrinum aut inſolens quiddam tibi contingat. Hoc enim jam, ſi non expetere, at ſaltem expectare debueras. Quippe qui ad hoc Chriſtianus factus ſis, & ad hoc præſertim divino dedicatus obſequio, ut ipſius Chriſti primi ac magni botri exemplo, inſtar dulcis uvæ, varijs preſſuris vexeris, atque in liquorem Domino ſuavem vertaris.

*1. Pet. 4.*

Qua de re audi egregiè philoſophantem S. Auguſtinū; dum ſcilicet in pſalmum 55. ſcribens, & in primis illius verbis: *Miſerere mei DEUS, quoniam conculcavit me homo*; vocem hominis Chriſtiani in torculari poſiti, & in ipſa preſſura aut calcatura ingemiſcentis agnoſcens: *Noli timere* (inquit) *quia conculcavit te homo. Vinum habeto: uva factus es, ut calceris.* Et poſt pauca: *ſi putas te non habere tribulationem, nondum cœpiſti eſſe Chriſtianus. Ingreſſus es torcular; præpara te ad preſſuram*, &c. Atque mox eundem animoſiorem factum conſpiciens, atque audiens jam cantantem: *Non timebo quid faciat mihi homo: Tu paulò ante dixiſti* (in-

ſit)

*ſit) conculcavit me, tribulavit me. Nihil faciet, cùm iſta faciat?* Verùm cauſam hujus commutationis ſtatim proferens: *Reſpexit* (inquit) *ad vinum, quod manat de calcatura. Et reſpondit: planè conculcavit, planè tribulavit. Sed quid mihi faciet! Uva eram, vinum ero.* Hæc ſcitè S. Auguſtinus.

*Alterum:* Quin potiùs ex hoc ipſo debes magnam ſolatij cauſam & argumentum capere; quòd hac ratione dignus habearis, qui pars ſis cœleſtis vindemiæ, & ſive in calcatorium, ſive in torcular premendus inferaris. Sicut enim (quod jam ex S. Cypriano vidimus) non uvæ acerbæ & immaturæ, ſed *pingues racemi & maturis fructibus botri*, preſſuræ & vino conficiendo deſtinantur: ita ſi quis calcetur atque prematur in prælo crucis & torculari tribulationum, atque in his conſtans animoſusq; perſeveret; hinc meritò argumentum ſumas virtutis maturæ, & calore divino charitatis, ad quandam cœleſtis ſaporis ſuavitatem, excoctæ. Hinc enim illud eſt Raphaëlis Angeli ad S. Tobiam: *Quia acceptus eras DEO, neceſſe fuit, ut tentatio probaret te.* quaſi diceret in rem præſentem: Quia jam maturus & DEO dulcis botrus eras, oportuit te premi in tentationum torculari. *Tob. 12.*

*Tertium:* Hinc autem magna tibi exiſtet, non ſolatij modò, verùm etiam ſanctæ hilaritatis atque exultationis in quibusvis adverſis occaſio; id ſcilicet tecum reputanti: incommoda omnia, adverſa, acerba hujus ſæculi, aliud non eſſe, niſi uvæ DEO dignæ preſſuram: qua ex preſſura liquor defluat ori divino gratiſſimus, & (Scripturæ phraſi) lætificans DEUM & homines. Etenim quod mellifluus dixit Bernardus: lacrymas pœnitentium vinum eſſe & delicias Angelorum; id nos eouſq; poſſumus extendere: ut ſive Martyrum ſanguinem, ſive Confeſſorum ſanctos ſudores ac paſſiones, vinum eſſe dicamus ipſi divinitati jucundiſſimum. Ad quod proinde deguſtandum dilectum ſuum blandè invitat S. Eccleſia: *Dabo tibi* (inquiens) *poculum ex vino condito, & mu-* *Judic. 9.* *Serm. 68. in Cant.* *Cant. 8.*



Digitized by Google

*ſtum malorum granatorum meorum.* Nimirum de tormentis Martyrum, (qui, teſte Magno Gregorio, per mala punica ſignantur) aliorúmq; Sanctorum tribulationibus & paſſionibus, expreſſum. *Omnis enim patientia dulcis eſt DEO;* ut poſtea rurſum cum Auguſtino dicemus.

*Greg. ibid.*

Quemadmodum igitur generoſus Martyr S. Ignatius, eò ſe ſolabatur in tormentis, quòd ſe Chriſti frumentum reputaret, beſtiarum dentibus utique commolendum, ut panis delicatus & Dei menſâ dignus evaderet: ita ad malorum tuorum ſenſum deliniendum juvabit, te ipſum ut Chriſti botrum aſpicere, quem eò calcari atque comprimi oporteat, ut potus de te exprimatur divino palato acceptus. Ut enim huc denique transferam, quod in non diſſimili argumento S. Ambroſius: *Quanta Domini gratia* (inquit) *ut nos in ſuo ore conſtituat, & quaſdam meritorum noſtrorum epuletur dapes, ac, ſi mereamur, devoret, ſi noſtri cibi ſuavitatibus delectetur! Beatus, quem Sapientia devoraverit;* & quæ ſequuntur.

*Serm: 18. in pſ. 118.*

Ad extremum libet hoc loco in memoriam revocare noſtræ Societatis hominibus, paternum illud B. P. Franciſci Borgiæ monitum in ſua quadam epiſtola: ubi ſimilem figuram uſurpans, cùm Societatem noſtram vineæ comparâſſet, extendenti (ut in pſalmo dicitur) palmites ſuos uſquè ad mare; illúdq; dixiſſet, ut vinum ex ea copioſum effluat, oportere uvas (quæ nos ſumus) in torcular inijci atque calcari; hæc deinde ſubijcit: *Hoc forſan nobis, fratres chariſſimi, deeſt, quòd non guſtemus, neque cum voluptatis ſenſu optemus, calcari, premi, contemni, ut optatæ conſolationis & exultationis vinum proferamus.* Tum ad Chriſti exemplum provocans: *Meminerimus* (ſubijcit) *Chriſtum dixiſſe: Torcular calcavi ſolus. Quis jam calcari recuſabit, cùm videat in torculari Chriſtum premi?* Hæc & plura ibidem.

*Ep. de med. conſerv.*

CAPVT

# Caput XXIII.

## Homines juſtos, per paſſionum tolerantiam, in quadam Chriſti crucifixi ſimulacra, exactè elaborari.

### §. I.

*Ejus conſiderationis fundamentum ac ratio proponitur.*

Conſiderationi huic anſam videntur præbere non ſemel laudata Apoſtoli verba ad Romanos 8. capite; ubi variè exhortans fideles ad paſſionum tolerantiam, cùm illud inter cætera dixiſſet: *Diligentibus DEUM, omnia* (hoc eſt, afflictiones omnes, de quibus propriè erat ſermo) *cooperantur in bonum*; ejus velut quandam rationem adferre volens: *Nam quos præſcivit*, inquit (ſive quos ſpecialiter prædilexit Deus) hos *& prædeſtinavit, conformes fieri imaginis filij ſui:* ad hoc ſcilicet, ut electi omnes (prout etiam antè diximus) ad Filij Dei ſimilitudinem conformentur; primùm in laborum dolorúmq; patientia, ac deinde in regno ac gloria cœleſti. Habemus igitur ex Apoſtoli mente Jesum afflictum atque deſpectum, inſtar eſſe exemplaris ac prototypi, cui nos in hac vita oporteat, tanquam exempla atque ectypa, per paſſionum experientiam ac tolerantiam configurari. Et quoniam paſſionum nomen magis malleum ſcalprúmve, quàm pictoris colores aut penicillum ſubjicit animo; rectè ac conſequenter hic ponimus, nos imaginis Filij Dei ſimilitudinem, non tam ut coloribus expreſſas imagines, quàm ut quædam opere ſtatuario expreſſa ſigilla repræſentare debere.

Sanè & ipſe Archetypus noſter Dei Filius, qui in forma Dei eſt figura, character, & velut exſculpta imago ſub- *Hebr. 1.*

 ſtan-

Digitized by Google

ſtantiæ ejus; etiam in forma ſervi, inſtar ſimulacri à Deo Patre figurati aſpiciendus eſt. Quod præſertim paſſionis tempore cognoſcere licuit; quando grandibus & crebris tormentorum ictibus ab artifice Deo percuſſus, & tantùm
Iſai. 53. non contritus eſt (*voluit* enim *Dominus conterere eum in infirmitate*) dum exactè denique transfiguraretur in virum dolorum, & ille exiſteret divinæ artis princeps labor, & opus, ſi quod unquam exiſtit accuratiſſimum, abſolutiſſimum, ſpectatiſſimum, nimirum Deus crucifixus. In cujus operis perfectionem olim ſe ſtudium adhibiturum per Zachariam
Zach. 3. appromiſerat, dicens: *Ecce ego calabo ſculpturam ejus;* vel (ut Aquila vertit) *ego ſculpam aperturam ejus;* lapidis nimirum, qui Prophetæ objectus fuerat, & quo, ex communi Interpretum ſententia, ipſe Chriſtus repræſentabatur. *Et eſt ſenſus* (inquit S. Hieronymus) *iſtum lapidem clavis crucis, & lanceâ militis faciam vulnerari.* Itaque myſticus ille lapis, multiplici ſtudio & arte variâ, attritus eſt flagris, inſcriptus vibicibus, confixus ſpinis, clavis perfoſſus, compunctus lanceâ; quò in eam evaderet, quam artifex Deus mente deſignaverat imaginem, & in ſimulachrum Archetypum, quod nobis ad imitandum proponeret, & cui nos, quàm proximè poſſemus, aſſimilari & conformari vellet.

§. 2.

*Conſiderationis expoſitæ, in acerbis rebus, utilitas.*

QVod igitur ex his conſequens eſt: Dei ſervus, dum aliqua corporis animíve ægritudine premitur, ita ſubinde ſecum ſtatuet, atque (ut arbitror) non ſine operæ pretio. Eſſe ſe in manu divini artificis, inſtar rudis & informis materiæ, in Chriſti patientis ſimulacrum excalpendæ ac figurandæ; aut ſanè veluti inchoatam jam ipſius Crucifixi imaginem, cui (prout quiſque magis minúſve perfectus eſt) adhuc multum operæ atque laboris adhibendum ſit, dum ex digni-

dignitate elaboretur ad ſui exemplaris ſimilitudinem (hoc eſt, ut alibi loquitur Sanctus Apoſtolus) *donec formetur Chriſtus in nobis.* Ipſum porrò ſculptorem alium non eſſe quàm Amorem divinum, præſtantem illum in omni genere artificem; qui afflictionum malleo & ſcalpro dolorum, nos tundat, ſcalpat, radat, conformet, expoliat; ídque eò accuratiùs impenſiúsve, quò quemq; magis ea in parte perficere, ſive ad majorem divini exempli ſimilitudinem adducere, inſtituit. Sic quippe etiam S. Papa Gregorius, de ſuprà à nobis memorata Sancta Romula, ſed alio in loco agens, apertè declarat, DEUM inſtar ſummi opificis, afflictionum ceu ſcalprorum ictibus, eos etiam, qui perfecti videantur, tundere, ut ad imaginis divinæ ſimilitudinem magis magisq; perficiantur. Verba ejus ſunt iſta: *Sed quia plerumque, hi quos jam homines perfectos æſtimant, adhuc in oculis ſummi Opificis aliquid imperfectionis habent; ſicut ſæpe imperiti homines nondum perfectè ſculpta ſigilla conſpicimus, & jam quaſi perfecta laudamus, quæ tamen adhuc artifex conſiderat & limat, laudari jam audit, & tamen ea tundere meliorando non deſinit: hæc quam prædiximus Romula, ea, quam græco vocabulo medici paralyſin vocant, moleſtiâ corporali percuſſa eſt*, &c. Vides hic ſupremum Opificem, homines velut ſigilla nondum perfectè ſculpta, morbis & afflictionibus velut tunſionibus ac percuſſionibus limare, donec eos perfectè conformet, atque (quemadmodum dicere cœpimus) ad exactam illam viri dolorum, filij inquam ſui, à ſe percuſſi & humiliati, ſimilitudinem adducat. Hinc igitur ajo, poſſe noſtrûm quemlibet, dum vel maximè rebus adverſis urgetur, conſolandi ſui non leve argumentum ſumere, ſi tacitâ ſecum cogitatione ita diſputet: Ægritudo iſta, hic morbus, hæc vexatio, ictus eſt mallei divini Amoris, volentis me ſenſim effingere & conformare ad imaginem Domini mei crucifixi. Et heu! quantis adhuc tunſionibus

*Gal. 4.*

*L. 4. dialog. c. 15.*

bus & ſcalpturis opus eſt, ſi eò denique adducendus ſum, ut etiam rudis tanti exemplaris effigies, atque imperfectum ſimulacrum exiſtam! At nimirum hoc ipſum tanti eſt, ut vel eâ causâ, nihil quamlibet durum atque acerbum ſit refugiendum. Hîc igitur tunde, DEUS, hîc ſeca. Configuremur nunc imagini viri dolorum, ut in eandem cum illo imaginem poſtea transformemur in gloria.

Ex his porrò, quæ per plura capita, quadam argumenti connexione, diſputata ſunt, facilè erit animadvertere; vox una Prophetæ Evangelici, quâ Chriſtum à DEO percuſſum dixit, quàm variam nobis piæ commentationis ſilvam ſuggerat, ad exaggeratæ inter quævis adverſa patientiæ, ex Domini noſtri imitatione, informationem. Quippe cùm ſecundùm iſtud exemplar, nos quoque (uti dicebamus) percuti, tundi, incidi oporteat; ſive ut lapides, cœleſti deſtinatos ædificio; ſive ut adamantes, divinæ coronæ inſerendos; ſive ut nummos, futuros æternitatis pretium; ſive ut botros, dulcem DEO laticem propinaturos; ſive ut marmora, in Crucifixi figuranda effigiem; ſive (quod extremum proximo capiti reſervavimus) ut citharas quasdam, ipſo percuſſu, ſanequam ſuavem Deóq; jucundam harmoniam elaboraturas.

# CAPUT XXIV.

## *Chriſtianam in adverſis patientiam, harmoniam eſſe divinis auribus jucundiſſimam.*

### §. I.

*Chriſtus crucifixus, cithara Patris.*

ATque ut ſuſceptæ commentationi id tanquam fundamentum præſtruam: video ſanctis Doctoribus familiarem

Digitized by Google

liarem atque jucundam eam cogitationem fuiſſe, ut vel Chriſtum in cruce diſtentum, vel ipſam crucem cum Chriſto in ea extenſo, veluti divinam quandam citharam aſpicerent, cujus ſonus & DEUM oblectet, & malignos ſpiritus fuget, & homines ad ipſius amorem imitationémq; convertat. Inprimis enim S. Auguſtinus in illa verba pſalmi 56. *Exurge pſalterium & citharam*, ait: carnem Chriſti humana patientem, citharam eſſe; cujus ſuavem harmoniam inſonuiſſe præſertim, dum in paſſione percuteretur, ſatis indicat, dum ſubdit: *Sonet cithara, teneatur, flagelletur, irrideatur, crucifigatur.* Expreſſiùs autem B. Proſper: *Si* (inquit) *Chriſti Domini citharam reſpicias perſonantem; quam ligno crucis, carnis membrorúmq; ſuorum chordis aptatam, plectro dum tangit ſancti Spiritûs, ipſum quoque diabolum fugavit de cordibus inimicorum, pro quibus in cruce ſuavem illum ſonum protulit, dicens: Pater ignoſce illis.* Quam etiam allegoriæ rationem in Davidica cithara, figuram crucis Chriſti per lignum & chordarum extenſionem (ut ipſe ait) myſticè gerente, obſervat Hugo de S. Victore: itémq; Thaulerus, in explicatione Dominicæ paſſionis, his verbis: *Vide, Pater amantiſſime, Filium tuum totum in crucis cithara extenſum, cunctiſq; membris ſuis te benedicentem. Jam planè fidelis David citharam corporis ſui maximè intendit, ſuaviſſimam tibi edens melodiam, & gratiſſimam, qua unquam tibi cantata ſit, concinens cantionem; Pater* (*inquiens*) *ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.* Poſtremò & expreſſè admodum S. Bernardus libro de Paſſione Domini cap: 8. ubi animam, *Chriſti ſponſam, alloquens*, eundem citharæ heptachordæ comparat in hæc verba: *Cithara* (inquit) *tibi factus eſt Sponſus; cruce habente formam ligni, corpore autem vicem ſupplente chordarum, per ligni planitiem extenſarum. Nam niſi ligno affigeretur, neutiquam verborum ſonum ederet tanquam citharizans, quibus ampliùs delectareris. Septem chordas*

*De prom. p. 2. c. 25.*

*Alleg. l. 6. c. 2.*

*cap. 16.*

*das* (ſubdit) *habet citham:* & quæ ſequuntur. Pergit enim pluribus per totidem capita, ſeptem verba à Chriſto in cruce prolata, tanquam ſeptem illius divinæ citharæ chordas conſiderare. Horum igitur Sanctorum mente ac diſciplinâ informatus; inprimis inter dolorum tuorum morſus ac ſenſus acerrimos, ad Chriſti in cruce ſuffixi, miſerabilem effigiem (quæ ſimiles in uſus penes te ſit) per intervalla refer oculos, & modulorum ejus citharæ divinâ ſuavitate, malorum tuorum acerbitatem autfallere, aut mitigare conſueſce. Intuere attento lumine concinnum illud divinitatis organum; ejus membra omnia articulóſq; ſingulos penſiculatiùs contemplare. Aſpice, ut illius chordæ, hoc eſt, ſanctiſsimi ejus corporis nervi, clavorum ope, aptè extenti diſtentiq; ſint, & ad perfectum concentum harmoniámq; compoſiti. Attende perfoſsi lateris apertum vulnus, quod roſæ inſtar, eruditæ manûs artificio elaboratæ (prout in teſtudine aſſolet) tanquam organi medium obtinet, ad gratam quandam melodiæ, eo repercuſſu, temperationem. Verùm quàm peritus tangendi artifex æternus Pater, qui dexteræ ſuæ digito, id eſt Spiritu Sancto, divini hujus inſtrumenti nervos percutit, & fides ſolicitat, uti & illâ ſeſe jucundiſsimâ harmoniâ, filij inquam ſui, tot inter cruces & acerbitates, compoſitiſsimâ ſuaviſsimáq; patientiâ, reliquarúmq; ejus virtutum contemperatione & quaſi concentu, oblectet; animóſq; noſtros divinorum illorum modorum ſuavitate captos trahat ad ſeſe, & imitandi (quoad ejus fieri poterit) cupiditate incendat.

Porrò divinum melos, quod in crucis ligno diſtentus & percuſſus à Deo Chriſtus edidit; vel ille eſt virtutum in Chriſto tanquam concentus, & inter tormenta animi moderatio, & (ut ita dicam) modulatiſsima æquabilitas; vel, quod S. Bernardo placere vidimus, ſeptem extremæ Chriſti voces; quas veluti ſeptem vocum diſcrimina, totidem ci-

thara

tharæ chordis reſpondentia, aut (ut ipſe ad B. Mechtildem Chriſtus loquitur) ut ſeptem miræ ſuavitatis cantica, ad crucis citharam in amoris thalamo cecinerit; & quibus animo comprehenſis atque retentis, germanos Crucifixi amatores, ærumnas ſuas atque dolores conſolari voluerit. L.3.c.1.

Hoc igitur nunc age; & quando, ut inquis, tui te dolores intolerabiliter cruciant; omiſſis vanis avocamentis, ad hujus citharæ ſuavitatem aure cordis admotâ, hinc ſume certa patientiæ Chriſtianæ magiſteria, hinc malis tuis non inutile delinimentum, inde moleſtiarum atque dolorum allevamentum require. Perſpicies tandem, mihi crede, quid diſtent humanis divina ſolatia, neque ullum eſſe tantum dolorem, cui non ſimilibus piæ mentis exercitijs, ubi ijs paulùm aſſueveris, medicinam aliquam atque levamen invenire poſsis. Hoc primum.

## §. 2.

### *Nos etiam, ceu DEI citharas, & variè tangi, & DEO dulcem de nobis melodiam reddere debere.*

DEin ad uberius iſtius piæ cogitationis operæ pretium, illud inſuper tecum ſtatues: te quoque dum aliquid pateris, Salvatoris exemplo, inſtar divinæ citharæ eſſe debere. Sic enim rurſum, ſed alio in loco de nobis ipſis ſermonem faciens S. Auguſtinus: *Cùm aliquid* (inquit) *patimur tribulationum, tentationum, ſcandalorum in terra, cithara eſt.* Cui itidem conſonans Hugo de S. Victore, Annotationum in pſalmos cap: 65. cui titulus eſt, *De cithara ſpirituali;* ejusmodi citharam myſticè deſcribens, ait: *Chordam eſſe hominis juſti corpus, quod maceratur & tenditur, inter pœnam carnis, & dolorem cordis: clavos eſſe timorem DEI, ejúsq; amorem: plectrum autem, gratiam.* Denique ſicuti chorda ſiccatur & tenditur, ut ſonitum reddat; ita hominis carnem oportere, ſiccari per abſtinentiam, tendi per patientiam. In pſ. 42.

Ffff Addere

Addere potuit, non tantùm intendi, ſed etiam percuti debere, ut quæſitam reddat cœleſtis concentûs ſuavitatem. Nam veluti muſica inſtrumenta, etſi fabrè-facta ſint, atque ex artis ratione ad harmoniam compoſita, attamen *non percuſſa ſilent*, tangiq; volunt, ſi qua ex illis expectetur oblectatio: ita quisquis ſeſe ut Dei citharam aſpexerit, nihil mirabitur ſibi intendi chordas, ſéq; variè à Deo tentari atque pulſari; quippe cùm ita neceſſe ſit, ut concentus edatur Deo dignus, atque hominis patientiâ divinus animus, tanquam melodiâ ſibi acceptiſſimâ, oblectetur.

At ſi juſtus quilibet in tribulatione poſitus, Dei cithara eſt: quantò iſtud magìs de ſanctis Martyribus dicemus? Quibus equidem cùm artus contemplor in æqvuleo diſtendi, emoveri vertebras, contendi nervos, ferreis ungulis ac pectinibus membra pulſari; eosdémq; inter hæc cruciamenta, non flebilem queſtum, non gemitum graviorem edere, neque omnino vocem aliam, niſi *DEO gratias* reddere: totidem ego divinas citharas mihi videre & audire videor, cœlum omne complentes ſuavitate incredibili, dulcíq; patientiæ miraculo Deum ipſum ad ſe converſum attentúmq; detinentes: *Omnis enim patientia dulcis eſt DEO*; in-
*In pſ. 42.* quit hanc ipſam in rem S. Auguſtinus loco citato.

Quid de S. Job dicam? quem mihi vel ipſe Satanas ut
*Job 2.* Dei citharam ſpectâſſe videtur, cùm diceret: *Mitte manum tuam, & tange os ejus & carnem ejus; & tunc videbis, quòd in faciem benedicat tibi.* Tange, inquiebat, iſtius nervos, chordas hujus citharæ validiùs paulò pertenta: & peream, niſi diſsiliat infelix lyra, aut pro laudis cantico, in voces amaras, & tibi injucundos contumeliæ ſonos erumpat. At verò quid contrà reſpondet præſtantiſsima cithara, & ad
*Job 1.* ipſam Dei tangentis manum bellè attemperata? *Sicut Domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictum.* O præclaram illam harmoniam, & divinis auribus jucundiſsi-

diſſimum concentum; voluntatis humanæ cum divina, etiam extremis in malis, æquabilem atque conſtantem conſenſionem! Atque ille non extremis tantùm DEI digitis tentatus, ſed totâ ac plenâ manu pulſatus (*manus Domini*, inquit, *tetigit me*) tamen, ſicut ait B. Gregorius, *voces patientiæ in DEI laudem percuſſus reddit*; & venturo olim incarne Salvatori, patientiâ prophetante prælud it. Ut enim rurſum de eo S. Gregorius: *Mediatoris typum eò veriùs tenuit, quò paſſionem illius, non loquendo tantummodò, ſed etiam patiendo, prophetavit*. Ille igitur nullo antecedente magiſterio à DEO percuſſus, omnes numeros ac modos implet cœleſtis muſicæ; & nondum auditæ principi illi citharæ, quæ in crucis ligno tam dulcè ſonuit, obſecundante conſenſu, & quaſi anticipato repercuſſu admodulatur. Ut vel hoc exemplo erubeſcat noſtra inertia; qui etiam nobis præeunte DEI Filio, etiam ſummo tantùm DEI pollice præſtricti, aut diſſonum quiddam atque abſurdum reſponſamus, aut propoſitæ nobis ad imitandum divinæ citharæ vix extremos modulos, nec niſi obſcurè ac malignè reddimus.

*Job 19.*
*L. 2. Mor. c. 19.*
*L. 23. Mor. c. 1.*

Hîc obiter adverto S. Auguſtinum, de eadem S. Job patientiâ loquentem, alterius organi ſimilitudine uſum, non abſimili ſenſu. Conſiderat quippe ſanctas animas, tanquã tubas ductiles, quæ *de ipſo malleo* (ſcilicet diabolo) *in manu DEI poſito, id eſt in poteſtate DEI, tunduntur, ut reſonent laudes DEI*. Atque, *Tuba ductilis* (inquit) *erat Job, quando repentè percuſſus tantis damnis & orbitate filiorum, tunſione illâ tantæ tribulationis factus tuba ductilis, ſonuit: Dominus dedit, Dominus abſtulit, &c. Quomodo ſonuit, quàm ſuavem ſonum dedit, illa ductilis tuba!* Denique cùm illam alteram ejuſdem organi non minùs præclaram vocem commemorâſſet, quâ uxori inſultanti reſpondit: *Si bona ſuſcepimus de manu DEI, mala quare non ſuſcipiamus? O ſonum fortem!* exclamat: *ô ſonum dulcem! Quem non dormientem excitet ſonus iſte?* Hæc S Auguſtinus.

*In pſ. 97. & ſerm. 222. de temp.*

 Sed

Sed audire hîc juvat etiam B. Ambroſium, qui ad voces pſalmi 80. alludens, & citharam nos, & pſalterium, & tympanum ſumere præcipit, ut omnigeno eorum organorum apparatu, ſuavis & ipſi Deo jucunda de nobis exiſtat variarum virtutum ſymphonia. Verba ejus libro 6. in Lucam ſunt iſta: *Sume & tu citharam, ut pulſata ſpiritûs plectro interiorum chorda venarum, boni operis ſonum reddat. Sume, & pſalterium, ut harmonia dictorum factorúmq; tuorum concinat. Sume & tympanum, ut organum, tui corporis ſpiritus moduletur interior, factiſq; operantibus dulcis morum tuorum ſuavitas exprimatur.* Deniq; & S. Petrus Chryſologus ſermone quodam pœnitentem Magdalenam in citharam, fiſtulam, & organi muſici omne genus convertit, de ea diſſerens in hunc modum: *Ad delicias deitatis totas, totam pulſat cordis ſui & corporis harmoniam; organi planctus dat clamorem; citharam per ſuſpiria longa modulatur.* Omitto reliqua.

*L. 6. in Luc. c. 7.* — *Serm. 93.*

## §. 3.

### *De hilari malorum patientia, variæ ex dictis præceptiones.*

AD extremum, ut ex hac quam exequimur cogitatione in uſus noſtros adhibita, fructum proprium capiamus: Dum tanget nos Deus, dum percutiet, dum tentatione afflictionéve aliquâ exercebit, ita apud nos ſubinde ratiocinabimur. *Primò*: Tentationes iſtæ, vexationes, dolores, ictus ſunt amantis, blandientis ac colludentis Dei. Luſus ſunt ſupremi Citharœdi oblectantis ſe in opere ſuo: & grandis favoris inſtar habendum eſt, quòd ea majeſtas de nobis ſumat ſuimet oblectandi materiam; &, non malis noſtris illa quidem, ſed noſtrâ malorum patientiâ, delectetur.

*Secundò*: Sed neque mirabimur, ſi has potiùs quàm illas in nobis fides pertentet; ſi ad hanc potiùs quàm illam cantionum nos exerceat. Sibi enim canit, & non nobis, ſapientiſſimus & amantiſſimus artifex. Utatur ille organo ſuo

ſuo ex animi ſui ſententia: intendat, ut volet, citharæ ſuæ nervos, eámq; ad modos ſibi placitos componat: quamcunque de nobis melodiam, quemcunq; ſonum, acutum, gravem, plenum, conciſum, concitatum, remiſſum, vibrantem, extentum depoſcat; quacunque nos, inquam, fortunæ ſorte, quocunque malorum genere ac formâ exerceat: noſtrum erit jucundè ac promptè in melos quodcunque figurari, in omnem nos harmoniæ formam atq; modulos vertere: tantùm ut divinæ ipſius voluptati (quando ea ipſius voluntas eſt ac dignatio) ſerviamus; & (ut Auguſtini antea relati phraſim imiter) ut placeamus auribus ejus, ut delectemus ſuavitatem ejus.

*Tertiò:* Proinde ſi Deus tanquam organum ſibi placitum (ut in eadem allegoria perſiſtam) nos ſæpiùs ſumet in manus, ſi tentabit crebriùs, ſi vel repetitis & congeminatis ictibus, vel validiore forſan impetu increpabit animoſiùs: eò nos ampliùs ei probari aut magis diligi interpretabimur. *Habet enim amor plagas ſuas* (inquit B. Ambroſius) *quæ dulciores ſunt, cùm amariùs inferuntur.* Tunc igitur præſertim exoſculemur tangentis manum; eíq; gratâ & ingenuâ tanquam colluſione conſentire, atque, ut ita dicam, magis ſonorâ patientiâ reſpondere ſtudeamus. *Conc. 6. pro Var. act.*

*Quartò:* Melodia ex gravibus acutíſq; conſtat inter ſe ritè temperatis. Quocirca ſi nobis dolore oppreſſum corpus, aut mœrore dejectus animus grave quiddam ac triſte ſonent; tum verò acutum & excitatum ſonum edat, mentis Deo ſubjectæ hilaris ac generoſa patientia; & ita exiſtet præclara quædam & divino cordi jucundiſſima modulatio. Rectè enim hanc in partem præcipit quidam amicorum Dei à Bloſio memoratus: *Quando aliquis afflictionem vel dolorem ſentiens, DEO ſe humiliter perſeverantérq; reſignat, hujuſmodi reſignatio eſt ante ipſum DEUM cithara dulciſona, in cujus chordis Spiritus ſanctus ſuaviſſimè canens, cœleſtis Patris aures* *Inſt. ſpirit. c. 8.*

*occulto*

*occulto quodam internóq; modulamine mirificè demulcet. In hac cithara* (ſubdit) *craſſiores fides, id eſt, exterioris hominis vires* (*quæ undique dolore occupantur*) *demiſſum lugubrémque ſonum edunt: at fides exiliores, nempe vires interioris hominis* (*quæ plenâ devotione inſpontanea patientiq; reſignatione perſiſtunt*) *acutum jucundúmq; ſonum edunt.* Sic ibi. Eodémq; ſpectat quod idem Bloſius refert, Chriſtum Dominũ dixiſſe de S. Gertrude: *Ipſa eſt cœli civibus dulciſona harmonia, quam efficiunt omnes illæ ab ipſa tam æquanimiter perlatæ adverſitates.*

*Appēd. Mõ. ſpir.*

*Poſtremò:* Ut hoc quidquid eſt præcepti in breve colligam: cùm tibi moleſta aliqua vexatio inciderit, cùm mœſtitia animum, aut artus dolor inceſſerit: memento te Dei citharam eſſe; & non tam res ipſas, quàm tangentis manum aſpiciens, dic tecum: Percutit te amantiſſimus Pater, ut ſeſe patientiæ tuæ ſuavitate oblectet. Ad ejus igitur voluntatem organi tui fides accommoda, & aures ipſius lætâ voluptate demulce. Noli refugere tangentis manum: cithara factus es, ut pulſeris. Confitere Deo in cithara: lauda illum in tribulatione. *Tangite citharam*, inquit S. Auguſtinus, *tolerando paſſiones. Si autem in ipſis tribulationibus defeceris, citharam fregiſti.*

*In pſ. 42.*

# CAPUT XXV.

## *Amicorum Chriſti adverſis in rebus patientiam Chriſto in pœnis ſuis ſolatium aliquod præbuiſſe.*

NEque in poſtremis hæc habenda eſt, quæ extremo loco à me ponitur, conſideratio: quippe quæ non parvam vim habeat, ad eos commovendos, qui Chriſtum ament, ut

ut, cum gentium Apoſtolo, placeant ſibi in infirmitatibus ſuis & anguſtijs pro Chriſto. Ea autem eſt hujusmodi. *2. Cor. 12.*

Si Chriſto flagellis ſubjecto, aut ſpinis coronato, aut in cruce pendenti, partem aliquam pœnarum demere, & in te transferre potuiſſes: ſi crudeliter ſitienti ſuavem aliquem potum præbere; ſi dum laceris humeris crucem bajulat, extremum ligni contingere, & ejus ponderis acerbitatem nonnihil levare aut mitigare, licuiſſet: quo animi cœleſti gaudio delibuti, ſenſu, quâ devotione & alacritate id faceres? Atqui id nunc quoque, non piâ duntaxat meditatione, aut propenſæ voluntatis deſiderio; ſed quadantenus etiam re ipſâ tibi facere conceſſum eſt. Quod non adeo tibi mirum accidet, ſi inprimis tecum reputaveris: quidquid nunc acerbitatum, aut Chriſti amore ultrò ſuſcipis, aut aliunde illatum ex ejus imitatione patienter toleras; id omne benigno Salvatori, inter cruciamenta ſua, perinde acſi res in præſentia gererentur, ſigillatim ob mentis oculos poſitum atque obverſatum fuiſſe. Ergo etiam tum patientiâ tuâ delectabatur, oblectabant illum manſuetudo tua in perferendis injurijs, in voluntarijs pœnis ſuſcipiendis alacritas; attendebat pios tuos gemitus, & quæcunq; tibi aliquando præ affectûs teneritudine, in commeditandis ejus doloribus, lacrymæ ex oculis ſtillâruut, eas ponebat in conſpectu ſuo. Quibus quidem tuæ adverſùs illum pietatis teſtificationibus, dubitandum non videtur (quantùm eſt ſanè ex rei natura) præſertim ejus cruciatuum acerbitatem nonnihil levatam ac mitigatam fuiſſe.

Quemadmodum enim præcepta animo futurorum hominum vecordia, qui nullo tanti ſanguinis, tam largiter ac prodigè pro ſe fuſi, reſpectu habito, peccata peccatis cumulaturi erant, & DEI Filium rurſum quodammodo ſibimet ipſis crucifixuri, non exiguum momentum habuit ad interiorem ipſius crucem exaggerandam & aggravandam: atque,

que, ut communis eſt Doctorum ſenſus, ea res inprimis, Salvatoris oculis objecta in horto Gethſemani, illius altè vulneravit animum, & mortiferos illos angores ſudorémq; ſanguineum prolicuit; quòd nempè tam paucis intelligeret, dolores ſuos acerbiſſimos pretiúmq; fuſi divini ſanguinis, ad ſalutem uſquequaque profuturum: prout etiam fertur aliquando S. Catharinæ Senenſi revelâſſe: ita è diverſo dicere poſſumus; præſumptos animo electorum ſuorum ſanctos labores, piáſq; compaſſionis lacrymas, aut ejus amore libenter exhauſtos cruciatus, ipſi Salvatori inter tormenta non mediocri fuiſſe ſolatio: cùm illum utiq; ſibi prædulcem electorum faſciculum, in ea hora, ut cùm maximè, ardentiſſimæ charitatis ulnis arctè ſtringeret, cordíq; ſuo apprimeret, tanquam præſentis paſſionis ſuæ fructum optatiſſimum, ſobolem ſudorum & lacrymarum, & filios doloris ſui. Quem etiam in modum Joannes Thaulerus in explicatione Paſſionis Domini de Chriſti in cruce ſiti diſputans: *Sanè* (inquit) *quidquid purè propter DEUM vel agimus vel patimur, quamlibet exiguum id ſit, Chriſto inſtar dulcis cujuſdam potionis gratum & ſapidum eſt, ejúſq; ſitim refrigerat. Et ipſe in cruce poſitus compaſſionem omnem, mæſtitiam, devotionem, gemitus & lacrymas in paſſionis ejus meditatione exercendas: quidquid perſecutionum, anguſtiarum, afflictionum pro ejus laude & amore tolerabitur; omnem pœnitentiæ rigorem, jejunia, preces, &c. cuncta hæc Dominus JESUS miro quodam modo hauſit, atque cum ingenti ſiti abſorbuit.*

*cap. 18.*

*L. 4. c. 15.* Quò itidem facit, quod ipſe Salvator B. Gertrudi (cùm veluti recèns flagellatus ei apparuiſſet) diſertè teſtatus eſt: cùm quis paſſionem ſuam mente pertractans, devoto corde per amorem compungitur, itáque orat pro peccatoribus, pium illum affectum eſſe inſtar emplaſtri ſeu unguenti, quo ſuus ille dolor leniatur.

Ergo ut hinc quoq; patientiæ tuæ vigorem exſuſcites;

cùm

cùm te triſtitia, angor, ærumna afflixerit, inter ipſos dolores tuos, ad Chriſtum Dominum, ſeu inter flagella gementem, ſeu crucis ſuæ oppreſſum pondere, ſeu in alia quavis paſſionis ſuæ parte conſtitutum, pios refer oculos, eúmque contemplare in pœnis ſuis quodammodo ad te blandè converſum, & velut expectantem, ut hilari quâdam patientiâ ei te ſocium conſortémq; dolorum præbeas, & quaſi pœnarum ipſius aliquâ in te parte ſuſceptâ, eum (quantùm in te eſt) ſolari ac ſublevare contendas: non quòd pœnas ſuas ulla ex parte levari expetat (quas augeat potiùs ardore patiendi incredibili) ſed quòd tua ei patientia dulcis ſit, delectétq; tuum ei placendi ac ſerviendi deſiderium, gratúmq; animum magni ſolatij ac levamenti loco habeat. *Suſtinet enim adhuc* (inquit iſta confirmans S. Bernardus) *& diligenter conſiderat, ſi quis ſit qui ſimul contriſtetur; ſi quem inveniat, qui ſanguinis rivos abſtergat, & de cruce depoſitum, mundâ ſindone non panni, ſed cordis involvat.* *De Paſſ. Domin: c. 4.*

Et ſimili quadam cogitatione (ut hoc per occaſionem obiter attexam) ſtimulare te potes, ad proximi tui afflicti ærumnas & anguſtias, quâ poteris ope, leniendas: non ea tantùm ratione, quòd ij vivæ ſint Chriſti patientis imagines, & illis impenſum ſolatium, tanquam ſibi exhibitum reputet; veluti ſuprà demonſtravimus: ſed eò præſertim, quòd proximi noſtri ærumnas languoréſq; levando, ex parte demamus ſubtrahamúſq; re ipsâ Salvatori argumenta illius triſtitiæ, quâ ſub tempus paſſionis ſuæ anima ejus ad mortem uſq; afflictata eſt. Si nempe verum eſt, quod expreſsè tradit B. Angela de Fulginio, Joannes Thaulerus loco citato, & Doctores alij: Chriſtum in paſſione ſua, omnes dolores atque angores noſtros in ſe ſuſcepiſſe, & quodammodo expertum eſſe; ſecundùm illud Iſaiæ: *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit.* Quo modo (ut ad eum locum teſtatur Gaſpar Sanctius noſter) *quidam è Societate noſtra* *Vit. c. 62.* *Iſai. 53.*



Digitized by Google

*ſtra vir eximiæ Religionis & ſanctitatis, eâ conſideratione adducebatur, ut ægros inviſeret, & quocunque poſſet modo, eorum angores & moleſtiam levaret; quòd nempe crederet dolores illos atque languores, aliquod moleſtiæ & doloris incrementum paſſionis tempore Chriſto addidiſſe.*

# CAPUT XXVI.

## *Concluditur iſtæc Chriſtianæ patientiæ tractatio.*

ERgo ut tractatûs prolixioris (tametſi ad uſus vitæ mortalis oppidò neceſſarij) aliquando finem inveniam: placet inde, unde exorſi ſumus, argumenti itidem clauſulam petere; & repetitis Apoſtoli verbis adhortari noſmet
*Heb. 12.* ipſos: ut *deponentes omne pondus, per patientiam curramus, ad propoſitum nobis certamen: aſpicientes in auctorem fidei, & conſummatorem JESUM.* Quippe qui & ducem ſe nobis & magiſtrum, & perfectum exemplar tolerantiæ omnis exhi-
*L. de pat.* buerit, de illo dicente S. Martyre Cypriano: *Uſq; ad finem perſeveranter ac jugiter tolerantur omnia, ut conſummetur in Chriſto* (utique & in nobis ejus exemplo) *plena & perfecta*
*L. de zelo & Liv.* *patientia.* Qui proinde alibi ad Chriſti ipſius aſſectationem imitationémve nos provocans: *Sequitur autem Chriſtum* (inquit) *qui præceptis ejus inſiſtit, qui per magiſterij ejus viam graditur, qui veſtigia ejus atque itinera ſectatur, qui id, quod Chriſtus & fecit & docuit, imitatur; ſecundùm quod Pe-*
*1. Pet. 2.* *trus quoque hortatur & monet, dicens: Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus.* Perinde atque ſi perfecta Chriſti imitatio in patientiæ diſci-
*L. de pat.* plina conſiſteret, & quam *bonum Chriſti* ſpecialiter Cyprianus appellat, eam Chriſtus aut ſolam, aut præ cæteris ſtudijs, à ſectæ ſuæ alumnis depoſceret. Ad quam ſingulariter exhor-

exhortans etiam Tertullianus: *Rependamus* (inquit) *illi patientiam, quam pro nobis ipſe dependit.* *De pat. c. 16.*

Quanquam & eodem recidet; ſi univerſam Crucifixi diſciplinam, dicamus in amore forti, hilariq; patientiâ ſitâ eſſe: quando neq; patientia Chriſtiana abſque amore caſto diuturna aut perfecta eſſe poteſt; neque ſincerus amor, abſque adverſorum tolerantia conſiſtere: in hunc ſenſum dicente S. Chryſoſtomo: *Quis eſt labor abſolutè diligere? nullus labor. Germanè autem & ſincerè diligere, multus labor.* *Orat. 1. in 1. Theſſ. 1.*

Atque hanc duplicem tanquam paginam nobis exhibet Liber ille, ante oculos noſtros præſcriptus & expanſus, JESVS crucifixus; Liber ſcriptus intus & foris, intus amore, foris dolore: in quem proinde admonemur aſſiduè inſpicere diſciplinæ gratiâ, ut nempe exinde duo illa potiſſima Chriſtianæ Sapientiæ principia, amorem, inquam, fortem, & dulcem DEO patientiam hauriamus. Rectè quippe Salmeron noſter, de libri iſtius (Chriſti nimirum crucifixi) titulo diſputans: *Hic ſit* (inquit) *noſtrum Enchiridium, Iſagoge ad ſapientiam, Verbum abbreviatum, Contemptus mundi, Soliloquium, Stimulus Divini amoris, &c.* addo ego, & *Gymnaſium patientiæ;* quòd ars ea profectò nuſpiam alibi, aut meliùs tradatur, aut faciliùs condiſcatur. *Tom. 10. tr. 37.*

Eundem quoq; Chriſtum crucifixum conſiderare hîc poſſumus, ut vexillum expanſum militantis in terra patientiæ: ad quod proinde militiæ gratiâ aggregari, ad quod inter pugnandum in propoſito nobis certamine crebrò identidémq; reſpicere, ad quod denique ubi res depoſcet, ſeu ſecuritatis, ſeu virium confirmandarum gratiâ, refugere debeamus. In quem fortè ſenſum mellifluus Bernardus ſermone quodam in Cantica, mortem Chriſti appellat *fortitudinis inſigne.* Expreſſiùs autem Ugo Cardinalis, ad illud è Canticis: *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum;* ubi paucis, & pulchrè ſanè, univerſas ſignaculi ſeu ſigni acceptiones *Serm. 22. in Cant.* *Cant. 8.*

 nes

Digitized by Google

nes uſúsq; comprehendit; quaſi in hunc modum loquatur Chriſtus: *Volo ut mei pro te crucifixi memoriam habeas; ut per te nihil nocivum intret aut exeat; ut mihi ſoli arcanum cordis aperias; ut ſpeciei meæ in te ſimilitudo reſultet; ut mei character amoris te ab omni alieno diſcernat; ut in caſtro tuo meũ ſemper vexillum appareat.* Sic illę.

Eſto denique extremum hoc monitum: Si libenti animo & hilari quâdam patientiâ crucem portemus; & ipſa portabit nos, atque inter adverſos fluctus mortalitatis, ad deſideratum felicitatis æternæ portum, ſecuros lætóſq; traducet. Memorabile eſt, quod de S. Forannano Epiſcopo, *Molan. Natal. 30. April.* Belgicæ tradunt hiſtoriæ, eum videlicet cùm in Belgium è Scotia, divino monitu traijcere pararet, neque adeſſet navigium quo transportari poſſet, ligna duo, quæ fortè jacebant in littore, inter ſe commiſſa in crucis formam compoſuiſſe, atq; in eam ſecum receptis ſocijs duodecim, in Gallicas oras ſic transmiſiſſe. Quod, quadam anagogicâ ratione, ſi equidem ſalvi eſſe volumus, neceſſe eſt noſtrûm u- *Tract. 2. in Ioann.* nicuique contingere. Ut enim ait S. Auguſtinus: *Crux Chriſti lignum eſt, quo mare tranſeamus. Nemo enim poteſt tranſire mare hujus ſaculi, niſi cruce portatus.* Et alio in loco: *Serm. 2. de Verb. Apoſt:* *Quoniam etiam in tali itinere abundant fluctus & tempeſtates diverſarum tentationum; in Crucifixum crede, ut fides tua lignum poſſit aſcendere. Non mergêris, ſed ligno portaberis.* Sed de his ſatis.

PARS

# PARS V.

## Chriſti patientis, in actibus quibusdam geſtiſve ſingularibus imitatio.

## CAPUT I.

### *Ad peculiarem certis in articulis Chriſti patientis imitationem, introductio.*

OMnis vita Chriſti, Doctoris atque Ductoris noſtri, Chriſtiano homini ad imitandum propoſita eſt: quia, ut ait S. Auguſtinus, *tota vita ejus in terris, diſciplina morum fuit.* Etenim, ſicut ratione perſonæ, Verbum eſt Patris, ipſiſſimáq; DEI Sapientia: ita etiam ſeſe proinde geſſit inter homines, ut quidquid aut per ſe ageret, aut in ſe admitteret, animata quædam eſſet honeſtæ vitæ regula, exemplum loquens, & viva ad optimum exhortatio. *De ver. relig. c. 16.*

Hinc enim & B. Apoſtolus ſanguinis Chriſti aſperſionem loquentē facit: & S. Auguſtinus Chriſti miraculis dat linguam ſuam, verbiq; facta vult nobis & ſigna & verba eſſe: & ſtabuli ejus atq; præſepis clamorem exaudit S. Bernardus, atq; in membris infantilibus, in lacrymis atq; vagitu, grande præconium quaſi evangelizantis agnoſcit. Qui rurſum de ipſa Chriſti paſſione diſſerens: *Clamat clavus*, inquit, *clamat vulnus, quòd verè DEUS ſit in Chriſto mundum reconcilians ſibi.* Quin & ipſum Verbi Incarnati tempeſtivum ſilen- *Heb. 12.* *In Joan. tr. 24. & 49.* *Serm. 3. de nat.* *Serm. 61. in Cant.*

ſilentium, ſi quis aurem cordis admoveat, ſentietur eſſe vocaliſſimum: quia, ut hîc quoque ad quoddam Auguſtini dictum alludam, ubi etiam ut ovis ſilebat, ut paſtor docebat. Adeò universè verum eſt vulgatum iſtud: *Omnis Chriſti actio, noſtra eſt inſtructio.* In quo proinde novi teſtamenti ſupremo Pontifice veriùs ac certiùs eluxit; quod in figura requirebatur ab Aaronico: cujus ſacræ tunicæ, teſte B. Hieronymo, idcirco divino præcepto adjecta fuêre tintinnabula: *Ut greſſus Pontificis, & motus, & univerſa vocalia ſint: ut quidquid agit, quidquid loquitur, doctrina ſit populorum.* ut ex ejus S. Doctoris mente refert noſter Cornelius; ſeu prout uno verbo ipſe Hieronymus; ut dum ingreditur egreditúrve, *totus vocalis incedat.*

*Tr. 116. in Joann.*

*De veſtib. Pontif.*

*Ep. 128. & in Pſ. 132.*

Veruntamen ejuſdem Domini noſtri acerba paſſio, ipſum, inquam, Chriſti flagella, plagas & opprobria ſuſtinentis, in cruce pendentis, exhauſti, morientis exemplum, propriâ ſingulariq; ratione imitationem à nobis exigit. Ad id (ut ſuprà dicebamus) ſpeciatim nos hortante B. Petro Apoſtolo, dum ita ſcribit in priore ſua epiſtola: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus.* Ut nimirum hæc ipſa veſtigia, quæ in paſſione ſua Chriſtus impreſſit, & ipſo etiam ſuo ſanguine ſignavit, imitantibus veſtigijs premamus. Nam (ut ait S. Auguſtinus) *quid eſt eum ſequi, niſi imitari?*

*1. Pet. 2.*

*De ſanct. Virg. c. 27.*

Neque verò ipſemet Redemptor, ijs qui ſui ſequelam imitationémve affectarent, ſeſe aut apud populum concionantem, aut magna quædam ac mira patrantem, ſed patientem & crucem ferentem, in exemplum vitæ propoſuit, dum disertè edixit diſcipulis; ut ſi quis poſt ipſum venire, (hoc eſt, peculiari imitatione proſequi ſeſe) voluerit, tollat crucem ſuam, & ſequatur ſe; & ipſum utique ſuum patibulum bajulantem, & cum cruce prægrandi, cæterorum agmen, quibus itidem cruces ſuas in humeros tollere, & cum ducem

*Matth. 16.*

ducem ſequi animus fuerit, ad juga Calvariæ antecedentem.

Et ſanè eadem Chriſti paſſio, omnium, quæ ille in vita docuit, aut fecit, aut pertulit, complexio quædam & tanquam contracta epitoma eſt; brevis illa quidem, ſed præclara miniméq; obſcura. Neq; profectò uſquam alibi Salvator, tam multa, tam rara, tam ad ſenſus noſtros permovendos efficacia, quam in paſsione ſua protulit, virtutum non dicam heroicarum, ſed diviniſsimarum, exempla.

Demum, uti morientium parentum ſuprema, ſeu dicta, ſeu facta, penitus inſident in liberorum animis, infiguntúrq; memoriæ: ita dubium eſſe non debet; ea quæ dulcis parens noſter, ultimâ illâ vitæ ſuæ parte, & tanquam extremo actu geſſerit, extitiſſe hujusmodi, quæ idem dilectos filios ſuos, & aſsiduâ memoriâ tenere, & animo grato complecti, & ſedulâ ſcilicet imitatione, vellet exprimere.

Ob hæc igitur viſum eſt faciendum nobis, ut Dominicæ paſsionis certa myſteria, moribus noſtris actibúsque præſertim accommodata, in hac quinta noſtri operis parte, imitandi gratiâ proponeremus. Nos tametſi ea quæ parte ſuperiori diſputata ſunt, eò tendere viſa ſint omnia, ut propoſito nobis ob oculos Jesu crucifixo, tanquam archetypo, faceremus ſecundùm illud exemplar, adeóq; ex ejus imitatione libenter pati condiſceremus: id tamen non niſi generaliter, & permixtè ſatis atque indiſcretè perfectum eſt, neque ordine deſcendendo ad ſingula; aut partes ipſas divinæ paſsionis, ejúsve actus ſingulares, noſtræ contemplationi ſubijciendo: cùm, ut efficax ſit, circa res certas ac definitas verſari debeat imitatio.

Cúmq; inter ea, quæ ad ſalutem ac perfectionem multùm conferunt, à B. Juſtiniano recenſeatur, guſtus operum Chriſti; ea ſigillatim applicanda ſunt ad ſenſus noſtros, & familiari quaſi ruminatione comminuenda, quò eorum intimus guſtetur ſapor, & ipſa in utilem animæ ſubſtantiam *De obediẽt. c. 26.*

ver-

vertantur. Proindéq, idem S. Doctor alio in loco, commendat Chriſti Sponſæ ſolertiam: quæ (ut ipſe ait) *ipſa quendam ſibi componit faſciculum totius vitæ illius, quæ ruminando nutrit cunctos ſuos internos ſenſus.* Quò etiam facit, quod ait mellifluus Bernardus: *Dignum eſt enim* (inquiens) *& tibi multùm expedit, compati, commori, conſepeliri paſſo mortuo, & ſepulto. Ad hoc enim facta ſunt hujuſmodi, ut his omnibus configuretur & conformetur vita Chriſtiani.*

*De caſto connub. c. 23.*

*ſerm. 2. de cæn. Dom.*

Hoc denique ſtudium, quâ nobis conſtantiâ ac perſeverantiâ tenendum ſit, pulchrè declarat Abbas quidam in Vitis Patrum; exemplo canis leporem ſemel viſum conſtanter perſequentis, & ejus aſſequendi gratiâ, aſpera quæque atque horrida ardore ſummo ſuperantis. Sic etenim (inquit) *qui Dominum JESUM quærit, cruci indeſinenter intendit, quæ occurrunt ſcandala omnia præteriens, donec ad Crucifixum perveniat.* Sic ille.

*l. 5. l. 7. n. 35.*

Igitur ab oratione in horto uſquè ad mortem in cruce, quasdam ſeligemus ſeu actiones ſeu paſſiones Domini noſtri præcipuas, quæ aliquid habeant ad imitandum ſingulare, & ad quas proinde imitatione exprimendas, nos conveniat ſtudioſiùs conniti. Inſiſtemus tamen etiam hac in parte, conſuetæ nobis ac familiari res iſtas tractandi rationi: ut neque ipſa paſſionis myſteria, in puncta (quod ajunt) ſeu certa capita exactè aut anxiè digerantur, velut in uſum aſceticæ commentationis; & tamen ita tractentur res, ut pronum ſit ei cui lubuerit, certos exinde articulos deligere, eósq; vel ſuæ conſuetæ meditationi velut materiam ſubijcere, vel ad aliam quamlibet liberiorem, & minùs adſtrictam, ſpiritualem exercitationem transferre. Dummodo id exiſtat denique, ut in omni rerum atque temporum articulo, ſit nobis re ipsâ Chriſtus patiens, exemplum vitæ, morum regula, patientiæ diſciplina.



Digitized by Google

# CAPUT II.

## *Imitatio Chriſti in horto Gethſemani Patrem orantis.*

CUm tanta nobis ſit orationis neceſſitas; & tamen (quod ait Apoſtolus) *quid oremus, ſicut oportet, neſciamus:* præter interius Spiritûs ſancti magiſterium adjuvantis infirmitatem noſtram, & pro nobis in nobis quodammodo poſtulantis, voluit Chriſtus Magiſter noſter in ſe ipſo præbere perfectam quandam orandi formam; cujus imitatione ſi nos orationem noſtram conformaverimus, omnes bonæ orationis partes impleturi ſimus. *Rom. 8.*

Præſens autem imitatio in quinq; præcipuè rebus conſiſtet; attentione, reverentiâ, fervore, perſeverantiâ, reſignatione: de quibus ſigillatim atq; ordine dicendum eſt.

### §. I.

### *Quantam attentionem ad orandum Chriſtus attulerit?*

P*Rimo igitur loco conſidera:* Benigniſſimum Salvatorem, cùm inſtante jam paſſione ſuâ, præ tædio, triſtitia, angore animi pœnè deficeret, & ad mortem uſquè conflictaretur; ad familiare ſibi orationis ſolatium confugere voluiſſe: eáq; propter, diſcipulis reliquis longiùs juſſis ſubſiſtere, tres duntaxat illos ſuorum arcanorum conſcios, Petrum, Jacobum & Joannem ſecum adhibuiſſe, à quibus denique etiam *avulſus* ſit, *quantùm jactus eſt lapidis*, ne quà ſuam ad Patrem precationem interpellarent, útq; ipſe liberiùs, quæ ferebat animus, ſolus ad ſolum loqueretur. *Luc. 22.*

Elegit inſuper ſolitudinem, non tantùm loci, ſed etiã temporis. Ipſæ quippe tenebræ & nocturna ſilentia, attentionem orationi conciliant. Unde Dominum non in ſolitudine modò, ſed etiam noctibus orare ſolitum ſacri Evan-



Digitized by Google

Luc: 6. geliſtæ ſignificant: quò facit illud S. Lucæ: *Exijt in montem orare; & erat pernoctans in oratione DEI.*

Igitur, ex Salvatoris imitatione, hæc tibi inprimis obſervanda ſunt.

*Primò:* In tuis anxietatibus, afflictionibus, mœroribus, ad DEUM per orationem recurrendum eſſe: non verò, ut plerique hominum faciunt, qui aut acceptâ injuriâ, aut aliâ quâvis mœroris ac triſtitiæ occaſione oblatâ, ſolatij gratiâ, non ad DEUM ſuum refugiunt, ſed cum hominibus dolorem ſuum communicant, qui illum potiùs exulcerent & exacerbent, quàm medicentur ac leniant: aut ſanè in quavis deſolatione vel animi ariditate conſtituti, ad vana ſolatia & ſenſuum oblectamenta convertuntur; derelinquentes DEUM (ut ait Propheta) fontem aquæ vivæ, & fodientes ſibi ciſternas, quæ continere non valent aquas. (Jerem. 2.) Etenim certum eſt illud S. Auguſtini in pſalmum 85. *Quocunque cor ſe converterit, in terrenis rebus amaritudinem invenit: unde dulceſcat non habet, niſi levet ſe ad DEUM.*

*Secundò:* Ut oratio tua, prout oportet, attenta ſit, neceſſe eſſe te ſeparari à charis ſeu rebus, ſeu perſonis: juxta illud monitum Salvatoris: (Matth: 6.) *Tu autem cùm oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora Patrem tuum.* Itaque divina meditari volenti, locus opportunus atque ab aliorū interpellatione ſecretus, deligendus & adhibendus eſt. Quomodo videmus ſummos contemplatores deſertis locis & invijs ſolitudinibus uſos & delectatos fuiſſe. (Orat. de Transfigur:) *Mater enim orationis*, Damaſceno teſte, *eſt ſolitudo:* quaſi ipſæ rupes, montes aut ſilvæ, artem DEUM orandi doceant, aut animus noſter puriore æthere cœlóq; liberiore fruens, neque jam rerum alienarum occupatus imaginibus, faciliùs ad DEUM & cœleſtia ſublevetur.

Sed quoniam non multùm juvat ſolitudo corporis, niſi adſit & ſolitudo cordis; idcirco etiam ab ipſis curis & ſoli-

ſolicitudinibus quotidianis abſtrahendus & evacuandus eſt animus: quæ tametſi fortè neceſſariæ, tamen, dum ad precandum accedis, tantiſper deponendæ & ſeponendæ ſunt, atque Chriſti verbis, ipſis præcipiendum: *Sedete hîc, donec illuc vadam & orem.* Aut certè, auctore S. Bernardo, æmulandum in re præſenti factum Abrahæ Patriarchæ, qui filij ſui unigeniti ſacrificium facturus in monte Moria, ſervis ſuis cum aſino ad montis pedem remanere & expectare juſſis, ipſe ſolus cum innocente victima ad montis verticem adoraturus aſcendit. Huc enim reſpiciens, & allegoricâ ratione eam rem exponens Doctor mellifluus, initio Libelli de Amore ita ſe ipſum adhortatur: *Venite aſcendamus ad montem Domini, & ad domum DEI Jacob, & docebit nos vias ſuas. Intentiones, cogitationes, voluntates, affectiones, & omnia interiora mea; venite, aſcendamus in montem vel locum, ubi Dominus videt, vel videtur. Curæ, ſolicitudines, anxietates, labores, pœnæ ſervitutes, expectate me hîc cum aſino, corpore iſto, donec ego cum puero, ratio ſcilicet cum intelligentia, uſque illuc propemntes, poſtquam adoraverimus, revertemur ad vos.* Hæc tamen alij tribuunt Guilielmo Abbati, ipſius Bernardi æquali & familiari: quibus, ut ad eam rem aptiſſimis, & nos uti poſſumus, attentionis conciliandæ gratiâ, cùm nos ad orandum componimus.

*Tertiò:* ut hanc ipſam attentionem à temet ipſo impetres, neceſſe eſſe, vim aliquam animo tuo facias, vagos ejus motus, & inſitam ad varia & aliena cogitanda propenſionem atque pruritum, cohibendo. Exemplo Salvatoris, qui (ut loquitur Scriptura) à charis ſuis diſcipulis *avulſus eſt:* quâ loquendi formâ omnino ſignificat, eum non ſine aliquâ violentia & animi reniſu, ab ijs quos præ cæteris diligeret, & de quorum præſentia ſolatium aliquod ſperare poſſet, eo in articulo eſt abſtractum.

Neque in ipſa oratione duntaxat animus hoc pacto in-

officio continendus eſt; ſed etiam ante orationem, illius motus componendi, & ipſum cor noſtrum, quoad licebit, omni affectu inordinato liberandum. Alioqui enim teneri non poterit, etiam inter orandum, ne pro ſua inſtabilitate, ad ea quæ diligit aufugiat, & nos ſine ſenſu ac guſtu rerum, quas contemplandas ſuſceperamus, relinquat. Id quod u-
*Pſal. 39.* bique ſuo experimento compererat Propheta Regius, qui ſubinde de cordis ſui fuga quæritur; adeóq; poſt liberalia & ingentia DEI promiſſa, cùm totum cor ſuum in gratiarũ actionem coram DEO effunderet, inſolitâ quadam loquendi
*2. Reg. 7.* figurâ uſus eſt, dicens: *Propterea invenit ſervus tuus cor ſuum,*
*In pſ. 85.* *ut oraret te oratione hac*, ubi ingenioſè S. Auguſtinus: *Invenire* (inquit) *ſe dixit cor ſuum, quaſi ſoleret ab eo fugere, & ille ſequi quaſi fugitivum, & non poſſe comprehendere, & clamare ad Dominum: Quoniam cor meum dereliquit me.*

In hac igitur attentione inter orandum procuranda, uti magnum momentum, ita multa opera ponenda eſt: ne animo vanis cogitationibus abſtracto atque diſtracto, pereat omnis contemplationis ſuavitas; quemadmodum ſcri-
*Eccl. 10.* ptum eſt: *Muſcæ morientes perdunt ſuavitatem unguenti.* Quarum circa te volitantium & obſtrepentium importunitate vexatus, cave eis cedas aut acquieſcas, ſed uſquè conſtans in precandi ſtudio perſiſtas, ut quamvis per eas ſapor obtundatur divinæ dulcedinis, non tamen omnino pereat fructus orationis.

## §. 2.

### *Quanta cum animi corporiſq; reverentia precatus ſit?*

SEcundo loco perpende; quantam ad orandum reverentiã, tum interiorem, tum exteriorem Salvator noſter attulerit. De exteriore (quæ etiam interioris effectus & indiciũ eſt) teſtes habes Evangeliſtas; quorum alter refert, eum in horto Gethſemani poſitis genibus oráſſe, alter procidiſſe in

in faciem ſuam: ut appareat, illum orationis initio abjeciſſe ſe in genua; tum, auctâ præſentis & offenſi Numinis reverentiâ, prono corpore humi abjectum, ſuper faciem ſuam procubuiſſe. Sive illum dicas, ſuſceptæ naturæ humilitatem agnoſcentem, ut de Moyſe legimus, faciem ſuam abſcondiſſe, non auſum intueri contra DEUM, aut etiam in terram procidiſſe, veluti (quod de ſe ait B. Job) pondus immenſum divinæ Majeſtatis non ferentem: ſive illum potiùs degravabat peccatorum totius mundi moles, ipſius tanquam humeris impoſita: eorúmq; ſanie ac fœditate quaſi dehoneſtatum in Patris conſpectu ſe contuens, præ verecundia nolebat vel oculos ad cœlum levare, quaſi eo nomine ac ſpecie, dignus non eſſet videre altitudinem cœli, aut Numinis irati non poſſet vultum ſuſtinere. *Matth: 26.* *Exod: 3.* *cap: 31.*

Quæ nimirum tria, Patris inquam æterni, coram quo comparebat, majeſtatem ac potentiam; humanæ naturæ, in qua apparebat, & ſecundùm quam tractabat cum Patre, vilitatem atque infirmitatem; divinæ offenſæ, quam expiandam in ſe ſuſceperat, granditatem atque indignitatem; quò ille intimiùs profundiúsq; penetrabat, hoc ſe coram illo deprimebat magis, & majori pudore, confuſione, reverentiâ paternis ſe oculis repræſentabat. Quam proinde ſummam divini Numinis in DEI Filio Patrem deprecante reverentiam commendat Apoſtolus, dum ait: *Qui in diebus carnis ſuæ, preces ſupplicationésq; ad eum, qui poſſit illum ſalvum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reverentia.* Quæ verba nonnulli etiam de oratione in horto intelligunt. *Hebr: 5.*

Hinc autem, itidem in uſus noſtros, licebit in hunc ferè modum ratiocinari.

*Primò* enim, ſi DEI Filius, Dominus Majeſtatis & Rex gloriæ, *ſub quo curvantur qui portant orbem*, id cum tanta facit ſui circumſpectione, ſubmiſſione, verecundia, ut toto *Job 9.*

in

in terram curvetur corpore, & in faciem ſuam abjectus ac pronus jaceat, præ timore ac reverentia illius ſupremæ & infinitæ majeſtatis: quid nos inter precandum facere convenit, qui ad ipſum, etiam ut hominem comparati, nihil niſi vermiculi humi repentes, aut viliſſimi culices ſumus?

Et verò quid hoc tandem rei eſt? aut quæ iſta facti vel cogitatûs inſolentia? Pulvis & cinis affectat congreſſum DEI ſui; imò (ut ſic dicam) neque totum pulveris granum. *Sap. 11.* Nam ſi, ut loquitur divina Scriptura: *tanquam momentum ſtateræ, ſic eſt ante DEUM orbis terrarum:* ſi *omnes gentes* *Iſai. 40.* *quaſi ſtilla ſitulæ, & quaſi nihilum ſic ſunt coram eo, & inſulæ quaſi pulvis exiguus:* quota ego ſum, aut quivis alius iſtius pulveris particula, iſtius ſtillæ portio, iſtius quaſi nihili ſectio? Et tamen pleroſque videas in ejus conſpectu, cujus gloriæ throno trepidi aſſiſtunt cœli Principes, & ipſi Seraphini vultum ac pedes alis obtegunt, quaſi non ſine pudore aliquo coram infinita illa majeſtate apparentes; videas inquam pleroſq; mortales, incompoſito corpore, erectâ cervice, inverecundo vultu, vagis oculis, alienis cogitationibus, aut fabulis etiam occupatos, ante DEUM aſſiſtere, & ipſi quoq; diviniſſimo Sacrificio, quid iſtic ſanè rei agatur, nihil penſi habentes, intereſſe. At ubi mens noſtra, ubi ſenſus eſt? aut (ut id potiùs aptiúsq; cum S. Hieronymo dicam) *ubi fides?* Siquidem is Beatus Doctor, Chriſtianorum ea in parte ſocordiam incuſans, primam ejus mali originem *Dial. contr. Lucif.* in Fidei languorem torporémq; refert, his verbis: *Ad orationem aſſiſto. Non orarem, ſi non crederem. Sed ſi verè crederem, illud cor quo DEUS videtur, mundarem; manibus tunderem pectus, genas lacrymis rigarem, corpore inhorreſcerem, ore pallerem, jacerem ad Domini pedes, eóſq; fletu perfunderem, hærerem certè trunco crucis, nec priùs amitterem, quàm miſericordiam impetrarem.* Nunc verò (ſubdit) *creberrimè in oratione mea, aut per porticus deambulo, aut de fœnore diſputo,*



Digitized by Google

*puto, aut abductus turpi cogitatione, etiam quæ dictu erubeſcenda ſunt, gero. Ubi eſt fides? ſiccine putamus oráſſe Jonam? ſic tres pueros? ſic Danielem inter leones? ſic certè latronem in cruce?* Addere poſſumus in rem noſtram: *Sic Chriſtum in horto?*

*Secundò*: Si idem ipſe Dei Filius, quòd umbram præferret peccatoris, ſéq; alienis agnoſceret ſpecie tenus coopertum ſceleribus, non audet vel oculos ad cœlum levare, neque ſtare in Patris conſpectu, ſed præ paterni vultûs reverentia, ſeſe ejus oculis quodammodo ſubducere nititur, & tantùm non intra terræ ſinum abſconditur: in quam abyſſi profunditatem nos proijcere debemus, cùm nobis coram Deo comparendũ eſt; qui non nomine tenus aut ſpecie, ſed re ipsâ veris & magnis & plurimis infecti criminibus, ac propudiosè contaminati ſumus? Nam ſi (quod jam proximè dicebamus) ut puri videamur & innocentes, tamen ipsâ naturæ noſtræ conditione, ob infinitum ejus à prima illa & infinita ſubſtantia receſſum, quaſi nihilum ſic ſumus coram Deo: cùm jam per quamlibet admiſſam culpam, uti commentantur SS. Doctores, ad nihilum rurſus redacti, profundiúsq; in nihili abyſſum devoluti, & tanquam minùs nihilo facti ſumus; quid tandem noſtri ſupereſſe, vel quo apud Deum nos loco fore arbitremur; aut quâ ſpecie formáve deniq;, in divinis oculis apparituros exiſtimemus? Sanè id unum reſtare videtur, ut ex Sancti Ignatij meditatione, inſpectâ corruptione mei totius, ſummo pudore atque horrore confuſus, in Dei conſpectu *me tanquam* putens *ulcus*, *ſive* horribile *apoſtema eſſe ducam, ex quo tanta ſanies peccatorum, tanta vitiorum lues defluxerit.* *Med. de peccat.*

*Tertiò:* Proinde ad reverentiam divini Numinis in ejus præſentia conciliandam retinendámq;, ante orationem præparandus eſt animus, & quis, ad quem, quamobrem accedas, diligentiùs cogitandum. Quam in rem utile e-

jus-

*Addit. ad 1. hebd.* juſdem S. Ignatij monitum eſt: *ut à loco futuræ meditationis uno vel gemino adhuc paſſu diſtans, animo ſurſum elevato, conſiderem Dominum meum JESUM, ut præſentem & ſpectantem quidnam acturus ſim; cui reverentiam cum humili geſtu exhibere debeam.* Quaſi videlicet illis me incitem Prophetæ *Pſalm. 94.* verbis: *Venite adoremus & procidamus ante DEUM, ploremus coram Domino qui fecit nos: quia ipſe eſt Dominus DEUS* *cap. 10.* *noſter.* Scitè quippe dictum eſt à B. F. Ægidio Aſſiſiate, quod inter aureas ejus ſententias circumfertur: *Qui neſcit orare, non cognoſcit DEUM.* Qui enim DEI infinitam Majeſtatem, bonitatem, juſtitiam, pulchritudinem, ſuavitatem, & tot alias timoris, reverentiæ, fiduciæ, amoríſve cauſas aliquatenus perſpectas habeat, ſuámq; cum illis abjectionem, infirmitatem, malitiam comparet, earúmque rerum notionibus imbutam mentem ad meditandum adferat; huic profectò inter precandum, neque reverentia attentióve animi deerit, neque Sanctorum affectuum argumenta deficient; ſed omni animi abductione & aberratione ſeclusâ, orationis ſuæ deſideratum fructum inveniet.

## §. 3.

### *Quantâ animi devotione atque fervore oraverit.*

T*Ertio loco attende*: quantâ animi devotione, contentione ac fervore oraverit. Quod ex his poſſumus non difficulter intelligere. Primò; ex illa tum interiori tum exteriori reverentiâ, quâ ſe ad orandum compoſuit, & per omne tempus, quod orando inſumpſit, retinuit. Secundò: ex illis crebrò iteratis ad Patrem aſpirationibus, animi concitati atque inflammati indicibus: *Abba Pater; Pater mi; ſi poſſibile eſt, &c.* Tertiò: ex eo, quòd creditu pronum ſit, eum multo cum fletu & calidis lacrymis oráſſe: quando & præ animi teneritudine, indoliſq; benignitate, videtur ad fletum naturaliter fuiſſe proclivior, & ea jam oculis obverſa-

verſaretur rerum ſpecies, quæ etiam è corde duriſſimo, & quantumvis invitis oculis, copioſas lacrymas poſſet extundere. Et profectò cùm eo in articulo præ affectuum vehementia, ſudore ſanguineo maduerit, & membris omnibus ſui corporis quodammodo lacrymatus ſit, exiſtimare non poſſumus, ſolos ei oculos ſiccos & proprij humoris expertes fuiſſe, ac non potiùs lacrymis etiam ſanguineis manâſſe. Quod licet ſacri Evangeliſtæ tacuerint, nobis tamen intelligendum reliquêre: quemadmodum nec ab ijs ſcriptum eſt, Chriſtum in cruce orâſſe cum lacrymis; quod tamen conſtat ex Pauli verbis §. 2. relatis; niſi quis hæc ipſa cum S. Thoma malit de præſenti oratione in horto intelligere. Quartò, ex illa agonia & compreſſione cordis, quã ex ea lucta & variarum atque inter ſe pugnantium affectionum conflictu ſubijt: quando (ut poſt Thaulerum meditatur Ludovicus Bloſius) dulciſſimum cor Salvatoris in quodam veluti timoris & amoris prælo compreſſum & quaſi oppreſſum eſt; timore nimirum infernè, amore autem supernè illud comprimente. unde ille pretioſus liquor cruenti ſudoris expreſſus ſit. Poſtremò, ex eo quòd (ut ſcribit S. Lucas) *factus in agonia prolixiùs orabat*; adeoq; ardentiùs & contentiùs; quò videlicet ſe adverſùs inſurgentes motus potentiùs firmaret, ac ſeſe paternæ voluntati plenâ denique atque integrâ animi propenſione ſubijceret.

*Explic. paſſ. c. 2.*

Ex quibus ſanè proclive erit pauca hæc præcepta colligere. *Primum:* Quâ mentis devotione, quo ardore animi par ſit, nos in Deum ferri, quando apud eum ſalutis noſtræ negotiũ orando pertractamus, cùm Redemptor noſter non tam ſuam quàm noſtram apud Deum Patrem cauſam agens, & exemplo nobis orandi formam præbens, tantâ animi contentione & affectione cordis oraverit. Quâ argumentandi ratione alibi utitur S. Ambroſius, in ſextum Lucæ caput ſic ſcribens; *Species tibi, Chriſtiane, datur, forma præ-*

*L. 5. in Luc.*

*ſcribitur, quam debeat æmulari. Quid enim te pro ſalute tua facere oportet; quando pro te Chriſtus in oratione pernoctat?*

*Alterum:* Inſtante atque urgente tribulatione, hoc acriùs nobis ac ferventiùs orationi eſſe inſiſtendum. Neque tantùm Salvatoris exemplo, qui factus in agonia prolixiùs orabat; ſed etiam ex Regij Prophetæ imitatione; cujus in anguſtijs periculiſq; deprehenſi, plures ſunt pſalmi, ardentium affectuum varietate, & intentis in Deum ſuſpirijs refertiſſimi.

*Poſtremum:* quod itidem monent aſceticæ diſciplinæ Magiſtri: cavendum eſſe diligenter, ne mentis tenebris, ariditate cordis, deſolatione ſpiritûs occupatus, vel ſtudium orandi remittat, vel à bene cœptis reſiliat, vel etiam, quæ priùs fuerant rectè conſtituta, convellat: cùm potiùs eo tempore expediat, (ut rurſum verbis utar S. Ignatij) *provideri & augeri ea, quæ contra deſolationis impulſum tendunt: qualia ſunt* (inquit) *inſiſtere orationi & meditationi, ac pœnitentiæ aliquid aſſumere.* Sic ille, in regulis, quas de motibus animæ, quos diverſi excitant ſpiritus diſcernendis, præclarè ſcripſit.

*Reg. 6. ad mot. anim. &c.*

## §. 4.

### *Quantâ conſtantiâ in oratione perſeveraverit?*

QVarto loco vide mitiſſimi & afflictiſſimi Jesu inſignem in orando perſeverantiam. Erat illi cœlum æreum, & terra ferrea: clamabat, nec exaudiebatur; & ille Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, mutatus ei erat in crudelem. Neq; tamen quicquam remittit de precandi inſtantia, quin adeò prolixiùs orat; ut non improbabile ſit, quod quidam hoc loco ſentiunt, eam Chriſti Domini precationem tres circiter horas tenuiſſe. Jam enim (inquiunt) horæ ſpatium orando exegerat, cùm ad diſcipulos primò adijt, eóſq; ſuaviter increpuit, quòd non potuiſſent

*Job. 30.*

Digitized by Google

iſſent unâ horâ vigilare cum illo. Cúmq; S. Matthæo teſte, poſt hanc & alteram diſcipulorum viſitationem, relictis illis, abierit & oraverit, tertiò eundem ſermonem dicens; non abſurdè credemus eum, huic iterum ac tertiò repetitæ orationi, tantumdem temporis ſingulatim tribuiſſe: quo pacto univerſa ejus oratio tres circiter horas tenuerit; in ingenti illo tædio, pavore, angore afflictiſſimi cordis; cùm interim ipſi, quos (ut in propinquo diſcrimine) vigilare & orare juſſerat, diſcipuli, mœrore gravati ſomno cederent, & vel nullam, vel certè exiguam temporis partem orationi dediſſent. Verùm quod ad ipſam orandi inſtantiam ac perſeverantiam attinet; conſtat Chriſtum interdum orando totas noctes traducere ſolitum; quia, ut ſuperiùs ex S. Luca diximus: *erat pernoctans in oratione DEI.* Totum etiam tempus, quo inter extremos cruciatus, & ſummam virium defectionem pependit in cruce, orationi dediſſe credibile eſt: cùm & identidem, ſive pro crucifigentibus ſe, ſive pro ſe ipſo interpellaret Patrem; modò ſe ab eo derelictum blandè conquerens, modò injunctum ſibi opus humanæ redemptionis conſummatum atteſtans, modò ſpiritum ſuum in manus ejus commendans; ac per ipſa etiam ſilentij ſui intervalla, tacitâ cogitatione, ſeſe Deo in victimam offerens; ut qui intelligeret, ſeſe in opere omnium diviniſſimo, & in ſacrificio poſt homines natos ſolenniſſimo, atq; æterno Patri acceptiſſimo, verſari.

Sanctus quidem Hieronymus, in pſalmum 21. cujus initium eſt: *DEUS, DEUS meus reſpice in me, quare me dereliquiſti? Hoc verſiculo* (inquit) *Dominus in cruce pendens uſus eſt: ex quo animadvertimus, totum pſalmum à Domino in cruce poſito decantari.* Quem ille pſalmum, paſſionis ſuæ adjuncta omnia propheticè deſcribentem, eóq; longiuſculum, non utique tranſcurſim recitaverit, ſed cum ſpeciali animi reflexione ad membra ſingula, & eâ quam pſalmus

ſuggerit, multiplicium affectuum varietate. Nec deſunt qui priora illa cum iſtis extremis Chriſti verbis comparantes, *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum;* ſuſpicentur illum, totos decem pſalmos, qui nimirum à pſalmo 21. uſque ad 30. ex quo extrema illa deſumpta ſunt, in libro Pſalmorum ſeriatim proponuntur, meditando percurriſſe. Quod tamen videtur tum factu, tum creditu difficile; cùm ex SS. Marco atque Matthæo habeamus, Chriſtum priora illa: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me? horâ nonâ, aut circa horam nonam*, adeóq; ſub extrema vitæ ſuæ momenta, pronunciaſſe.

*Guil. Dur. l. 6. c. 77.*

Cæterùm inſpectâ perſeveranti Salvatoris noſtri, per amara illa tædia, letaléſq; animi angores, in appellando Patrem atque deprecando, conſtantiâ. *Primò:* Incuſemus ea in parte torporem noſtrum; ut qui vix horulam unam valeamus piæ meditationi conſtanter inſiſtere; & ſi res ex voto minùs ſuccedat, ad orationis horæve finem, quaſi hæc æquo ſit longior, identidem reſpectamus.

Non ſic Redemptor noſter, qui (quod ſæpiùs inculcari eſt pretium operæ) in agonia poſitus prolixiùs orabat: neq; verò ullo tædio victus, ad diſcipulos ſemel iterúmq; viſendos converſus eſt; ſed ita ſuadente charitate, & paterna de illis ſolicitudine; quò nimirum eos, adversùs inſtantem tentationem, ſecum orare compelleret, & imbecillæ carnis infirmitatem, mentis ac ſpiritûs promptitudine ſupplere.

*Secundò:* proinde ſtudeamus & nos, omni torpore excuſſo, in meditatione precationéve ſemel ſuſceptâ perſeverare: ne Dominum noſtrum in agonia ſolitarium deſtituere videamur; audiamúsq;, quod audierunt diſcipuli: *Sic non potuiſtis unâ horâ vigilare mecum?* Eámq; ob rem, ſi quando vel corporis torpor, vel mentis ariditas, orandi nobis tædium ingeret, expediet interdum fortaſsis horariâ clepſydram, ſi in promptu ſit, ad pedes Crucifixi deponere, eiq;

Digitized by Google

eiq; amanter dicere: Domine Jesu, ob amorem tuum, & ob memoriam prolixæ illius orationis, quam tædio, triſtitiâ, mœſtitiâ, pavore, & mortifero angore oppreſſus, fudiſti in horto Gethſemani, & per quam inſtanti tuæ paſsioni proluſiſti: Volo, cum auxilio gratiæ tuæ, totam horulam hanc in oratione tecum vigilare: neq; ab hoc ſtudio avertet me præſens tædium, hæc mentis ſterilitas aut deſolatio; quin potiùs juvabit me tibi eâ ratione, aliqua ex parte ſimilem eſſe, & velut in conſortium tædij tui atque angoris venire. Etenim quantula eſt hujus meæ triſtitiæ ac deſolationis guttula, ad abyſſum agoniæ tuæ, ad letalem ſudorem, ad globos ſanguinis rivorum inſtar decurrentes in terram?

*Tertiò:* Si nobis, aut alijs rebus, aut corporis mentisve infirmitate præpeditis, otium non ſuppetit, vel non eſt animus, prolixiori rerum divinarum commentationi vacare: ejus rei defectum crebris ad Deum ſuſpirationibus, & in cœlum intentis devotæ mentis jaculis, omniq; adeò bonæ operationis inſtantiâ, compenſare ſatagamus: ut vel ſic illud impleamus, ad quod Chriſtus, non ſolùm facto præivit, ſed etiam verbo nos informavit, dicens: *Oportet ſemper orare, & non deficere.* *Luca 18.*

## §. 5.

### *Vti omnem ſuæ voluntatis propenſionem, Patris voluntati amanter ac plenè ſubjecerit.*

Poſtremo loco conſidera: quem denique fructum Redemptor, ex ſua illa tam attenta, ſupplice, ardente, perſeverante, & omnibus partibus bonæ orationis inſtructâ precatione, collegerit: nimirum plenam atque integram ſui (uti appellant) in manus Patris reſignationem; & ſummam mentis ac voluntatis ſuæ, in re omnium difficillima, in profundo inquam paſſionis ſuæ calice de manu Patris ſuſcipiendo, & tot illis ſeu doloribus ſeu opprobrijs pro mundi ſalute

lute exhauriendis & exantlandis, cum divino nutu conſenſionem. Hinc enim ſunt illa: *Veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Veruntamen non mea voluntas, Pater, ſed tua fiat.* Itaque, qui priùs ad orandum quàm accederet, necis imminentis horrore pavidus, triſtem ſe dicebat uſquè ad mortem, & ipſo orationis principio naturæ propenſioni nonnihil concedens, calicem paſſionis à ſe amoliri nitebatur; nunc orationis beneficio confirmatus, eáq; repreſsâ (quam ad utilitatem informationémq; noſtram in ſe tantiſper admiſerat) pavidæ carnis infirmitate, ecce ut intrepidè occurrit periculis, & in ipſa inimicorum tela ultrò ſe quodammodo induit, atque ad idem audendum diſcipulos provocat, dicens: *Surgite, eamus; ecce appropinquavit, qui me tradet.* Perinde acſi rurſum diceret, quod extremo ſermone ſub egreſſum è cœnaculo illis denuntiârat: *Vt cognoſcat mundus, quia diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio: Surgite, eamus hinc.* Quonam autem, Jesu dulciſſime, niſi ad vincula, ad contumelias, ad colaphos, ad ſannas, ad ſputa, ad flagella, ad coronam ſpineam, ad crucem, ad vulnera, ad mortem? ô diei unius iter immenſum! Veruntamen vel ſic eamus, inquit, ut eo inſigni documento mundo demonſtrem, quali tum amore, tum obſervantiâ proſequar Patrem, útq; illius divinum beneplacitum, quantumvis aſpera & à carnis ſenſu abhorrentia proponantur, rebus omnibus, ipſiq; adeò vitæ meæ, anteferam. Quamobrem Henricus Harphius aſcetam ſuum, ad agoniæ Chriſti (cujus item imagine, uti & ſepulturæ Dominicæ, ſpecialiter capiebatur S. Carolus Borromæus) accuratam contemplationem provocans: *ibi namque* (inquit) *nudus amor, ſine omni refrigerio ſpiritualis conſolationis, in tam horribili colluctatione tam magnificè triumphavit.*

*Matth: 26.*

*Joann. 14.*

*L. 3. Theol. Myſt. c. 26.*

Hinc diſcemus *primò:* quanta ſit orationis efficacia; quæ utique tempeſtivè adhibita dolores levat, mœrores abſter-

tergit, umbras diſcutit, terroribus vanis atque ſupervacuis liberat, dejectos animos erigit, languentes corroborat, labantes confirmat, inclinatis adminiculatur, vires ſuggerit, mentem erudit, affectus convertit atque immutat, & ad ea quæ priùs reformidabamus, audentes nos ac promptos facit, denique quibusvis periculis, laboribus, ſupplicijs, ipſáque morte ſuperiores fortioresq; reddit.

*Secundò:* quidnam ſit, quod potiſsimùm debeamus in oratione ſpectare, quò omnes conatus actúsq; noſtros dirigere, & ad quem denique tanquam ſcopum, univerſam vitæ ſpiritualis exercitationem referre: videlicet, ut pro ſupremi Numinis amore ac reverentia, noſmet ipſos in omnibus abnegantes, voluntatem noſtram divino ipſius beneplacito ſubjungamus, idem velimus, idem nolimus per omnia, nihilq; de nobis, ſive pro tempore, ſive pro æternitate anxiè ſoliciti, nos totos in eum, ejúsq; adorandam & amabilem providentiam, projjciamus ac conſignemus, eiq; tandem amore puro & caſto adhærentes (quæ Apoſtoli phraſis eſt) unus cum eo ſpiritus efficiamur.

Quem conformitatis conſenſionísq; cum Deo gradum qui attigerit, intelligat ſeſe ad ſummum Chriſtianæ virtutis & religioſæ perfectionis apicem, ad pacem animi ſupremam & imperturbabilem, quin etiam (quoad mortali fas eſt) ad beatæ vitæ conſummationem perveniſſe.

*Tertiò:* Ad hunc tam ſublimem virtutis ac perfectionis gradum, non poſſe abſque pugna, ſudore & ſanguine deveniri. Quippe nobis ipſis adversùs nos ipſos pugnandum eſt, extinguenda in nobis peccati cupiditas, extirpanda vitia, coërcendi contumaces affectus, amor ipſe noſtri adversùs ſpiritum & Deum rebellans, & quo Dei Amor nullum habet hoſtem inferiorem, expugnandus & proculcandus eſt, novus homo, vetere exuto & abdicato, induendus; breviter, nihil penitus noſtri, hoc eſt, quod ut noſtrum & no-

& noſtri gratiâ, non autem ut Dei & ipſius causâ, amemus, in nobis vivere permittendum: ſive (ut nonnulli dixêre, cum aliqua quidem exaggeratione, ſed ad rem oculis ſubijciendam appoſitè, Theologiæ myſticæ Doctores) nulla in nobis reſtare debet gutta ſanguinis, quæ non ſit divino amore excocta.

*Suſo ſerm. 4. Bloſ. inſt. ſp. c. 7. Eckardus apud Thaul. &c.*

Quæ ſanè, nimisquam fallitur, qui putaverit, opus (ut ita dicam) unius diei, aut defunctoriæ operæ laborem eſſe, aut abſque agone, lucta, vulnere, evinci & obtineri poſſe. Veruntamen devota voluntas cum divina gratia poteſt omnia; & pedetentim ac paſſim progrediendo, aſcenditur etiam ad ſumma. Quare quotidiano orationis ſtudio, & abnegationis ſui exercitio, naturæ pravitas parte aliquâ vincenda & emendanda eſt, quò ſenſim diſcat eſſe ſubjecta; déq; homine veteri, & inolitâ nobis vitiorum rubigine, aliquid aſſiduè deterendum: habendúmq; præ oculis opportunum in præſens, præceptum S. Franciſci Xaverij; qui, ut proditur in ejus vita: *Socios identidem admonebat, ut ſemet parvis in rebus vincere aſſueſcerent: ita demum magnorum certaminum fore victores.*

*L. 4. Vit. c. 9.*

Atque iſti ferè ſunt fructus, quos ex horto Gethſemani, & memorabili in illo Chriſti oratione colligendos putavimus.

# Caput III.

## *Imitatio Chriſti circumducti per vias Jeruſalem.*

### §. I.

*Chriſti per vicos & plateas raptati conſideratio.*

Cum, ut principio hujus quintæ partis diximus, omnis Chriſti actio, noſtra ſit inſtructio; & vel fimbria veſtimen-

ſtimenti ejus ſalutari contactu adhibita, hoc eſt (ſicut licet interpretari) etiam extrema ac minima ſacræ ejus humanitatis operatio piâ meditatione tractata, multùm valeat ad curandas noſtras infirmitates: poſſumus & ex his Salvatoris noſtri itineribus, nonnulla ad uſus quotidianos ſalutaria deducere, & ad propoſitum nobis exemplum, mores noſtros utiliter informare.

Inprimis igitur conſiderabis, quemadmodum benigniſſimus JESUS, ab inſolenti lictorum ac ſatellitum turba, non tam circumducitur, quàm ultrò citróq;, de tribunali ad tribunal, raptatur per vicos & plateas Jeroſolymæ; quo militum clamore; quo populi undiq; confluentis concurſu; quàm varijs ſpectantium aut comitàntium affectibus: dum alij mirantur tantum Prophetam tam barbaris & indignis tractari modis; alij, & plures, ſeductorem, veneficum, ſacrilegum inclamant; alij, & pauci, ut in tanto numero, atteſtantur ejus innocentiam, & ſubitam rerum converſionem, hominisq; ſanctiſſimi vices, ac ſortem iniquam miſerantur. Inſere te quoque ei comitantium turbæ, & præeuntem Dominum devotis veſtigijs aſſectans, ea quæ geruntur, attentiùs contemplare.

Inſpice præſertim, quo inter hæc habitu Salvator, quàm modeſtâ atque honeſtâ (quantùm ei quidem per militarem inſolentiam licebat) totius corporis compoſitione proceſſerit: quâ verecundiâ, quo pudore ſuffuſus, non tam ob ſannas & opprobria, quibus undique atrociter impetebatur homo manſuetiſſimus & innocentiſſimus, quàm quòd ante oculos Patris irati compareret, portans iniquitates noſtras, & tanquam hircus emiſſarius, populi peccatis & imprecationibus onuſtus, per urbis vicos circumduceretur, mox eijciendus extra caſtra, & veluti in ſolitudine ferarum dentibus ad certam mortem obijciendus. Itaq; vultu rubore confuſo, quòd ſpeciem ac perſonam peccatoris gere- *Levit. 16.*

ret, humi obverſos tenebat oculos, niſi quòd ſubinde illos ſuſtollebat in cœlum; id præſertim agens atque contendens, ut Patrem ſuum mundo placaret, & ſuâ illâ confuſione, ab æterno nos opprobrio & confuſione liberaret.

## §. 2.

### *Nonnullæ ad eam imitationem opportunæ præceptiones.*

ERgo ad nonnullam Redemptoris tui in re propoſita imitationem, iſta quæ ſubijcimus attende.

*Primò:* Quando procedes in publicum, id eâ tui circumſpectione, eâ corporis ac vultûs compoſitione, facito; quaſi Chriſtum Dominum per vias Jeroſolymæ circumductum, aut jam crucem ſuam bajulantem, comitareris; æmulari ſtudens illius inſignem modeſtiam, quam ita commendat Apoſtolus, ut per illam Corinthios obſecret, dicens: *Obſecro vos per manſuetudinem & modeſtiam Chriſti.* *2.Cor. 10.*

*Secundò:* Procede cum interiori mentis confuſione, memor peccatorum tuorum, quibus & æterna inferni ſupplicia meritus es, & cauſam præbuiſti tot ſupplicijs ac doloribus, ipſiq; adeò amariſſimæ morti Domini ac Dei tui.

Finge peccata tua atq; imperfectiones toti mundo notas, & te ut hujus iſtiúsve vitij fœditate conſpicuũ ab omnibus notari. Quemadmodum de B. Franciſco Borgia accepimus: *l. 4. Vit. c. 1.* qui cùm ab inferni meditatione recens veniret, ſolito triſtior per vias incedere viſus eſt; quòd omnes crederet, ſe tanquam hominem ab inferis exiſtentem intueri.

Aliàs (quod huc quoq; pertinet) finges te, ut reum & ſcelerum tuorum vinculis conſtrictũ ad tribunal duci divinæ Juſtitiæ. Quod quidem re ipſâ verum eſt, ſi rectè attendimus: quandoquidẽ hæc vita mortalis, nihil niſi via ſit, primùm ad mortem, deinde ad divinum judicium: tametſi ea via fortaſſis aliquantò longior eſt futura. Ut igitur reus qui ad Judicis tribunal trahitur, incertus de vitæ mortíſve ſenten-

tentia, inter eundum non petulanter laſcivit, aut inſolenter exultat, ſed vultu dejecto & mente ſolicitâ incedit, nihil admodum ſolicitus, quid ab alijs rerum agatur, ſed unum id cum animo ſuo verſans, quem tandem res ſuæ exitum videantur habituræ: ita te convenit, tanquam reum ad DEI tribunal raptatum, rerum alienarum, aut omnino eorum, quæ mundi ſunt, incurioſum pertranſire, & ſolicitum ambulare cum DEO tuo; id ſeriò tecum reputantem, quem viæ tuæ terminum tandem habiturus ſis, aut quam rerum tuarum rationem ſupremo Judici redditurus.

Ita porrò fiet, ut per vias incedens, neque oculis malè curioſis videas vanitatem, neque ſuperbè te efferas, neque inaniter joceris aut exultes, nec denique noxia aut vana & ſtulta cogites; ſed cum verecundia & modeſtia Chriſtiana vias obiens, & vel greſſus tuos cum Chriſti greſſibus conjungens, vel aliud quidpiam ſalutare mente pertractans, quot humi paſſus figes, totidem ad cœlum gradibus te promoveas.

*Tertiò:* Hæc tibi præſertim dicta exiſtimes, ſi vitam religioſam, aut perfectionis ſtudium profiteare. Æquum quippe eſt in tuis moribus, ipſóq; vultu atque externa ſpecie elucere quiddam, quo præ cæteris agnoſcaris Chriſti diſcipulus; atque ex illius imitatione, omnis tua actio intuentium ſit inſtructio. Ut enim rectè S. Ambroſius ad illud Pſalmi: *Qui timent te, videbunt me, & lætabuntur: Plerisque* (inquit) *juſti aſpectus admonitio correctionis eſt, perfectioribus autem lætitia.* Qui proinde ſubdit, aſpectum juſti admodum eſſe ſalutarem, & vel ipſos oculorum radios virtutem quandam videri intuentibus infundere. Idq; ſpeciatim valuiſſe in Magno Antonio teſtatur S. Athanaſius, dicens, quòd etiam qui ejus eſſet ignarus, *nullo indicante ad Antonium currebat, & animæ puritatem agnoſcebat in vultu, & per ſpeculum corporis, gratiam ſanctæ mentis intuebatur.* *Serm. 10. in pſ. 118.* *Vita c. 40.*

 Igitur

Igitur inſtar Sanctorum illorum, qui (ut in Apocaly-
Apoc. 14. pſi legimus) ſequebantur Agnum, *habentes nomen ejus, & nomen Patris ejus ſcriptum in frontibus ſuis*; in omni via tua Agnum ſequere, eáq; tum interioris tum exterioris hominis modeſtiâ & compoſitione procede, ut qui te viderint, in fronte tua, hoc eſt, in ipſa externa ſpecie, legant inſcriptum nomen Agni, & nomen Patris ejus; hoc eſt, agnoſcant, quòd ſpecialiter Chriſti crucifixi ſectator ſis, & per omnia divinæ gloriæ exaggerandæ ſtudioſus.

Hoc ut aſſequare (quoad licebit) inter vias animum ſanctâ aliquâ commentatione occupa. Imitare Sponſæ ſolertiam, quæ etiam per vicos & plateas quærit dilectum animæ ſuæ. Habe ſemper Jesum præ oculis, & amabilem ſacræ ejus humanitatis ſpeciem, quocunque perges, tecum circumfer. Attende illum (ut dicebamus) modò ut procedentem ad hortum Gethſemani, animo mœſtum atque pavidum; modò ut probroſè diſtractum ad Annam, Caypham, Pilatum, Herodem; modò ut onuſtum oppreſſúmq; ferali ligno, ad locum ſupplicij raptatum.

Speciatim autem, quando ad Miſſæ Sacrum te conferes, compone te, ut unum ex amicis Chriſti, aut ſanctis mulieribus, quæ eum pergentem ad collem Calvariæ, pijs greſſibus ac lacrymis proſequebantur. Cogita item, ſi afflictiſſimus Jesvs crucem bajulans inter vias tibi occurreret, annon cum bona Berenice, divinum ejus vultum, ſudore, fletu, cruore confuſum, oblatâ ſindone, quoad ejus fieri poſſet, libens abſtergeres? At enim ecce tibi occurrit in iſto paupere: ejus laboré & inopiam, Chriſti intuitu, promptâ ſtipe ſubleva: & aliquatenus, madentem vultum Domini ac dilecti tui, ſudario terſiſti.

His aliiſve ejuſmodi pijs cogitationibus & affectibus, Chriſtum per vias Jeroſolymæ deductum, aſſectari & imitari poteris: ſic tamen ut iſta, velut ſub manu, & ex ipſa re naſci

naſci debeant, non autem ut ullâ violentiâ convexetur animus, cum periculo obtundendi capitis, aut valetudini incommodandi.

# CAPVT IV.

## *Imitatio Chriſti ab Herode ſpreti atque illuſi.*

DE hoc ita paucis Evangeliſta: *Sprevit autem illum Herodes cum exercitu ſuo, & illuſit indutum veſte albâ:* ubi binæ iſtæ voculæ magnum profectò pondus habent: *ſprevit, illuſit.* Nam publico tanquam præjudicio, ſpernitur Deus Majeſtatis, Sapientia Dei illuditur: quæ prætereunda viſa non ſunt abſque aliquâ propriâ conſideratione. *Lucæ 23.*

### §. I.

### *Conditionum rei propoſitæ expenſio atq; æſtimatio.*

P*Erpende hîc primò:* Manſuetiſſimum Redemptorem noſtrum in paſſione ſua, omni in loco in quo verſatus eſt, atque ab omni hominum genere inter quos verſatus eſt, ſpretum, illuſum, deriſúmq; fuiſſe; etiam his locis & ab his perſonis, in quibus, aut à quibus nullum alioqui ſpecialem cruciatum acceperit: cùm tamen è contrà, uti tangetur in ſequentibus, omnibus ipſius cruciatibus ignominia implexa fuerit. Ut non temerè dici poſſit, Chriſti Domini paſſionem ac crucem, generaliùs ac potiùs contumeliâ atq; dolore conſtitiſſe.

Itaque & in horto Gethſemani fœdo oſculo à diſcipulo proditur, quaſi latro vincitur; & in Cayphæ domo, *qui tenebant eum* (inquit S. Lucas) *illudebant ei cædentes; & Herodes* (in quo nunc verſamur) *illuſit indutum veſte albâ;* atque in Præſidis prætorio, *genu flexo illudebant ei;* in cruce deni- *Lucæ 22.* *Matt: 23.*

denique (ut ipſis Evangeliſtarum verbis rem explicare pergam) *prætereuntes blaſphemabant eum; & deridebant eum Principes; & ſummi Sacerdotes; illudebant autem ei & milites; id ipſum autem & latrones improperabant ei.* En ut omni loco & ab omni conditione mortalium, à diſcipulis, à miniſtris, à militibus, à latronibus, à prætereuntibus, à Scribis, à Sacerdotibus, à Principibus, à Regibus, DEI Filius noſtrâ causâ ſpernitur, illuditur. Ut proinde rectè Simon de Caſſia dicat, ad profundum contemplationis noſtræ pertinere, *quòd divina Sapientia voluerit reputari ſtultitia, & potentia, infirmitas; ut ipſe Chriſtus fieret opprobrium hominum, & abjectio populorum, & deriſio Regum.*

Matth: 23. Marc. 15. Luc: 23. L.13. de paſſ.

*Perpende ſecundò:* Quàm acerbum fuerit Chriſto Domino illud toties repetitum exaggeratúmq; (atque id præſertim, quod in Herodis regia pertulit) illuſionis opprobrium. Nam cùm inter omnia quæ adverſa contingunt, viro cordato ac generoſo, etiam præ quovis cruciatu corporis, acer ſit ignominiæ ſenſus (quò illud ſpectat verbum priſci Poëtæ: *Patior facilè injuriam, ſi eſt vacua à contumelia*) tum præſertim illudi grave eſt, hoc eſt, per contemptũ aliorum ludum fieri. Ideóq; paſſionem ſuam diſcipulis prænuntians Salvator, ſpeciatim ac propriè illuſionis meminit: *Tradent eum gentibus ad illudendum*, ut Matthæus; *Illudent ei & conſpuent eum*, ut Marcus; *Illudetur & flagellabitur*, ut Lucas expreſsè annotârunt.

Pacuv. Matth: 20. Marc: 10. Luc: 18.

Atque id potiſſimùm verum eſt, cùm res agitur hujuſmodi, ut quis pro fatuo ſeſe deſpici intelligat, eóq; nomine ſeſe aliorum ludum & jocum eſſe ſentiat: quandoquidem & nuda fatui appellatio, de Salvatoris ſententia, ſupremũ quoddam contumeliæ genus eſſe videtur. Et ſanè cùm juxta Sapientûm definitionem, ipsâ ratione differat homo à beſtijs: qui ut rationis ac mentis inops cæteris habetur deſpicatui, is de hominis gradu quodammodo deijci, & ad bruto-

Matth: 5.

Digitized by Google

brutorum claſſem ac tribum amandari videtur. Quamobrem invenientur fortaſſis, qui cætera etiam animi vitia, morúmq; probra, objectari ſibi non ita ægrè ſuſtineant, cùm ſubinde ſint, qui de his etiam per vecordiam glorientur: attamen ut fatuum alijs eſſe deridiculo, ut prudentiâ ſenſúq; carentem, in hominum ore atque exiſtimatione verſari, eóq; vel vulgi fabulam, vel cæterorum ludum fieri, id quidem nemo eſt aliquantò cordatior, qui (humanitùs loquendo) æquo animo ſibi ferendum aut tolerandum exiſtimet. Quò magis oporteat grave fuiſſe intolerandúmque DEI Filio, pro fatuo deſpici atque illudi; qui & ſecundùm DEI formam, ex ſuæ hypoſtaſis proprietate, ipſiſſima eſſet ac primigenia Sapientia; & ſpectatus ut homo, plenus erat gratiæ & veritatis, ideóq; tanquam Magiſter orbis à Patre mundo propoſitus, dum de nube edixit: *Ipſum audite: quia* (interprete S. Leone) *ipſe eſt veritas & vita, ipſe virtus mea atque ſapientia.* *Matth. 17.* *Serm. de transfigur.*

*Perpende tertiò:* ad hanc ipſam tot opprobriorum, quæ in paſſione tulit Salvator, tum gravitaté, tum acerbitatem declarandá; eum tanto antè ore Prophetico de ſemetipſo dolenter dicere: *Ego enim ſum vermis, & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis.* Quæ quidem poſtrema Tertullianus, ut ſuprà indicare memini, ſignificantiùs ex Græco ſic vertit: *ignominia hominis, & nullificamen* (ſeu *nullificatio*) *populi:* quaſi videlicet his ſignificet Redemptor noſter: ſeſe ab hominibus contemptum, calcatum, protritúmq; fuiſſe, tanquam ſi homo eſſet nullius pretij, aut qui nullo numero inter homines haberetur. Quod item (licet minùs apertè) ſonat ipſum abjectionis vocabulum in lectione vulgata: quia nimirum non abijcimus, niſi quæ nihili facimus. *Pſal. 21.* *l. 3. contra Marcio. c. 7.*

Quò etiam ſpectat, quòd ab Iſaia *noviſſimus virorum* appellatus eſt; ſive, ut legit idem Tertullianus: *deficiens citra* *cap. 53.* *l. 3. cit. c. 7. & 17.*

Digitized by Google

*tra filios hominum*, aut *citra omnes homines.* Ubi etiam eruditi obſervant, poſſe hebræa rectè verti; *ceſſatio* ſeu *deſitio virorum:* quaſi videlicet in paſſione ſua Chriſtus eouſq; depreſſus fuerit, ut jam in extremo poſitus eſſet conditionis humanæ, nec eſſet quò ultrà deſcenderet, niſi ceſſaret eſſe homo: neque verò jam quidquam hominis, præter ignominiæ verecundiam, doloriſq; ſenſum retinere videretur. *Ignominia hominis, & nullificamen populi.* Eadémq; vis eſt vocis græcæ in verbis illis Marci c. 9. *Scriptum eſt in filium hominis, ut multa patiatur & contemnatur;* ubi pro *contemnatur*, Tertulliani exemplo, rectè verteris, *nullificetur:* hoc eſt, *nihilipendatur, nihilifiat;* aut certè quod ſonat etiam ipſa Græca vox, *in nihilum redigatur.*

Itaque in paſſione ſua Dei Filius unigenitus, non tantùm nihili, ſed etiam nihilum quodammodo factus eſt. In quo jam proinde, & alteram, eámq; extremam, Domini tui exinanitionem, ſeu (ut vulgò loquimur) annihilationem poſſis agnoſcere. Qui cùm primùm ſeſe exinaniſſet uſque ad formam ſervi & ſimilitudinem hominis, ſuſceptâ noſtrâ humilitate; demum exinanivit ſemet ipſum quodammodo uſque ad non hominem, dum & vermis formam aut ſimilitudinem ſuſcepit, & pro fatuo habitus (quæ propria eſt hujus loci conſideratio) quaſi infra hominem cenſus fuit.

## §. 2.

### *Earundem rerum ad uſus noſtros traductio.*

TRaducamus nunc in rem noſtram, quæ modò à nobis paulò pluribus expenſa atque æſtimata ſunt, atque ex ijs pro inſtituto quædam limatioris diviniorísq; vitæ præcepta ac documenta colligamus.

*Primum:* ut Doctoris Duciſq; noſtri cœleſtis, tum eruditi magiſterio, tum documentis atque exemplis animati, eò aſſurgamus denique, ut neque putemus Chriſtiano homi-

ni

ni tanti faciendum mundi honorem ac gloriam, neque ea, quæ his adverſa ſunt, adeò metuenda exiſtimemus. Imò jam non ægrè feramus hominum opprobria, inſectationes, illuſiones: quando Dominus noſter, & eos beatos pronunciavit, qui pro ſui amore maledicta & probra ſuſtineant, & eam ſibi vitam elegit, quæ tota eſſet ex opprobrijs illuſionibúsq; contexta. Alius eſt, ſcio, mundi ſenſus, aliæ leges & inſtituta hujus ſæculi: at etiam ſcimus, ita docente Scripturâ divinâ, quòd apertâ jam ſcholâ Crucifixi, *ſtultam fecit* (hoc eſt, oſtendit) *DEUS ſapientiam hujus mundi*; & *quicunque voluerit amicus eſſe ſæculi hujus, inimicus DEI conſtituitur.* Chriſtiani certè à Chriſto, non à mundo dicimur, neque mundi ſectam, ſed crucis diſciplinam profitemur: neque verò mundus pro nobis redimendis crucifixus eſt, neque à mundo ſalutem aut vitam æternam expectamus. *1. Cor. 1. & 3.*

Veruntamen uſque huc, Domine JESU, quod de te ſenex prænuntiavit Simeon, poſitus es in ſignum cui contradicitur: uſque modò in cruce extendis manus tuas ad populum non credentem & contradicentem. Ut enim infideles omittam, qui te etiamnum ut patibulatum & ſuſpendioſum execrantur; nunquid & nos qui Chriſtiani, hoc eſt, ſequaces tui dici volumus, multifariàm tibi contradicimus? cùm tu in cruce tua, hoc eſt, in humilitate, abjectione, opprobrijs, ſummam divinæ cujusdam ſapientiæ conſtitueris (propter quod etiam obſervant nonnulli crucem Chaldaicè *Maſcal*, id eſt, Sapientiam appellari) nos alia omnia ſapientes, factis ipſis tibi contradicimus, & (quod flens dicebat Apoſtolus) ut inimici crucis tuæ, ambulamus; & dum ſapienti crucis tuæ ſtultitiæ ſtultam mundi ſapientiam anteferimus, verè ac re ipsâ ſtulti ſumus. *Philip: 3.*

Quid enim, obſecro, ſtultius eſſe poteſt, quàm mundi legibus moribúsq; vivendo, temporalia opprobria adeò metuere, & opprobria ſempiterna non formidare? Qua-

 propter

Ep. 49. q. 6. propter rectè S. Auguſtinus, Chriſtum ut opprobrium hominũ, & ut vermem in cruce conſiderans: *Nos hunc agnoſcamus* (inquit) *& pro ſalute divina, humana opprobria ſufferamus.* *Alterum:* Quod præſertim homines reſpicit, virtutis juxta ac litterarũ ſtudioſos: ut in eo ſpeculo aſpicientes, noſtri gratiâ, non tantùm exinanitam majeſtatem, ſed etiam quodammodo infatuatam DEI Sapientiam, non tantopere ſoliciti ſimus, de comparanda tot laboribus, aut retinenda opinione ſapientiæ: multò minùs, ut ipſa laborum ſtudiorúmq; contentione, uti vilia gloriolæ mancipia, popularem auram avidè ſordidéq; captemus.

Quam in rem mihi ſublimis viſa eſt B. Angelæ Fulginienſis Philoſophia: quæ nimirum Chriſti ſummam paupertatem ac nuditatem declarare inſtituens, eum ait non ſolùm fuiſſe ſummè inopem rerum temporalium, verùm etiam amicorum favore deſtitutum, & (quod in hoc genere extremum eſt) etiam ſe ipſum ſemetipſo quaſi expoliâſſe; eò quòd, ut ipſa ait, privârit ſe quodammodo ſuâ potentiâ, ſuâ ſapientiâ, ſuâ famâ ſanctitatis & innocentiæ. Quod autem huc propriè ſpectat, de hac ſapientiæ paupertate ita loquitur: Vit. c. 59. *Voluit enim Dominus noſter JESUS Chriſtus, apparere ut ſimplex homo, & ignorans, & inſipiens & fatuus, & non ut philoſophus aut Doctor verboſus, &c. viam veritatis nobis oſtendens, quòd non de ſcientia ſeu ſapientia gloriari debemus, neque ipsâ inflati, velimus coram hominibus nomen Magiſterij acquirere, ſeu vanam gloriam manducare.* Ita illa ſimplex Theodidacta, ex cujus congreſſu & colloquio (ut principio monuimus) ſeſe alióſq; multùm in ſpiritu profeciſſe, mutatóſq; in viros alteros, teſtatur Ubertinus de Caſali, ut eam Prol. 1. idcirco non dubitet matrem pulchræ dilectionis appellare.

Hinc etiam Seraphicus S. Franciſcus, ſanctæ paupertatis ſtudium ac perfectionem ſuis commendans: *Ad hujus* Vit. c. 7. (ajebat) *culmen qui cupit attingere, non ſolùm mundanæ pruden-*

Digitized by Google

*dentia, verùm etiam litterarum peritiæ renuntiare quodammodo debet, ut tali expropriatus poſſeſſione, introëat in potentias Domini, & nudum ſe offerat brachijs Crucifixi.*

Et S. Ignatius filios ſuos hac ipſâ arte erudiens, ait: eos, qui Chriſtum Dominum noſtrum feriò ſequantur, amare debere omnia mundo contraria; *adeò ut ſi ſine offenſione ulla divinæ Majeſtatis, & abſque proximi peccato foret, vellent contumelias, falſa teſtimonia & injurias pati, & ſtulti haberi & exiſtimari: eò quòd exoptant aſſimilari ac imitari aliquo modo Creatorem ac Dominum noſtrum JESUM Chriſtum, ejúsq; veſtibus & inſignibus indui: quandoquidem illa ipſe propter majorem noſtrum profectum ſpiritualem induit, nobisq; exemplum dedit: &* quæ ſequuntur. Et in Exercitiorum libello, uti ſuperiùs indicatum eſt, velut ſupremum humilitatis modum proponit; ut etiam exiſtente pari DEI gloria, *ad majorem tamen imitationem Chriſti eligamus potiùs, cum eo paupere, ſpreto, & illuſo, pauperiem, contemptum, & inſipientiæ titulum amplecti.* Qui demum, quod alijs præciperet, ſibi ipſe aſſumens: *Ludibrio omnibus eſſe cupiebat, & ſi animo indulgere ſuo voluiſſet, nudus, deſpicatus, & oppletus ſordibus, ut inſanus haberetur, per vicos ambulaſſet;* ut ſcribit P. Ribadeneira in ejus vita.

Exam. c. 4. §. 44.

L. 5. c. 3.

## §. 3.

### *Variæ laudabilis inſaniæ ſpecies, ex Chriſti amore atq; imitatione, procedentes.*

P*Oſtremum:* Cùm plures eſſe videantur, eorum, qui (Apoſtoli phraſi) propter Chriſtum ſtulti facti ſunt, aut (ut loquitur S Gregorius) laudabilis fatuitatis, rationes; eas licebit diſciplinæ gratiâ ad tres quaſi ſpecies reducere.

*Prima eſt:* eorum, qui à mundi rebus atq; affectionibus abſtracti, ſoliq; DEO inhærentes, ea quæ mundus amat & amplectitur, toto animo refugiunt; quæ autem ille a-

 verſa-

verſatur, paupertatem, dolorem, contemptum, ea ex Chriſti inſtituto atque exemplo, cupidè ſibi conſectanda exiſtimant, *ſapienti quâdam inſaniâ* (ut de priſcis monachis quidam veterum locuti ſunt) in ſe ipſos crudeles, & ſibimetipſis quodammodo hoſtes effecti.

Hi enim fatuis mundi amatoribus, ſtulti videntur atque inſani: unde eſt illa reproborum vox in libro Sapientiæ: *Nos inſenſati, vitam illorum æſtimabamus inſaniam.* Et apud Sanctum Job: *Deridetur juſti ſimplicitas*; quia nempe (ut ibi S. Gregorius) *quidquid in opere veritas approbat, carnali ſapientiæ fatuum ſonat. Quid namque ſtultius videtur mundo* (ſubdit) *quàm pro maledicentibus orare, paupertatem quærere, poſſeſſa relinquere, rapienti non reſiſtere, percutienti alteram maxillam præbere?* Quibus ſimilia alio quodam loco repetit, agens de conſcenſa à Zachæo Sycomoro, hoc eſt, ficu fatuâ: *Quaſi enim* (inquit) *Sycomorum nos conſcendere Dominus præcipit, cùm dicit: Qui aufert quæ tua ſunt, non repetas, &c.*

*Sap. 5.* *Job. 12.* *Lib. 10. Mor. cap. 16.* *L. 27. Mor. cap. 27.*

*Secunda* eſt eorum, qui inſolito fervore ſpiritûs, & inſano quodam in Chriſtum aut proximum amore correpti, ad ea ſubinde optanda atque audenda proſiliunt, quæ communem etiam Sanctorum ſenſum affectúmve tranſcendere videantur.

Quomodo nos in ſuperioribus, eorum qui hac ratione in Dominum inſaniant (uti loquebamur cum S. Chryſoſtomo) exempla nonnulla protulimus. Aliáq; profert S. Bernardus libro de natura & dignitate Divini Amoris, ubi inter cætera: *Audi ſanctam inſaniam: ſive mente* (inquit) *excedimus DEO. Vis ad hæc audire inſaniam? Dele me de libro tuo quem ſcripſiſti. Vis aliam? Optabam ego ipſe anathema eſſe, &c. Nonne quadam mentis bene affectæ ſana quadam videtur inſania, fixum in affectu pro Chriſto, anathema velle eſſe à Chriſto? Hæc Pauli inſania, cùm diceret ad eum Feſtus:* *Inſa-*

*cap. 3.*

Digitized by Google

*Inſanis Paule.* *Hac inſaniâ inſani erant Martyres inter tormenta videntes.* Hæc & plura Bernardus.

Eodémq; ſpectant illæ in ſpeciem parum ſanæ actiones, quas Sancti ſive in mentis & amoris exceſſu, ſive in raptu prophetico, ſubinde exercere conſpiciuntur. Unde de ſe ipſo S. Bonaventura: *Qui me vident* (inquit) *derident; & quòd tuo amore ſim ebrius, non cognoſcunt. Dicunt enim, quid iſte inſanus vociferatur in plateis? Ignorant, quòd amor tuus intenſus impedit uſum ſenſus, & qui te ferventer quærit, ſe ipſum & omnia derelinquit.* Et S. Ambroſius ad illa verba pſalmi 39. *& inſanias falſas: Sunt ergo* (ait) *& veræ inſaniæ, & forſitan Prophetarum, qui in exceſſu mentis poſiti prophetabant, repleti DEI ſpiritu, ut quibusdam inſanire viderentur.* P. 1. Stim. c. 2.

Extat denique apud Lucam Wadingum inter S. Franciſci opuſcula, canticum quoddam metris conſcriptum Italicis, ubi is Sanctus Chriſtum alloquens, ejúsq; amore ſeſe inſanire profitens, ait eò ſe eſſe excuſabilem, quòd idem amor qui ſe redigit ad inſaniam, etiam ipſi Chriſto videatur ſapientiam abſtuliſſe. Quanquam id alij B. Jacopono attribuunt. *Tertia* eſt eorum, qui ſeſe omnino abijciendi, Chriſtúmq; propiùs imitandi deſiderio, re ipsâ ſe geſſêre pro fatuis, ea ſtudioſè dicentes ac facientes, quæ non niſi mentis emotæ homines ſolent, ut hac ratione inſani paſſim exiſtimarentur. Quo in numero ſunt Simeon Salus, & Marcus, & modò memoratus Jacoponus, aliiq; quorum acta Raderus noſter Viridarij ſui parte 3. recenſet. tom. 3. opuſc.

Verùm id, ut multis obnoxium difficultatibus, neque temerè cuiquam ſuadendum, neque abſque certo & ſpeciali Spiritûs ſancti inſtinctu ſuſcipiendum.

Illud potiùs laborandum nobis in propoſito; ut, conſcensâ crucis ſycomoro, & omni abjectâ honoris noſtri curâ ſupervacuâ, ita animo ſimus comparati, ut ſi ita ferret DEI gloria, etiam ſtulti exiſtimari cuperemus; & ſi qua incidat

incur-

incurrátve in nos ejusmodi contumelia, eam non modò patienter, ſed libenter etiam ſuſtineamus: potiſſimùm autem ne hominibus placendi ſtudio, dum non tam ſapientes eſſe, quàm videri & audire volumus, ſimiles jumentis inſipientibus, inanis gloriæ paleas (B. Angelæ verbo) manducemus.

# CAPUT V.

## *Imitatio Christi ad columnam alligati & flagellati.*

### §. I.

### *Flagellationis Chriſti atrocitas & indignitas.*

UT exoptatum è præſenti exercitio fructum certiùs conſequaris: Pone tibi primùm ob mentis oculos triſte ſpectaculum; DEI Filium, agnum innocentem, hominem prudentiſſimum, vultu benigno, amabiliſſimis moribus, ſpecioſum formâ præ filijs hominum, per ſummum opprobrium, indignitatem, immanitatem, in conſpectu petulantis exercitûs veſtibus nudatum, & manibus conſtrictis columnæ alligatum, ac denique à validis tortoribus hominibúsque perditiſſimis, inhumanè conſciſſum flagris, ac propemodum confectum. Vide, ut ad primos verberum incuſſus, vibicibus rubent Regis gloriæ, innocentes artus; mox ut livorem atrorémq; contrahunt, demum ut diſſecti ſauciatíq; cruentantur. Aſpice, ut tandem repetitis ac congeminatis ictibus, virgineâ & delicatâ carne ejus omni ex parte dilaniatâ atque conciſâ, totus operitur ſanguinis ſui purpurâ, & invicem collectis coëuntibúsq; per membra guttis, rivi decurrunt ſacri cruoris. Jámq; totum corpus unum vulnus eſt; adhuc tamen ſulcantur artus laceri, atque jam non membra, ſed vulnera vexantur. Ecce ut denique furore

Digitized by Google

rore torquentium laſſato, reſolutiſque vinculis, viribus defectus humi labitur, & inſtar vermis pede preſſi atque obtriti, in ſuo tabo ac ſanguine volutatur. ô! ſpectaculum vel ipſis hoſtibus (niſi furore & amentiâ cœci ſint) horrificum atque luctuoſum! Nam quæ iſta tandem eſt indigniſſimi facti inſolentia? aut unde tam repens, circa perſonam innocentiſſimam, rerum omnium commutatio?

Agnoſcis Unigenitum tuum, Pater æterne? Jam enim vermis eſt, & non homo; opprobrium hominum, qui fuerat deliciæ Angelorum. *Hanc invenimus: vide, utrùm tunica Filij tui ſit, an non.* Gen. 37. Sacratiſſima Chriſti tui Humanitas, tunica illa polymita, omnigeno decore ac dignitate variata, quam illi de puriſsimo Virginis intemeratæ ſanguine contexueras, ut habitu inveniretur ut homo, in ſanguine hædi intincta eſt, virulentâ inquam ſcelerum noſtrorum ſanie, infecta, confuſa, decolorata, deturpata eſt, vix ut poſsit dignoſci. Sed obſecro vos, Angeli ſancti, qui exciti inſolentiâ ſpectaculi magno numero huc concurriſtis, hiccine eſt Dominus virtutum & Rex gloriæ? hiccine ille electus ex millibus, cujus conſpectum, non ſolùm filiæ Jeruſalem, ſed & vos quoque deſideratis? Hæretis; opinor, ad plenam horroris ſpeciem, tanquam ſtupore oppreſsi profundiſsimo; & attoniti rei miraculo, ipſo ſilentio reſpondetis quod olim Iſaias: *Vidimus eum, & non erat aſpectus, &* Iſai. 53. *deſideravimus eum, deſpectum & noviſſimum virorum, &c.*

Quid verò inter hæc mitiſsimus ipſe Salvator? *Sicut agnus*, inquit idem Propheta, *coram tondente ſe, ſine voce, ſic* Act. 8. *non aperuit os ſuum:* tacitâ tantùm cogitatione ad Patrem aſpiciens, & offenſæ divinæ decoram victimam ſe offerens: *Super me* (ajebat) *confirmatus eſt furor tuus, & omnes fluctus* Pſ. 87. *tuos induxiſti ſuper me.* Verumtamen, ecce me, *ut faciam* Pſ. 39. *voluntatem tuam. Ego autem non contradico, retrorſum non abij. Dedi corpus meum percutientibus, & genas meas vellen-* Iſai. 50. *tibus.*

Pſal. 37. *tibus. Quoniam ego in flagella paratus ſum; & dolor meus in conſpectu meo ſemper.*

Neque tam dolent illi vulnera ſua, quàm divinæ ſentit Majeſtatis offenſam: cui ut plenè ſatisfiat, paratus ſit etiam inhumaniùs flagellari, ſi vel Patris honor id exigeret, vel hominum neceſſitas (quos tantopere diligit) poſtularet.

Veruntamen quid agis, ô bone JESU! Ecce enim ut te malis modis accipiunt homines, quos ſic complecteris, & cum quibus verſari delicias tuas eſſe dicebas. Quanquam (quæ tua eſt in nos charitas) etiam cum his eſſe qui te cruciant, delicias reputas; quòd volupe tibi ſit, pro ſalute noſtra flagellari, crucifigi, mori, & ſanguinis tui profuſione, etiam his ipſis qui illum immaniter effundunt, promptam medicinam & balneum efficax, ad ulcerum ſuorum, quamvis horribilium, abſterſionem, apparari.

O incredibilem manſuetudinem tuam! patientiam inſuperabilem! prodigioſam charitatem! ô cœleſtis balſami arbuſcula, ùt inciſo carnis tuæ cortice, pretioſo undique ſudas opobalſamo, ad medelam omnium vulnerum noſtrorum! ô botre divine, ùt oppreſſus hominum injurijs præclaro liquore circumfluis, ad bonarum mentium delitias, ad caſtiſsimam ſanctarum animarum ebrietatem! *O anima* Expl. paſſ. c. 9. *mea* (quæ hîc verba ſunt Joannis Thauleri) *& quotquot DEUM amatis, qui pretioſo ſanguine Chriſti redempti, & à peccatis veſtris abluti eſtis, venite, & interno cum dolore videte, quanta fecit DEUS animabus noſtris.*

## §. I.

### *Ejuſdem myſterij ad uſus noſtros applicatio.*

POrrò ex propoſiti myſterij conſideratione, hæc præſertim deduces, mi Lector, ad morum tuorum accuratiorem diſciplinam.

*Primò* enim hinc tecum reputa: quanta ſit peccati gravitas,

vitas, & quanta indignitas divinæ offenſæ; cui expugnandæ & abolendæ, opus fuerit ita vulnerari atq; atteri Regem gloriæ, Dominum infinitæ Majeſtatis. *Ipſe enim vulneratus eſt* (inquit Iſaias) *propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra.* Isai. 53. Quam proinde rem ſanctuarij pondere penſans S. Bernardus: *Ex conſideratione remedij* (inquit) *periculi mei æſtimo quantitatem.* Serm. 1. in Nat. Et poſteà; *Agnoſce, homo, quàm gravia ſint vulnera, pro quibus neceſſe eſt Dominum Chriſtum vulnerari.*

*Secundò:* Perpende, peccata tua, quibus DEUM audes toties & tam graviter offendere, eſſe inſtar totidem flagrorum, in innocentes Redemptoris humeros crudeliter ac confertim ingruentium. Itaq; cùm tibi diabolus peccati objectat illecebram, & propè eſt forſan ut prolabaris; recurrat animo Chriſti vulnerati & flagellis conciſi triſtis ſpecies; & perinde tecum nunc agi, atque ſi is tuus & DEI hoſtis, flagellum tibi in manus offerat, quo jam oppidò convulneratum ac quaſi fatiſcentem Salvatorem novis oneres conficiásq; vulneribus: ut is gemebundus dicat ad Patrem. *Quoniam quem tu percuſſiſti perſecuti ſunt, & ſuper dolorem vulnerum meorum addiderunt.* Psal. 68. Aut ipſum ſanè afflictiſſimũ JESUM imaginare, tibi quodammodo dolenter permittentem, ut ſeſe potiùs (ſi ita fert animus) iteratis flagris, aut conduplicatis ictibus impetas. Sibi enim quocunq; vulnere acerbiorem eſſe Divinitatis offenſam; ut qui huic delendæ atque avertendæ, iſti ſe lanienæ ac carnificinæ ſubjecerit. Ita nos quidem quaſi per luſum peccata committimus, ſed illis DEUM ac Dominum noſtrum nimis quàm ſeriò flagellamus; ſecundùm quod dixit S. Auguſtinus: *Multiplicant flagella Domino DEO ſuo, & neſciunt.* Tr. 10. in Ioann.

*Tertiò:* Inſuper hoc loco pondera: benigniſſimum Salvatorem, crudeliſſimam iſtam atque univerſalem membrorum ſuorum lacerationem, præcipuâ quadam ratione



Digitized by Google

ideo ſubijſſe; ut pro illicitis atque obſcœnis voluptatibus, quibus corpus ſuum plerique inceſtant ac commaculant, puriſſimæ carnis ſuæ ſupplicijs paternæ juſtitiæ ſatisfaceret, & ulceroſam carnem noſtram livore ſuo ſanaret. Proin vel eâ causâ omnem nos libidinem valde averſari atque abominari convenit: ut pro ipſa quoque Dominicæ carnis reverentia, nos ipſos pudicè ac verecundè habeamus; neq; (uti paulò ſuperiùs indicatum eſt) innocentiſſimi fratris noſtri immaculatam tunicam in ſanguine hædi intingamus, fœtidiſſima, inquam, turpitudinum noſtrarum ſanie, & tanquã tabido cruore infectam (quantũ in nobis eſt) dehoneſtemus.

*Quartò:* Addo etiam illos ſpecialiter flagellis cædere Redemptorem, qui offenſas offenſis cumulantes, in eodem luto defixi hærent, corroboratâ jam conſuetudine peccandi. De his enim præſertim queri videtur per Prophetam: Iſai. 128. *Supra dorſum meum,* inquiens, *fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem ſuam.* Quid enim eſt, ſupra Salvatoris dorſum fabricare, niſi peccatorum crebris ac repetitis ictibus, uti fabri incudem ſolent, illud tundere? aut quid iniquitatem ſuam prolongare, niſi peccandi finem nullum facere? Quod aliâ phraſi exprimit alter Propheta, dicens: Iſai. 5. *Væ, qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, &c.*

*Quintò:* Quod propiùs ad imitationem pertinet, id tecum conſidera: Si Dei Filius ut aliena peccata dilueret, tot flagellis à Patre ſubditus eſt: quid te aut facere, aut pati oporteat pro tuis. Nam iſtinc ſcelerum tuorum gravitatem, hinc innocentis Agni illorum gratiâ afflictionem atque attritionem contemplans, nonne juſto odio adverſus te ipſum commoveri & inflammari deberes, & contra temetipſum inſurgere, & in temet ſanctè ſævire; quò aliquâ ſaltem ratione Salvatori pro te vulnerato ſatisfaceres, & amorem amori, flagella flagellis redderes, & tuum Rei ſanguinem, cum innocentis Redemptoris ſanguine miſceres?

At

At ſi ad hos auſus nondum tibi ſufficit animus; exhibe te ſaltem promptum atque ſubmiſſum ad omnia, quæ divina tibi providentia impoſuerit, dicens & tu cum Propheta Regio: *Quoniam ego in flagella paratus ſum, & dolor meus* (id eſt, peccata mea, quæ mihi ſunt doloris cauſa) *in conſpectu meo ſemper.* Aut illud paulò animoſius, ex ejusdem Prophetæ imitatione uſurpans: *Ego ſum qui peccavi, ego iniquè egi:* iſte Agnus quid fecit? *Vertatur, obſecro, manus tua contra me.* Ad hæc, afflictiones omnes, ſive extrinſecus immiſſas, ſive à te ipſo voluntariè ſuſceptas, cum Chriſti flagellis velut in faſciculum colliga, eáſq; conjunctim offer æterno Patri, ſaltem Filij meritis & conſortione placituras. Itidémq; conſueſce in cunctis adverſis eidem gratias agere, pro benevolentia, quâ te participem facit flagellorum Unigeniti; & ingenuè agnoſce, ſemper nimis clementer & indulgenter tecum agi, neque te tractari pro meritis; ut tibi propriè aſſumere poſſis, quod in libro Job dicitur: *Peccavi, & verè deliqui, & ut eram dignus non recepi.*

*Pſal. 37.* *2. Reg. 24.* *Job 33.*

## §. 7.

### *Opportunum homini religioſo documentum.*

DEmum, ut in gratiam hominum Religioſorum iſtud extremum adijciam: opportunè, ut ego arbitror, atque ad leniendas moleſtias ſeverioris vitæ utiliter faciet homo Religioſus; ſi ſe, ratione ſuſcepti ſtatus, fingat ad columnam alligatum cum Chriſto, & ad flagella atque verbera (undelibet ingruant) expoſitū. Neq; enim aliud eſſe Religioſum, quàm hominem in primis deſpoliatū nudatúmq; rebus omnibus hujus ſæculi; tum profeſſionis votorúmq; vinculis cum Chriſto, & cum Chriſto tanquam ad columnam obſtrictum; poſtremò aſſiduæ mortificationi, & quotidianis religioſi Statûs incommodis, velut crebris flagellorum ictibus

 ſup-

ſuppoſitum atq; ſubjectum. Id enim hæc efficiet perſuaſio; ut quæcunque ſibi, ſive ex legum ſuarum præſcripto, ſive de ſuperiorum voluntate, duriora provenient, æquiore animo, & ſine voce cum Chriſto perferat; non immemor, quando religioni obligatus eſt, ſeſe ſponte ſuâ univerſæ illi flagellorum grandini, ex Chriſti amore atque exemplo, ſuppoſuiſſe; neque mirum jam eſſe debere, ſi ictus crebriores in ſe depluant, & propter Deum mortificetur totâ die, æſtimatus cum Chriſto ſicut ovis occiſionis.

*L. 2. Vit. c. 19.* Ita ſe animo comparaverat noſter B. Aloyſius; quem dicere ſolitum accepimus: *Eſſe ſe ferrum incurvum, atque ad Religionem veniſſe, ut ſeverioris diſciplinæ exercitijs, perinde ac malleo, tunderetur & corrigeretur.* Quæ cogitatio in mentem revocat, quod de ipſo Chriſto in hæc verba ait quodam loco S. Bernardus: *Serm. 2. de Cœn. Dom.* *Qui tanquam jugulatori ſuo alludens* (nimirum ut ovis mitiſsima) *ſe ipſum non reluctans expoſuit, & nudum corpus quaſi incudem malleatorum ictibus patienter explicuit.*

Profectò qui ita perſuaſus religioſum ſtatum capeſſiverit, eadémq; animi comparatione in eo pervixerit; *Iſai. 32.* *Sedebit* (ut Scriptura loquitur) *in pulchritudine pacis, & in requie opulenta;* hoc eſt, animi pace perfruetur ſuaviſsimâ, diviniſq; delicijs affluet, & magnis meritis Deiq; donis ditabitur. Quemadmodum qui contrà affectus ſit, & non niſi mollia in Religione ſibi propoſuerit; is dolorem ſibi ſuper dolorem adijciet: quando & cœleſtibus deſtituetur ſolatijs, neque ſic flagella aut cruces effugiet, quas ipſo reniſu aggravabit, exacerbabítq; impatientiâ, fiétq; alijs ac ſibimetipſi gravis: quia, ut ille ait: *L. 3. de imit. Chriſti c. 35.* *Vincenti datur manna, & torpenti relinquitur multa miſeria.*

CAPVT

Digitized by Google

# CAPUT VI.

## *Imitatio Chriſti ſpinis coronati, & ſaturati opprobrijs.*

### §. I.

### *Myſterij propoſiti contemplatio.*

ADesdum fidelis anima, & vide, amabo, viſionem hanc magnam, DEUM in rubo, ſed jam non innocentem; Sponſum, inquam, tuum in die Deſponſationis ſuæ, conſertis vepribus coronatum atque confixum. Ut & te ſpinæ dilecti, primùm compungant ad pias amoris doloriſq; lacrymas, ac deinde etiam exſtimulent ad imitationem.

*Primò* igitur contemplare otioſè iſtius facti diritatem atque immanitatem. Chriſtus DEI Filius & Rex gloriæ, ſpinoſo ſerto per ludibrium coronatur. Tormentum ingens, vel ſi abeſſet contumelia: grande ſupplicium, etiam deductâ crudelitate. Nunc, quando hæc illi arctè conſerta & implexa eſt; altera alterius exacerbatur contagio, & uno nomine ſupplicij, injuria multiplex, & non una pœna involvitur. Res, inquam, ad dedecus fœda, ad dolorem acerba; utroque inſolens, atrox, indigna.

Tertullianus iſta ponderans: *Certè*, inquit, *præter figuram* (hoc eſt, præter myſticam iſtius coronæ ſignificationem) *contumelia in promptu eſt, & turpitudo, & dedecoratio, & his implexa ſævitia, quæ tunc Domini tempora & fœdaverunt, & lancinaverunt.* Quibus ille quidem in eo Dominico ſupplicio contumeliam præſertim attendit; quanquam & advertit eidem implexam ſævitiam; iiſq; proinde & fœdata Domini tempora & lancinata, quorũ hoc ad dolorem pertinet, iſtud ad dedecorationem. In quem etiam ſenſum alibi dixit: *fœdius veſtitur, fœdioribus coronatur.*

*De cor. mil. c. 14.*

*De Pat. c. 3.*

*Secun-*

*Secundò:* Perpetuum hoc fuit in Redemptoris noſtri tormentis, ut cruciatui implicaretur ignominia; quò ejus dolorum acerbitate extingueretur in nobis voluptatum inſana cupiditas, & opprobriorum granditate ſuperbia noſtra opprimeretur. Percurre animo genera omnia Dominicorum ſuppliciorum. flagellis cæditur; ſervilis pœna eſt. ſpinis coronatur; tragicum eſt & crudele ludibrium. Deſpuitur, depalmatur, pugnis (fortaſſis & crepidis, ut ex voce græca apud Matthæum nonnulli conjectant) pulſatur: extremum eſt oris ingenui, & generoſi hominis dehoneſtamentum. Poſtremò in crucem agitur: dirus nomine ipſo cruciatus eſt, ſed cruciatu major fœditas & dedecoratio. Nec ipſa per ſe contumelia ſufficit crucis; medius latronum figitur, ad principalem ignominiam; & regij tituli præconio, ſupplicij probrum intenditur. Quid, quod jam pendenti vulnerantur aures odioſiſſimis convitijs; &, quod inſolens eſt, & præter uſum ſenſúmq; communem humanitatis (quo, quantumvis reum, in atroci poſitum ſupplicio tamen commiſereſcimus) fato illuditur & inſultatur innocentis. Sed nimirum adeò inveterato & altè inſito naturæ corruptæ vitio, potens opus erat, & acre ac forte remedium: ut tot támq; horrendis divinæ humilitatis exemplis, erubeſcat denique caſtigetúrq; humana ſuperbia; & DEUM percuſſum atque humiliatum aſpiciens, *non apponat ultra magnificare ſe homo ſuper terram:* aut (ut eandem rem ipſis B. Angelæ verbis exprimam) *ut perfectiſſima & fideliſſima & inuſitata humilitas iſtius altiſſimæ Majeſtatis, deprimat & confundat ſuperbiam noſtræ nihilitatis.*

*Maldo. 26. Matth.* — *Pſal. 9.* — *Vit. c. 59.*

*Tertiò:* Jam reliquas hujus tragici ludi circumſtantias perpende. Vix enim ab illa flagrorum grandine, & crudeliſſimâ artuum ſuorum laceratione ſeſe collegerat mitis Redemptor, vix brevem ſpiritum & virium aliquid reſumpſerat; cùm ecce in novam ſcenam trahitur, doloris ac dede-

coris

coris pleniſſimam, factus inſolentiæ militaris, & ingenioſæ in inſontis pœnas crudelitatis, ludibrium. Caput illi fortaſſis à flagris intactum remanſerat: huic ergo ne ſua deſint vulnera, ſæviſſimo invento, è rhamno ſertum adornatur, & per capitis cutem atque membranas altè violentérq; adigitur. Conſequenter huic primo actui & cætera fabula pertexitur. Ludicro regi inijcitur in humeros chlamydis coccineæ dedecus; & cannæ fruſtum in manus inditur: quo ſubinde reſumpto feri milites pulſant obſeptum ſpinis verticem, ſive illudentes venerando illi capiti, ſive ſpinas altiùs ad acriorem ſenſum imprimentes. Adduntur his inſana opprobria, joci petulantes atq; amari; & injuriâ ſimplici malũ fœdius, fictæ & ad riſum compoſitæ ſalutationes.

Acceſſit & iſtud non leve doloris corollarium; quòd (ut eſt quorundam veriſimilis opinio) ſpinoſum hoc ſertum non ſemel duntaxat Dominico capiti fuerit impoſitum, ſed neſcio qua ex cauſa detractum, eidem rurſum impreſſum ſit, non ſine ingenti, ob renovatas antiquas plagas, recentésq; inflictas, in amabilem ejus vultum effuſione ſanguinis, & amplificatione ſæviſsimi doloris. Id enim ſibi à B. Virgine revelatum fuiſſe teſtatur S. Birgitta; coronam videlicet, dum crucifigeretur, Chriſto detractam, rurſum fuiſſe in cruce divino ejus capiti aptatam: & lego ſimilia apud Clementem Alexandrinum, eandem Chriſto in altum ſublato, in cruce nimirum, fuiſſe impoſitam; quod cùm de prima impoſitione non poſsit intelligi (nimis manifeſtè repugnante textu Evangelico) neceſſe erit accipere de altera quadam ejuſdem coronæ impreſsione.

*L. 1. c. 10. L. 7. c. 15.*

*L. 2. Pædag. c. 8.*

Chriſtum coronam in cruce geſtâſſe, docent Patres varij: nec tamen opiner, dum exijt crucem ſibi bajulans, eâ caruiſſe. Nimirum debuit mundi victima ex ritu veteri coronata duci ad Sacrificium: quo etiam factum ſit; ut præter inſigniorem contumeliam, crebro ligni crucis ad

ſpi-

Digitized by Google

ſpinas alliſu atque incuſſu, mirum in modum ea vulnera amplificarentur & exacerbarentur. Sanè, ut ſolennem Gentilium ritum omittam, etiam agnum paſchalem (qui proprius Chriſti in cruce immolandi typus erat) feſta fronde revinctum ac coronatum duci ſolitum ad victimam, tradit inter alios Joannes Lorinus noſter. Tandem Tertullianus adversùs Judæos: *Chriſtus* (inquit) *ſuis temporibus lignum humeris ſuis portavit, inhærens cornibus crucis, coronâ ſpineâ in capite ejus circumdatâ.*

*In Pſal. 117. v. 27.*
*cap: 13.*

Profectò, benigniſsime JESU, maledicta terra carnis noſtræ, non roſas aut violas quibus coronareris, ſed ſpinas & tribulos germinavit tibi. Superbia mea iſtos tibi vepres conſeruit in coronam; vanitas mea iſtam dexteræ tuæ inſeruit arundinem, eadémq; tuo divino capiti illuſit: faſtus denique meus ac jactantia, iſtâ te purpurâ ad ruborem dehoneſtavit. Poſtremò igitur hîc attendat aſceta, quàm verè paulò antè dixerit Salvator: regnum ſuum non eſſe de hoc mundo. Illum quippe mundus, velut in fabula, ſpinis coronat, inſignit arundine, ludicrâ purpurâ, ſeu ipſo potiùs ingeſtæ ignominiæ rubore, conveſtit; &, ut de alapis ſputíſque taceam, fictâ ſalutatione & probroſis honoribus illudit: at illum mox cœlum, honore coronabit & gloriâ, & divino cinctum diademate, immortaliq; potentiâ pollentem, Regem ſæculorum, & mundi Judicem demonſtrabit. Ut vel hinc diſcamus, fallaci mundi gloriæ non credere, ſed ad immarceſcibilis Paradiſi coronas aſpirare.

Cæterùm hæc Domini mei, meâ causâ ſuſcepta dedecoratio, amabiliorem eum mihi facit & chariorem: quippe (ut ait S. Bernardus) *quantò pro me vilior, tantò mihi charior eſt;* eâdem nimirum opprobriorum ſuorum fœditate, ſimul humilitatem mihi commendans, ſimul amorem meũ ſibi concilians, aut (ut S. Auguſtinus loquitur) *ſanans tumorem, & nutriens amorem.* Itaque hunc diem, quo in hunc

*Serm. 1. de Epiph.*
*l. 7. Conf. c. 18.*

hunc modum charitatis coronâ, & ſanguinis ſui purpurâ, tanquam veſte nuptiali ſubornatus eſt, diem ſuæ deſponſationis appellavit. Quò ſpectant B. Theodoreti verba, in illud Cant: 3. *Egredimini filiæ Sion, &c.* ita ſcribentis: *Spinis illum contemptûs causâ coronavit*, ſcilicet Judæa aut Synagoga: *ipſe verò per ſpinas ſuſcepit diadema charitatis. Sponte enim ignominiam pertulit, atq; ultro ad mortem ceſſit. Quamobrem deſponſationis diem illam vocavit, & diem lætitiæ cordis ejus.* Hæc Theodoretus.

## §. 2.

### *Primitivæ Eccleſiæ fideles à capitis coronis religioſè abſtinuiſſe.*

PRiſci Chriſtiani, jam ab ipſis Eccleſiæ principijs, floreâ frondeáve coronâ caput nectere, religioni habuere. Id enim tum ex Minutio Felice conſtat Scriptore perantiquo, dum Cæcilium quendam inducit, Chriſtianis, inter cætera, in quibus ab uſu ſenſúq; communi odioſè recederent, id etiam objectantem: *Non floribus caput nectitis, non corpus odoribus honeſtatis:* tum maximè ex Tertulliano, in libro de corona militis ex ea occaſione ſcripto; quòd, cùm milites, feſto ſolemni Imperatorum, laureati omnes ad donativum ex eorundem liberalitate recipiendum procederent, quidam illorum, quòd Chriſtianus eſſet, non proceſſiſſet coronatus ut cæteri, ſed manu duntaxat lauream geſtans, aut (veluti loquitur Tertullianus) *coronamento in manu otioſo.* Cujus liberum & audax factum nonnullis exinde improbantibus, quòd intempeſtivâ religione Chriſtianam pacem in novum diſcrimen adducere viſus eſſet; ipſe eâ præſertim ratione defendit, quòd fidelem coronari non permitteret recepta traditio, & vulgata Chriſtianorum diſciplina. Hujus autem (ut ipſe appellat) obſervationis inveteratæ, cùm alias plures rationes adferat, ad extremum illam ſubijcit,

*In Octav.*

*de coron. mil. c. 2. & 3.*

ijcit, de qua nunc agimus, exemplum videlicet Chriſti, ſpinoſo ſerto ad ludibrium atque tormentum coronati. Ejus verba ſunt iſta cap: 14. *Quale, oro te, ſertum Chriſtus JESUS ſubijt? Ex ſpinis, opinor, tribulis, in figuram delictorum, quæ nobis protulit terra carnis, abſtulit autem virtus crucis, omnes aculeos mortis, in Dominici capitis tolerantia obtundens.* Et poſteà: *Si ob hæc caput tuum illi debes, tale ſi potes ei rependε, quale ſuum pro tuo obtulit; aut nec floribus coroneris, ſi ſpinis non potes; quia non floribus potes.* Clemens etiam Alexandrinus, æqualis eorundem temporum lib: 2. Pædagogi Chriſtianos mores inſtruens, negat Chriſtianum floribus coronari debere: alienum quippe à ratione eſſe, ut qui audierimus Dominum ſpinis coronatum fuiſſe, ipſi venerabili paſſioni per ludum inſultantes, habeamus capita redimita floribus. Et quanquam non ea (ſaltem univerſim) fuiſſe videatur veterum Chriſtianorum religio, ut florum uſum ab ſeſe in totum abdicarent: his enim (teſte Minutio) *& ſparſis utebantur mollibus ac ſolutis, & ſertis colla circumplectebantur;* & coronas ſolùm arcebant à capite, reverentiâ Dominicæ Paſſionis: tamen & Clemens Alexandrinus ſeveriùs pronunciat: *Qui præter aſpectum, uſus eorum percipitur,* (florum ſcilicet) *petulantia eſt;* & ſi aliquid plus concedendum videatur, ad extremum atque ægrè tandem, eorum inſuper odorationem Chriſtiano permittit: & Tertullianus, qui quâdam veluti indulgentiâ, concedit potiùs terrenos flores in ſinum condi, in lectulum ſpargi, aut in alios innocentes uſus, quàm ad nexum capitis, adhiberi; idem tamen poſteà ſatis oſtendit, de ejuſmodi deliciarum univerſo genere quid ſentiat, dum Chriſtianum ſuaviter hortatur, ut cùm Chriſtum habeat florem cœleſtem, incorruptum, æternum, floribus interim morituris abſtineat. Illius verba mox ſubijciam.

*cap: 8.* *cap: 5.*

§. 3.

Digitized by Google

## §. 3.

### *Chriſti ſpinis docemur, Crucifixi diſcipulo mundi delicias minimè eſſe conſectandas.*

HÆc igitur eò maximè ſpectant, ut intelligatur; Chriſtiano homini, qui Domino crucifixo vepribúsq; coronato glorietur, omnes ſæculi delicias reſpuendas & abdicandas eſſe: & qui ſecùs faciat, eum Domino ſuo ſpinis coronato quodammodo inſultare, ejúsq; corpus velut monſtroſum efficere, ſi artus habeat ipſi capiti diſſentaneos, ſeu (quod ait S. Bernardus) *ſub ſpinato capite membra delicata.* *ſerm. 5. de Omnibus SS.*

Suprà laudatus Tertullianus, Chriſtianum adhortans, ad fugientia mundi gaudia, fluxáſq; voluptates aſpernandas: *Nihil tibi*, infit, *cum gaudijs ſaculi*; *imò contrarium debes. Saculum enim gaudebit, vos verò contriſtabimini. Et puto felices ait lugentes, non coronatos.* *cap: 13.* Et cap: ſequenti: *Quid tibi cum flore moriture? Habes florem ex virga Jeſſe, ſuper quem tota divini Spiritûs gratia requieſcit; florem incorruptum, immarceſcibilem, ſempiternum.* *cap: 14.*

Et ſanè ſi ex Apoſtoli Petri verbo, merces nobis in cœlis repoſita, eſt corona gloriæ; & ipſe Deus eſt illa merces noſtra magna nimis: igitur & ipſe Deus erit corona noſtra. *1. Pet. 5.* Sicut ſcriptum eſt: *in illa die erit Dominus exercituũ corona gloria, & ſertum exultationis reſiduo populi ſui.* *Iſai. 28.* Quamobrem convenit profeſſum crucis militiam, eo in genere diaboli milite non minùs eſſe ſolertem. Si enim, ut de milite Mithræ (quo nomine Apollo aut Sol apud Perſas appellatur) tradit citatus autor libro de corona extremo: *dum initiatur, coronam capiti ſuo accommodatam monetur obviâ manu à capite depellere, & in humerum ſi fortè transferre, dicens: Mithram eſſe coronam ſuam; atque exinde nunquam coronatur:* quid ultrà ſæculi delicias, & tanquam floſculos captamus, qui coronam capitis noſtri Jesum crucifixum habemus?

 Neq;

Neque enim aliter Jesus Nazarenus piis animabus aſpectandus eſt, quàm ut flos pulcherrimus & ſuaviſſimus, ex arido in ſpeciem, atque ex ſucco crucis ſuæ caule ac ſtipite progerminans: neque jam crux ipſa, ut patibulum infame, aut lignum aſperum atque horridum aſpicienda; verùm ut frondens Aaronis virga, ex qua ille prodeat atque pullulet, qui de ſe dicit: *Ego flos campi & lilium convallium.* Sed ô jam lilium inter ſpinas; quod undique nimirum aſpicimus, ſive criminum noſtrorum aculeis, ſive acerbiſſimorū dolorum ſpinis cinctum atq; vallatum! Ut vel hinc diſcas, ô anima, ſpinas, hoc eſt mundi adverſa & aſpera amare; quando inter hæc præſertim invenitur Jesus Nazarenus.

Cant: 2.

Sap: 2. Reproborum vox eſt in libro Sapientiæ: *Coronemus nos roſis antequam marceſcant: non prætereat nos flos temporis, &c.* E contrà Sanctorum & Chriſto dilectorum vox eſt, vox S. Catharinæ Senenſis, S. Eliſabethæ Hungaricæ, B. Lydvinæ, cæterorúmq; electorum vox eſt: Coronemus nos ſpinis, quàmdiu hæc mortalis vita eſt, roſas ſervemus coronis æternis. Aut ſi floribus ſanè ita capimur, coronemus nos roſis, quæ nunquam marceſcunt: ne ſi mundi hujus roſas amemus, ipſo brevî defluente flore, ſolæ ſpinæ ſuperent, quibus pungamur & ſauciemur. Sed & quando Clementem Alexandrinum de ſpinea Chriſti corona ita loquentem attendimus: *Hæc corona flos eſt eorum, qui crediderunt in eum:* roſæ noſtræ ſint dilecti noſtri ſpinæ, afflictiones, ſudores, lacrymæ: his carpendis jucundè immoremur; ex his delicatas & ſuaves animæ amanti corollas, ex his ſerta ſanctarum deliciarum, texamus.

loco cit.

Et rectè id quidem. Nam ſi B. Lydvina, quas ei nativo deficiente humore, amoris vis aut compunctio cordis ex oculis exprimebat ſanguineas lacrymas, eas venuſtè roſas ſuas appellitabat: multò æquiùs pro roſis habeant animæ Chriſto devotæ, ſive cruenti ſudoris guttas, quibus gramina

P. 2. c. 7.

mina erubuêre Gethſemani, ſive ſpinarum aculeis expreſſum rorem ſanguineum, Dominicum verticem purpureis notis obſignantem. Ita enim piiſſimus Thaulerus ſanctam alloquens ac DEI amantem animam: *Et tu* (inquit) *ſancta ac DEI amans anima: vide ut ſponſus tuus, in die deſponſationis ſuæ viridem ferat coronam, rubentibus ornatam roſis, id eſt, roſeo ſuo tinctam ſanguine: hoc ipſo ſignificans, pium ſe eſſe ac manſuetum regem, verúmq; principem amoris.* *Explic. paſſ. c. 10.*

Atque hîc denique memoratu digna eſt, dulcis atque amœna Redemptoris noſtri ad ſibi dilectam B. Joannam à Cruce, alluſio. Hæc enim die quodam Paraſceves, divinorum ſtigmatum certis veſtigijs, quæ quaque deinceps feriâ ſextâ & Sabbato, in modum notarum purpurearum in ejus manibus atque pedibus comparerent, à Sponſo ſuo donata; cùm ijs carere viſibilibus divini favoris indicijs ſtudio humilitatis expeteret, ita Chriſtum audijt ſibi dicentem: Equidem importuniùs urges, ut tibi conceſſum charitatis meæ pretioſum pignus ſubtraham. fiet id equidem: ſed quia non vis roſas meas, concedam tibi ſpinas meas. Exinde igitur aſpectabiles illæ divinorum ſtigmatum notæ videri deſiêre: ſed earum vice occupavit virginis animum corpúsq; univerſum ea doloris vis, adeóq; efficax cruciatuum Chriſti conſenſio, ut ei deinceps vita reliqua crudele martyrium, & viva eſſet Dominicæ mortis ac paſſionis imitatio. Adeò huic quoque, pro roſis, & præ roſis erant ſpinæ dilecti ſui. *L. 2. Vit. c. 16.*

## §. 4.

### *Nonnulla ad uſus peculiares ex his deducta.*

EX his quæ hactenus à nobis universè diſputata ſunt, pauca hæc ſummatim deduci poſſunt, & ad uſum tradi memoriæ. *Primum:* ut cùm te noxia voluptas, aut fluxarum deliciarum cupiditas inceſſerit, confeſtim oculis aut animo

animo in Crucifixum intento, reſpicias in faciem Chriſti tui, & ſerti ſpinei, quo redimitus eſt contemplatione, erubeſcas ſectari mollia, & in vitæ cultúsq; ratione eſſe membrum adeò abhorrens à capite tuo.

*cap: 35.* S. Bernardus tractatu de paſſione: cùm Chriſtum flagellis cæſum, conſputum, colaphis percuſſum, ſpiníſque coronatum poſuiſſet ob oculos: *Talem inſpice JESUM*, inquit. *Quis hîc locus deliciarum?*

Neque verò cùm Chriſtum ſpinis coronatum imitandum tibi propono, id à te exigo, ut coronam de ſpinis ac vepribus conſertam geſtes in capite (quod quidem nonnulli audaci facto, ſed ardenti Chriſtum imitandi ſtudio, fecêre) ſed illud duntaxat, quod cum Tertulliano dicebamus, ut *nec floribus coroneris, ſi ſpinis non potes;* hoc eſt, ut cruciatuum Domini tui contemplatione, à noxijs ſaltem voluptatibus, & erubeſcendis homini Chriſtiano delicijs abſtineas, ſi eum nequeas ſeveriore vitæ diſciplina, aut ultro ſumptis de te ſupplicijs imitari.

*Alterum:* Ut ad idem exemplar reſpiciens, ac ſeſe componens, id ſpeciatim ſibi cavendum putet matrona aut Virgo Chriſtiana, ut ne immodico & inverecundo præſertim capitis ſui cultu, videatur Chriſti doloribus ac ſpinis velle illudere, & tanquam ſi ei non iſta ſufficiant, quæ olim à militibus paſſus eſt, vanitate ac levitate ſuâ (ne laſciviâ dicam) venerandum illius verticem velut arundine pulſare, & ſuper dolorem vulnerum ejus addere.

Quid enim aliud ſunt torti illi crines & calamiſtro criſpati, quos jam olim à fæmina Chriſtiana proſcripſêre (multò autem magis à viro proſcriberent, ſi is tum abuſus in Chriſtianorum mores irrepſiſſet) in ſuis epiſtolis SS. Apo-
*1. Petr. 3.* 
*1. Tim. 2.* ſtoli Petrus & Paulus? Quid pulvis Cyprius, etiam virorum capitibus per ridiculam vanitatem inſperſus? Quid illa pigmenta, unguenta, fuci, & illud etiam priſcæ luxuriei inſtru-

Digitized by Google

inſtrumento ignotum nomen, fronti aut genis (ut nunc appellant) affixæ muſcæ, & tot alia formæ naturalis adulteria? Quid univerſus ille pudendi luxus ac luxuriæ adminiſter apparatus, & rerum numero ac varietate, verè mundus muliebris? Quid, inquam, iſta ſunt, niſi totidem Chriſti crucifixi & ſpinis coronati opprobria? Heu! quàm diſſimiles, cultus tuus & cultus illius: cujus utique calamiſtrum & acus, ſpinæ ſunt, cujus ſtibium & purpuriſſum, ſputa ſunt concreto mixta ſanguine; cujus gemmæ atque uniones, cruentæ guttæ ſunt, de compuncto capite ſtillantes; cujus denique ornatus omnis, purpura eſt cruoris ſui, de toto corpore tot vijs ac modis expreſſi. *Talem*, inquam rurſus, *inſpice JESUM. Quis hîc locus deliciarum?*

Hâc contemplatione S. Eliſabetha Hungariæ Regis filia, cùm aliquando, die ſolenni, pro ratione perſonæ ſuæ, cultu ſplendido ac magnifico in templum proceſſiſſet; ad Chriſti inquam in cruce pendentis, ejúsq; nudi ac ſpinis coronati intuitum, cùm cultum ſui corporis cum ejus nuditate, aureum capitis ſui ornatum cum ejus ſpinis componeret, ita animo perculſa & conſternata eſt, ut defecta viribus, ſimilis exanimi concideret, & exinde à ſe omnem ornatum ejusmodi, quoad fas fuit, averteret, ſolo cultu ſimplici ac neceſſario contentam. *l. 2. Vit. c. 3.*

Quòd ſi in fæmina Chriſtiana qualibet, ea cultûs corporis moderatio ita commendatur, & exigitur: quantò ei dicemus magis eſſe neceſſariam, quæ etiam peculiari nominé Chriſto ſe dicatam profiteatur? De qua proinde loquens S. Ambroſius: *Succingat*, ait, *ſacræ Virginis crinem*, (inſtar vittæ nimirum aut faſciæ) *modeſtia, ſobrietas, continentia: ut virtutum accincta comitatu, purpureo Dominici ſanguinis velamine, mortificationem Domini JESU in ſua carne circumferat*; eodémq; cum ſponſo ſuo gaudeat ornatu. *De inſtit. Virg. c. 17.*

*Poſtremum:* Ut inter acerbitates atque adverſa mor-

talis

talis vitæ, inter corporis dolores, angores animi, contemptus atque opprobria, ſolentur te ſpinæ Domini tui. Qui etiam idcirco (ex mente B. Chryſoſtomi) coronam ſpineam geſtare voluit, ut ſolicitudines, curas & angores vitæ noſtræ extirparet, & in ſecuritatem converteret. *Ipſe enim*, inquit, *in doloribus & curis fuit, ut nos doloribus careremus.*

*Serm: de paſſ: & cruce.*

Et ſanè quantulum eſt, omne quod in vita patimur, collatum cum ſupplicijs Salvatoris? Ingens iſte capitis, aut aliorum artuum acutus dolor, ærumnæ iſtæ calamitatésq;, (ut tu quidem appellas) intolerabiles, ſpinula ſolùm ſunt, ad illum aculeorum exercitum, qui denſo agmine ſacrum Domini tui caput impetiêre & oppreſſêre. Ut enim ait S. Auguſtinus: *Quantumcunque patiaris, non pervenies ad illas inſultationes, ad illa flagella, ad illam ignominioſam veſtem, ad illam ſpineam coronam, ad illam poſtremò crucem non pervenies.* Quem etiam in morem, dum ab æmulis ſuis premeretur S. Gregorius Nazianzenus, conſolabatur ærumnas ſuas: *Quota*, inquiens, *hæc ſunt pars injuriarum, dum conſpueretur & caderetur? Omnia non uni conferenda coronæ ſpineæ duco; per quam me quoque vitæ aſperitate coronari animadverto.* Sic ille. Qui etiam dicens, ſe vitæ aſperitate coronari; vel eò id facit, quò injuriarum malorúmq; ſuorum vim ac multitudinem ſignificet; quibus undique obſeptus, & in modum coronæ cinctus ſit; ſecundùm illud Iſaiæ 22. cap. *Coronans coronabit te tribulatione;* vel (ut ejus verba magis indicant) quòd ærumnas ſuas, ut coronæ ſpineæ partem aliquam ac repræſentationem aſpiciat, vel demum quòd eas coronæ loco, aut inſtar præclari diadematis habeat, in gloria ducens affligi, contemni, illudi, & Domino ſuo ſpinis confixo & opprobriis ſaturato, conformari. Revera enim (quidquid perversè mundus ſentiat) glorioſa ſunt & expetenda Chriſtiano, Ducis ſui exemplo ſuſcepta & tolerata opprobria: quorum utique patientiâ & ipſi Chriſto effici-

*In pſ. 36. p. 2.*

*Orat. 25.*

Digitized by Google

efficiatur ſimilior, & eum ornet atque coronet, atque ita compenſet atque ſuppleat quodammodo, eidem velut ludicro regi olim illatas contumelias, dum pro ejus gloria quæcunque adverſa hilarè ſuſtinens, eum agnoſcit profitetúrq; regem gloriæ, & regem ac Dominum cordis ſui.

## §. 5.

### *Chriſtum IESVM pro corona ſpineâ, gloriâ & honore pro nobis coronandum eſſe.*

AD *extremum:* & illud enitere (quod quidem jam dictis affine eſt) ut pro ſerto doloris & opprobrij, quo pro te cinctus eſt Redemptor tuus, eum tu pro tuo modulo, gloria & honore corones. Equidem cujusque virtutis gratia in nobis efflorescens, corona eſt, quâ ipſi coronemur & Chriſtus. S. Ambroſius: *Joſeph* (inquit) *coronam habuit caſtitatis, Paulus juſtitiæ, Petrus fidei. Singularum virtutum coronæ ſunt. Solus Chriſtus habet coronam gloriæ, quâ eum Eccleſia coronavit.* *In pſal. 118. ſerm. 14.*

Sed amat præſertim coronari ijs corollis, quæ de noſtris doloribus, vexationibus, opprobrijs contexantur, ipſius amore promptè libentérq; toleratis: quæ licet per ſeſe conſiderata ſpinæ ſint; ut quæ ſuis nos aculeis acriter pungant atque vulnerent; ut tamen effectus ſunt & argumenta amoris noſtri, roſæ ſunt, quibus ille coronetur. Ita ſe viſendum aliquando præbuit S. Mechtildi, ornatum coronâ variorum florum, quos ſeſe collegiſſe diceret ex varijs doloribus, quos ipſa in capite pertuliſſet. Atque uti aliàs ex Henrici Suſonis vita retulimus, ſub pueri ſpecie idem Salvator cùm roſeto inſidens viſus eſſet amœno, & amplâ roſarum meſſe conſpiciendo (quibus diverſas Beati Viri vexationes adumbrari dicebamus) roſis, de eodem utique roſario decerptis, coronatus apparuit: ut vel ſic teſtatum faceret, quàm eum delectet noſtra patientia, fortitudo ani- *L. 1. c. 24.*



Digitized by Google

mi, atque gaudium in his, quæ libenter pro ejus honore toleramus.

Igitur quicunque te dolor aut moleſtia, quæcunque ærumna afflictióve exercuerit; offer illa Chriſto veluti flores ſuaviſſimos; & ex omnibus ei ſertum confice, quo ille jucundiſſimè coronetur. Qui flores ſi nondum apparuerint in terra tua, eſt unde incuſes ſterilitatem amoris tui; ut qui non niſi ſpinas & tribulos, tot adhuc noxarum in dies germines; patientiæ autem & abnegationis flores nullos proferas, quorum amœnitate ac fragrantiâ dilectus tuus præſertim capiatur.

# CAPVT VII.

## *Imitatio Chriſti bajulantis ſibi crucem, & cum ea ad montem Calvariæ contendentis.*

### §. I.

### *De ipſo myſterio nonnulla.*

ADes hic rurſum Regis dolorum amatrix anima, ac mœſtis oculis ac corde dolore ſaucio, attende & vide, quàm enormiter tandem increſcant cruciatus & opprobria

*Jerem: 18.* dilecti tui. Ut enim hic cum Propheta exclamem: *Quis audivit talia horribilia, quæ fecit nimis Virgo Iſraël?*

Huc igitur indignitatis deventum eſt! DEI filio, hoc eſt, ipſi virtuti atque innocentiæ, per ſummam injuriam ſacrilegámq; ſententiam crux decernitur; nec decernitur modò, ſed viarum labore, inediâ, vigiliâ fatigato, flagellis attrito, & tantùm non confecto vulneribus, immiſericorditer imponitur, & ferali pompâ agnus innocens, ad ſupplicij locum, non jam ducitur, ſed raptatur. Ergo qui, teſte

teſte Iſaiâ, *appendit tribus digitis molem terræ*, & abſque labore, vel minimo (ut de eo nominatim Apoſtolus) *portat omnia verbo virtutis ſuæ:* is jam (B. Cypriani phraſi) *patibuli ſui bajulus*, Calvariæ collem, dolens ac gemens, & ſub onere lapſabundus, inſcendit. *Iſai. 40.* *Heb: 1.* *Serm. de paſſ.*

*Bajulans ſibi crucem* (inquit ſacer Evangeliſta) *exivit in eum, qui dicitur Calvariæ, locum.* Tribus verbis, quanta complexus eſt! nam & *bajulat* Jesus, hoc eſt, onere indigno premitur; & *crucem* bajulat, hoc eſt, pondus infame, & conſceleratorum ſupplicium; & *ſibi* bajulat, hoc eſt, ut in ea demũ figatur, pérq; cruciatus intolerandos immoriatur. Atque horum quidem & ſimilium, quæ in hoc myſterio continentur, conſideratio, uberem noſtris mentibus piorum conceptuum ſilvam, & magnam ſanctarum affectionum materiam ſubminiſtrare poteſt. Veruntamen, quod huc propriè pertinet, ut crucis, quam tunc Chriſtus pertulit acerbitas, quantúmq; ei debeamus iſto nomine, penitiùs intelligatur; videamus duntaxat hoc loco, an quando ſuprema Providentia (ut de ea loquitur Liber Sapientiæ, de pœnis Ægypto inflictis agens, & adhibitâ in ijs inferendis moderatione) *omnia in menſura, & numero, & pondere conſtituit:* hanc etiam Legem in cruce ipſi Dei Filio conſtituenda, ſervandam ſibi exiſtimaverit; an verò è contrà, quò juſtitiæ ſuæ plenè ſatisfaceret, ſimúlq; amoris erga nos ſui vim & exuperantiam oſtenderet, ſine lege & modo, & menſura, atque extra omnem conſuetæ providentiæ rationem, humeros illius prægravârit. *Joann. 19.* *Sap: 11.*

## §. 2.

### *Gravitatis crucis, quam Salvator ſibi bajulavit, ponderatio.*

QVodnam igitur credimus crucis Chriſti pondus, quem numerum, quam menſuram fuiſſe? Atque ut de pon-



Digitized by Google

dere primùm dicamus: Quàm grave fuerit Redemptori, quámque vires omnes humanas excedens, pondus crucis quâ ille gravatus contendit ad montem Calvariæ; ut de corporali ligni pondere jam non dicam (quod tantum fuit, ut exhauſto jam ac viribus defecto Domino impoſitũ, eum per viam aliquoties in lapſum impulerit) id adeò exinde potiſſimùm debet conijci, quòd non illam tantùm crucem corpoream atque aſpectabilem bajulârit, ſed unà cum illa, univerſis mortalium criminibus (quæ veluti pius fidejuſſor voluntariè in ſe ſuſceperat, quæq; innocentes ejus artus nimium quantum degravabant) oppreſſus veriùs quàm onuſtus inceſſerit. Ita enim teſtis eſt Iſaias; poſuiſſe Dominum in eo iniquitates omnium noſtrûm; & ipſum peccata mul-
*Iſai. 53.* torum tuliſſe, & iniquitates eorum portaſſe. Et S. Petrus
*1. Pet. c. 2.* Apoſtolus: *Qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum;* ſeu, veluti legunt SS. Athanaſius & Cyrillus Alexandrinus, *in lignum;* prout etiam expreſſit Syrus interpres, illa Petri verba ita in rem noſtram convertens: *Qui bajulavit omnia peccata noſtra, eáq; ſuſtulit in corpore ſuo ad crucem.* Vah! pondus immenſum, & humeris tuis, ô bone Jesu (audenter dicam) importabile. Nam ſi unius olim Hebrææ gentis maleficia, aut ipſa etiam impiorum hominum ſacrificia, tam gravia erant ipſi Divinitati, ut propterea ita queratur, quaſi ijs ferendis non eſſet, dicens per
*Iſai. 1. & 43.* Iſaiam: *facta ſunt mihi moleſta, laboravi ſuſtinens.* Et infrà: *Præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis:* quî ferre poſſis immane pondus, ex immenſa mole tot ſcelerum, quæ humanum genus univerſum, ubivis gentium, locorum ac temporum in ſe admiſit, conflatum, jámq; totâ vi ſuâ dorſo tuo miſerè incumbens; quando vel eorum ſola recogitatio ita te in horto orantem afflixit, ut velut pondere intolerabili oppreſſus, in faciem tuam procideris, & præ animi anguſtia cruentum toto corpore rorem exſudaveris?

Quam

Quamobrem S. Auguſtinus in ſermone quodam ſic Chriſtum loquentem inducit, & iſtud peccatori exprobrantem: *Cur me graviore criminum tuorum cruce, quàm illa in qua quondam pependeram, onerâſti? Gravior enim apud me peccatorum tuorum crux eſt, in qua invitus pendeo, quàm illa, in quam, tui miſertus, mortem tuam occiſurus aſcendi.* *Serm. 67. de temp.*

Deinde, quod ad numerum attinet; crux illa dulciſſimi Redemptoris, re ipsâ quidem una cenſetur, at potentiâ tamen ſeu facultate, non una eſt, ſed innumerabiles. Neq; enim tantùm, quod dicebamus, omnia in ſe complectebatur hominum ſcelera, quorum unumquodque inſtar crucis illi eſſe poterat, ob incredibilem adverſùs Patrem tam graviter offenſum, & adversùs eos, qui eum offenderent, amorem, verùm etiam ipſas cruces noſtras, hoc eſt, omnium prorſus mortalium pœnas, dolores, angores, afflictiones: quas quidem in ſe ſuſceperit, quò eas à nobis depelleret, aut ſanè nobis compatiendo, ſibi communes quodammodo faceret. In quem item ſenſum, ut à nobis antea indicatum eſt, nonnulli accipiunt, quod dictum eſt ab Iſaia: *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit:* nimirum ut quaſdam ſpiritualis crucis ejus particulas; ex quibus omnibus in unum aggregatis & accumulatis, neceſſe fuerit multùm aggravari dolores ejus; atque ex ijs novam quandam crucem, eámq; tum mole tum numero vægrandem conflari ac coaleſcere. *Iſai. 53. Apud Sanctium ibid.*

Præſertim autem ſi cui addere libeat, in eo ſenſu quo jam loquimur, ipſas quoque damnatorum pœnas velut in cumulum crucis Chriſti veniſſe: non quòd ipſa per ſe damnatorum ſupplicia in paſſione ſua expertus ſit (prout impiè deliravit Calvinus) ſed quòd ex æterno tot animarum interitu (quas ipſe impensè diligeret, & pro quarum ſalute moriebatur) atque ex earum acerbiſſimis ſupplicijs, quorum gravitatem ſuo pondere æſtimaret, ingentem animo dolo-

dolorem ceperit, eásq; (uti de pœnis hujus vitæ dicebamus) ſincero quodam condolentiæ ſenſu, ſuas quodammodo fecerit: quanquam, quod ad id attineret, ſimul ſe paternæ providentiæ per omnia ſubijceret, & divinæ Juſtitiæ leges ac rationes approbaret.

Sanè B. Ambroſius, triſtitiæ Chriſti, ſub paſſionem ſuam cauſas exquirens, & locum citatum Iſaiæ ex ſeptuaginta Interpretum verſione ita legens: *Qui peccata noſtra portat, & pro nobis dolet*; ita loquitur in rem noſtram: *Doles ergo Domine, non tua, ſed mea vulnera, non tuam mortem, ſed meam infirmitatem.* Et infrà: *Nec illud diſtat à vero, ſi triſtis erat pro perſecutoribus ſuis, quos ſciebat immanis ſacrilegij pœnas daturos. Et ideo dixit: Transfer hunc calicem à me: non quia DEI Filius mortem timebat, ſed quia nec malos perire volebat.* Et B. Angela dicit, Chriſtum in paſſione ſua, non ſolùm doluiſſe de ſingulorum hominum peccatis, ſed etiam de pœnis, quas quemque ſciebat propterea incurſurum eſſe; quas ipſe eiſdem compatiendo ſuſtinuerit, cum ſummo & quodammodo infinito dolore. Atque poſt hæc incidi in tomum 4. operum S. Bernardini, ubi ſermone 45. diſertè dicitur; quòd *quanta eſt pœna damnatorum, & futurum intelligebat, tantam pœnam portavit Chriſti anima benedicta.* Item, *quòd dolor ille infernalis erat in anima DEI, & totum illum ferebat in mente ex compaſſione.* Quâ poſtremâ voculâ, mollienda eſt utique præcedentium verborum durities; ut nempe per ea duntaxat velit, quisquis eſt autor: pœnas iſtas in Chriſti anima non niſi per quendam compaſſionis affectum extitiſſe; atque eum ipſum fuiſſe tantum, quanta eſt pœna damnatorum, hoc eſt, quantum ipſa congruenter eſſe exigeret; & veluti ipſa pœnas omnes acerbitate ſuperat, ita proportione, ſumma eſſet de illa compaſſio.

*Lib. 10. in Luc.*

*Vit. c. 61.*

§. 3.

Digitized by Google

## §. 3.

### *Quâ ratione ipſa Crux Chriſti immenſa & interminata fuerit.*

TRiplex igitur veluti crucis genus (quæ tamen partibus conſtarent innumerabilibus) Salvatoris humeris impoſitum, atque ab eo in Calvariæ collem ſublatum, in jam dictis licet agnoſcere. Prima eſt crux corporalis, quam ei impoſuêre Judæi, inſtrumentum feralis ſupplicij, & quam tulit in montem, ut in ea ſuffigeretur.

Altera eſt crux peccatorum noſtrorum, quam impoſuit ei Pater: quæ videlicet peccata noſtra in ſuo corpore Salvator ſuſtulit in crucem, ut ea ſecum crucifigeret; aut ſanè velut ligna holocauſti, ſibi (ut alteri Iſaaco) à Patre impoſita; quibus in ara crucis inflammatis, ipſe ut hoſtia Deo acceptiſſima conſumeretur. Conſtat enim ipſa peccata noſtra mortis Chriſti cauſam, ac proinde crucis holocauſto, quaſi ligna ac materiam præbuiſſe.

Poſtrema eſt crux languorum noſtrorum atque dolorum, quam ei ſuus impoſuit erga nos amor; quosq; in ſe ipſe ſuſcepit, ut eos cruce ac morte ſua vel auferret penitus, vel mitigaret, & quaſi per ſacram ſuam humanitatem illos transmittens, dulciores nobis efficeret, aut denique ſuo illo quaſi attactu (quò nobis ad ſalutem proficerent) conſecraret ac pretioſos redderet.

Ex quibus denique pronum eſt effici, quod ad tertium caput ex ſuprà propoſitis attinet, crucem illam Chriſti, quâ onuſtus in montem exijt, extra omnem modum menſurámque fuiſſe. Quòd enim parte ſuperiore cum S. Auguſtino & alijs, quandam crucis Chriſti latitudinem, longitudinem aliáſve dimenſiones aſſignavimus; non eò factum eſt, quaſi ea poſſit certâ aliquâ menſurâ definiri, ſed potiùs ut hinc appareret, eandem ſupergredi menſuram omnem, ſeu, ſecundùm

cundùm omnem dimenſionis modum, eſſe interminatam. Jam verò quid denique cauſæ eſſe dicemus; quòd cætera quidem opera ſua, in menſura & numero & pondere, Deus diſpoſuerit, ipſas etiam hominum pœnas certis legibus definiens, éaſq; cum quadam indulgentia, & velut parſimonia infligens, atque (ut Sapiens loquitur) *cum magna reverentia diſponens nos*: at in affligendo Unigenito, hujus ſuæ conſuetæ ordinatæq; providentiæ quodammodo oblitus eſſe videatur? Niſi (quod principio indicabamus) hunc fuiſſe ſummi erga nos amoris exceſſum, qui nec modum nec legem noverit. Ut in cæteris quidem operibus eminere voluerit ſupremam illam ſapientiam, cujus eſt ordinem ac modum rationémq; rebus præſtituere: at in opere Redemptionis potiores partes amori tribuit, cui citra probrum (abſit tamen dicto invidia) quodammodo licet eſſe inſipienti. Quò ſpectat, quod S. Franciſcus in Cantico ſuprà à nobis memorato, diſertè ait; eo in opere, amorem Chriſto abſtuliſſe ſapientiam & potentiam, & has quidem ita latuiſſe, ut ſolus ſe proderet amor. In quo proinde *nimiam* erga nos *charitatem* Dei agnoſcit Apoſtolus, prout expreſſit noſter Interpres; & S. Bernardus: *Verè nimiam* (inquit) *quia & menſuram excedit, modum ſuperat, ſupereminet univerſis.* Qui rurſum alibi *Charitatem ſine modo*, ſeu immodicam eam appellat, & pij quidam Scriptores (ut anteà vidimus) quandam hîc (uti loquuntur) *amoris intemperantiam*, non verentur admittere.

*Sap: 12.*

*Epheſ. 2.*

*Fer. 4. hebdomadæ pœnoſæ.*

Quò viciſſim nobis intelligamus, magnam eſſe impoſitam neceſſitatem, Deum toto cordis affectu diligendi, nóſq; ipſos totos ei reddendi; ſive æterni Patris reſpectu, qui tanto amoris ardore filium ſuum pro nobis omnibus tradiderit; ſive filij, qui ſuppari affectu tam atroces pœnas pro ſalute noſtra in nos ſuſceperit: ſimúlq; nos viles, ignavos, degeneres futuros, niſi tanto exemplo incitati, promptè

Digitized by Google

ptè in humeros ſublatâ cruce noſtrâ, amantiſſimum Ducem ac Redemptorem noſtrum aſſectemur; de quo nunc agendum expreſſiùs.

## §. 4.

### *Quid à nobis præſertim exigat præſentis myſterij contemplatio.*

EX eo exemplo Domini Jesu crucem bajulantis, & ſub indigno ejus pondere, extra portam Jeroſolymæ ad locum ſupplicij contendentis, rectè conficit ad Hebræos ſcribens Apoſtolus: *Exeamus igitur ad eum extra caſtra improperium ejus portantes.* Heb: 13.

*Primò quippe loco* illud hîc nobis ponendum eſt, & pro rei momento altè in pectus demittenddm: Unicuiq; eorum, qui Jesum ſequi, hoc eſt, ſalutem conſequi voluerit, crucem ſuam cum Chriſto eſſe ferendam: fruſtráq; ſibi blandiri quenquam, quaſi illa Domini exhortatio: *Si quis vult* Matth: 16.
*poſt me venire, tollat crucem ſuam, &c.* ad ſolos Religioſos Luc: 9.
& ſeverioris diſciplinæ Profeſſores pertineat, aut certè non ſit præcipientis, quod abſolutè neceſſarium ſit, ſed ad meliora aut perfectiora invitantis. Nam & S. Lucas ea Domini verba referens: *dicebat autem ad omnes*, inquit; & alibi Salvator disertè univerſéq; pronunciat: *Qui non accipit cru-* Matth: 10.
*cem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus*; hoc eſt, non eſt dignus Chriſtiani nomine, regno meo, Societate meâ. *Nec dubitare debemus* (quæ S. Leonis verba ſunt) *hanc vocem,* Serm. 9. de
*non ſolùm ad diſcipulos Chriſti, ſed ad cunctos fideles pertine-* Quad.
*re.* Quia, ut idem ait cum Apoſtolo: *Omnes qui piè volunt* 2. Tim. 3.
*vivere in Chriſto JESU, perſecutionem patientur. Sicut ergo totius eſt corporis piè vivere, ita totius eſt temporis crucem ferre.* Neceſſe quippe eſt piè viventem, Deóq; placere cupientem, varijs probari exerceriq; tentationibus; &, ut deſit externus perſecutor, ipſum ſibi vim inferre continuam, ut



Digitized by Google

ad malum pronas cupiditates cohibeat, ut ſenſus à noxijs retrahat, ut denique (Pſalmiſtæ phraſi) carnes ſuas Dei timore configat. Unde etiam ad modò relata Apoſtoli verba S. Chryſoſtomus: *Impoſſibile eſt*, inquit, *ut qui malis bellum indixerit, preſſuris careat; nefas eſt pugilem DEI, vacare delicijs, non licet epulari luctantem.* Accingat ergo ſe ad crucem ferendam, quisquis vult in Chriſto piè vivere, & per aſpera tribulationum in Regnum Dei introire.

*Secundo loco* id obſervemus, quòd, quemadmodum Redemptor noſter, non utcunque crucem bajulaſſe ſcribitur, ſed ſibi, ſive in qua figendus, atque ad extremum immoriturus erat; in quo longè diverſa fuit ejus ratio, atque Simonis illius Cyrenæi, qui etiam crucem bajulavit, ſed alienam, nec ſibi ſed Chriſto figendam: ita quiſque noſtrum crucem ſuam bajulare debeat, ſuam, inquam, cui immoriturus ſit, & in qua agonem virtutis, ac patientiæ certamen conſummaturus. Quo nimirum nobis in complectenda cruce atque ferenda, fortis alacritas, & in perſequendis uſque ad mortem Chriſti veſtigijs, conſtans perſeverantia commendatur.

Qui mediocri virtutis perfectione contenti, evangelicæ crucis pondus, aut mortificationis ſtudium, vel languidè primùm ſuſcipiunt, vel cùm animosè ferre cœperint, laboris tædio atq; impatientiâ laſſeſcunt, & animi ardorem conatúmq; remittunt; ij quodammodo conſiſtunt ad pedem Calvariæ, neque per ſignatas divino ſanguine ſemitas, ad montis cacumen unquam evadunt, multò minùs ipſum crucis Chriſti faſtigium, ſive ſummum apicem Chriſtianæ perfectionis, apprehendunt.

Crucem igitur ſuam tollere, vitæ perfectæ inchoatio eſt; at Chriſtum ſequi, eóq; quò ille cum cruce ſua antegreſſus eſt, pervenire; ſuprema virtutis abſolutio, & conſummatio eſt evangelicæ perfectionis. Quod ipſum fortaſſis

taſſis indicare voluit S. Hieronymus, cùm dixit: *Qui deponit veterem hominem cum operibus ſuis, & denegat ſemetipſum, tollit crucem ſuam, & mundo crucifigitur: cui autem mundus crucifixus eſt, ſequitur Dominum crucifixum.* Quaſi dicat: eum, qui ſuis pravis cupiditatibus carniſq; deſiderijs renunciat, crucem ſuam tollere: qui verò inſuper, perfecto ſtudio divinæ imitationis, dura & aſpera, & carni ſuæ inimica conſectatur, hunc jam ſequi Dominum crucifixum. Quod clariùs explicat in ſequentibus, dicens, citatis illis Matthæi verbis (*Si quis vult poſt me venire, &c.*) provocatos à Chriſto diſcipulos, *ut abnegarent ſe, & morientium animo ſequerentur Magiſtrum.* Quod enim dicit, *morientium animo;* vel ad id retulit quod dicebamus, nempe crucem nobis ita ferendam, ut in ea nobis moriendum denique exiſtimemus; vel certè ſtudium perfectæ mortificationis inſinuet, cujus duæ iſtæ quaſi partes ſint, abſtinere ſcilicet, & ſuſtinere; abſtinere placitis, & ſuſtinere contraria: ex quibus tanquam duobus lignis, oporteat uniuſcujusque crucem, qui Chriſtum ſequi perfectè voluerit, conſtrui atque conſtitui. Placet etiam quod obſervat hoc loco Chryſoſtomus; cùm ad crucem tollendam hortatus eſſet, illico ſubjunxiſſe Chriſtum, *& ſequatur me;* ut intelligeremus, crucis aut paſſionis tolerantiam non ſufficere, niſi inſuper ex Chriſti amore atque imitatione patiamur: alioqui enim ſterilem fore laborem noſtrum, & infructuoſam quorumvis malorum perpeſſionem. Ut ſcitè Joannes Thaulerus, eos Religióſos, qui ſine ſpiritu, & aridâ duntaxat conſuetudine, aut etiam inviti, jugum religionis ſupportant, *Martyres infructuoſos* appellârit: quòd nimirum eos neceſſe ſit, ex ſuæ profeſſionis ratione, & longo tanquam martyrio confici & extabeſcere; & tamen tot moleſtiarum fructum nullum, aut mercedem referant; quia crucem portant, ſed non poſt Chriſtum, hoc eſt, non ijsdem cum Chriſto veſti-

*In c. 16. Matt.*

*Hom. 56. in Matt.*

*Inſtit. c. 11.*



Digitized by Google

gijs, non eâ formâ, ſenſu, mente, non eo ſpiritu, quo Chriſtus.

*Ultimo loco* adjungimus; ad crucem noſtram, ſive generosè tollendam, ſive conſtanter perferendam, magno incitamento eſſe debere: quòd eam non tantùm portemus poſt JESUM, idque in magno comitatu cujusvis ætatis, ſexûs, ac conditionis hominum, ſuam humeris crucem jucundè hilaritérq; portantium, atque Chriſtum (quod hic ait noſter Cornelius) per crucem ad mortem, & per mortem ad beatam immortalitatem, ſequentium: verùm etiam hanc ipſam crucem noſtram conjunctim portemus cum JESU. Et ita quidem, ut (quemadmodum in Simone Cyrenenſi ſubinde exhibent noſtri pictores) non niſi extremum ejus tangere, aut eam minimâ ſui parte ſupportare videamur, reliquo illius pondere, & ipſâ quaſi totâ cruce, divinis humeris incumbente. Nam, juxta quod antea diximus, etiam hoc ſenſu: *Languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit.* Eosq; hoc pacto nobis leviores ac tolerabiliores effecit: ſimul gratiæ ſuæ tanquam oleo jugum noſtrum leniens, & quâdam amoris dulcedine, & efficaci ſaporis intimi ſuavitate cruces condiens, ut propterea hunc in modum ſoleret JESUM precari Thomas à Kempis: *Sapiat mihi beata crux tua, & taliter ſapiat, ut meam libenter feram:* Simul denique potenti exemplo, & magnis promiſſis nos alliciens, & quaſi nos reſpectans identidem, & velut digito ſurſum intento, cœleſtes coronas oſtentans; ut ne fatigemur animis noſtris deficientes; ſed per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen. Unde S. Auguſtinus: *Per dura ambulavit, ſed magna promiſit. Sequere. Noli tantùm attendere quà iturus es, ſed & quò iturus es. Tolerabis dura temporalia, ſed ad lætitiam pervenies ſempiternam.* Hæc Auguſtinus.

*Orat. 2. de paſſ.*

*Conc. 2. in pſ. 36.*

CAPUT

# Caput VIII.

## *Imitatio Chriſti, in cruce pro inimicis deprecantis Patrem.*

### §. I.

### *Admirabilis ejuſce facti conſideratio.*

Multa ſupra communem naturæ curſum, multa præter uſum diſciplinámve mortalium, in Chriſti paſſione ac morte contigêre: ſed nihil fortaſſis admirabilius ſimul & amabilius, nihil noſtrum omnium, qui Chriſti nomen atque doctrinam profitemur, imitatione dignius, illo incredibili erga perſecutores dilectionis exemplo, quod ſtupenti mundo in patibulo pendens Chriſtus exhibuit; pro inimicis ſuis Patrem deprecans, & ijs quidem inimicis, quorum etiam manus ſuo ipſius cruore ſtillantes aſpiceret, & quorum ſtudio, ipſo in tempore, morte indigniſſima ac crudeliſſima conficeretur. At quæſo te, anima Chriſtiana, ejuſdem facti admirabilis conditiones, atque adjuncta tecum penſiculatiùs perpende.

Verſabatur benigniſſimus Redemptor in magnis ac ſupremis anguſtijs, & tantùm non cum morte luctans, propinquantis leti prænuntijs doloribus occupabatur. Nulla erat in toto corpore cruciatûs ac pœnæ pars vacua; & ſuper veterum plagarum à flagellis, à ſpinis acerbitatem, manabant reſiduo ſanguine manuum pedúmq; cruda vulnera, recenti clavorum impactu per venas & nervos inflicta. Ad hæc pulſabant benignas aures atrociſſimæ inimicorum contumeliæ, & amaræ opprobrantium irriſiones, vocésq; invicem plaudentium, & veluti re ex voto geſtâ, hoſtis ſui capitaliſſimi ultimum exitium gratulantium.

Quid inter hæc clementiſſimus Jesus? tanquam horum

rum nihil ipſe ſentiret, aut ea ad ſe non pertinerent, ſuimet oblitus, ſed charitatis ſuæ nusquam immemor, unâ curâ ſalutis inimicorum ſuorum tangitur, & converſus ad Patrem, veniam eis pacémq; flagitat: *Pater*, inquit, *dimitte illis: non*
*Lucæ 23.* *enim ſciunt, quid faciunt.* Ubi rurſum & has ejus orationis circumſtantias attende.

Primùm enim, vix crucis aram univerſo mundo Patrem placaturus inſcenderat (ut enim ait S. Leo, *crux ara fuit, non templi, ſed mundi*) & ecce, prætermiſsis cæteris, prima illi eſt & antiquiſsima de tortorum ſuorum ſalute ſolicitudo, prima pro crucifigentibus ſe deprecatio: perinde atque ſi nullos his chariores haberet, aut de illo ipſi præ cæteris bene meriti eſſent. Itaque qui in ſe diſcruciando & excarnificando potiores partes habeant, hos fructuum crucis & mortis ſuæ optat eſſe primitias. quomodo à B. Petro
*ſerm. 49.* Damiani appellari video felicem latronem, quem utique ſatis eſt credibile, principiò Chriſto convitiatum, eóq; & ipſum Chriſti perſecutoribus annumerandum eſſe.

Deinde obſerva, quàm non timidè aut dubitanter hanc cauſam oret. Non dicit, ut nuper pro ſe ipſo in horto deprecans: *Pater, ſi vis, ſi poſſibile eſt; veruntamen non ſicut ego volo, &c.* Sed nullâ adjectâ conditione, liberè fidentérque poſtulat: *Dimitte illis*; ut hac ratione ingens demonſtret ſalutis eorum deſiderium, & efficaciùs, id quod contendit, obtineat.

Poſtremò, quod aliàs non ſolet, adjungit & poſtulati cauſam, allegatâ ſcilicet facti ignorantiâ, ut eò veniâ dignos oſtendat, quòd non tam animi pravitate tam grande ſcelus deſignaverint, quàm humano quodam errore ducti ad illud deſcenderint; *Non enim ſciunt*, inquit, *quid faciunt*: quaſi in hunc modum inſtaret Patri. Tuam hîc ego miſericordiam ac clementiam, Pater optime, quo poſſum affectu imploro atque obteſtor. Noli, amabo, attendere

Digitized by Google

dere à quibus ego iſta patiar, ſed quorum gratiâ, & quorum amore moriar. Hi quidem acerbè & crudeliter in me ſæviunt: ſed neſcientes ſerviunt altitudini conſilij tui, quo non niſi morte Unigeniti ſalvare mundum, *& pacificare per ſanguinem crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ in cælis ſunt*, conſtituiſti. Col. 1. Nimirum & iſto ſanguine mundari, ac tibi reconciliari poſſunt, etiam qui ipſum de venis meis in mundi totius remedium extraxerunt. Sine, hoſce delibem tibiq; offeram paſſionis meæ fructus primulos, etiamnum calenti meo ſanguine aſperſos atque coloratos. Per hunc ipſum ego te ſanguinem, per dolores quibus exanimor, & crudelem iſtam meorum artuum diſtenſionem; per hoc veſpertinum ſacrificium, quod tibi nunc offero in elevatione manuum mearum: ignoſce, Pater, neque hanc illis noxam imputa, in quam non malitiâ illi quidem, ſed mei ignoratione incidêre. *Si enim cognoviſſent,* 1. Cor. 2. *nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* Vocem enimverò Deo-homine dignam! & prodigioſam ſuaviſſimi cordis Chriſti charitatem!

*Vide nunc* (exclamat admirabilitate rei perculſus mellifluus Bernardus) Fer. 4. hebd. pan. *vide nunc opera Domini; quæ poſuit prodigia ſuper terram. flagellis cæſus eſt, ſpinis coronatus, clavis confoſſus, affixus patibulo, opprobrijs ſaturatus; omnium tamen dolorum immemor: Ignoſce, ait, illis.* Et poſteà: *O quàm multus es ad ignoſcendum! ô quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine! ô quàm longè cogitationes tuæ à cogitationibus noſtris! ô quàm firmata eſt etiam ſuper impios miſericordia tua! Mira res. Ille exclamat, Ignoſce: Judæi, Crucifige:* & quæ ſequuntur.

## §. 2.

### *Clementiæ Chriſti, & humanæ inclementiæ in re propoſita comparatio.*

Verùm,

VErùm, dulcis Jesu & Redemptor mi clementiſsime, ut hujus fidelis ſervi tui ſenſibus paulùm inſiſtam in præſentia: quantum hîc diſsident cogitationes tuæ à cogitationibus noſtris, & viæ tuæ à vijs noſtris.

Ecce tu in ipſis extremis ac mortiferis doloribus, in dira membrorum ac viſcerum tuorum carnificina poſitus, ijs ipſis crudeliſsimis tortoribus, qui per mille mortes animam tuam extrahunt, ac pœnis tuis ludunt, non modò ex animo ignoſcis, ſed etiam extenſis in cruce brachijs, oculis ſanguine fletúq; rorantibus, illis placare ſtudes offenſum Patrem, eorúmq; cauſam velut clientum addictiſsimorum ſuſcipis. Nos ſi verbulo tantùm aut ſigno aliquo ſiniſteriore læſi ſumus, eorum qui vel imprudentes offendiſſe nos exiſtimentur, non modò convictum & conſuetudinem, ſed occurſum etiam atque conſpectum averſamur.

Tu, dum odio ac furore incitati inimici tui, modis omnibus excruciatum, in crucem demum moriturum te adigunt, tuósq; dolores exacerbant intolerandis opprobrijs, etiam vigentem inſtantémq; ac prementem injuriam, mente aliò conversâ, non attendis, ſed diſsimulas, ſed elevas, atque iræ paternæ avertendæ, poſt homines natos atrociſsimo ſceleri, ignorantiæ aut incogitantiæ velamen dulcis patronus obtendis. Nos leviſsimam ac penè nullam offenſionem altâ ac pertinaci mente repoſtam, ipſo tempore obliterari non patimur; ſed (quod portenti eſt ſimile) mortales adverſus mortales immortalibus odijs ardemus, neque quidquam de vindictæ ſtudio vel ſub ipſa morte remittentes, etiam in ſepulchro ac frigidis noſtris cineribus odia inextincta vivere cupimus.

Tu denique inimicis tuis, neque noxam ſuam confitentibus, neque deprecantibus injuriam, ſed perſtantibus in amentia, & ſceleris ſui ardore inflammatis, quantum in te eſt, pacem offers, provocas ad amicitiam, & (quod ait

Scri-

Digitized by Google

Scriptura) carbones ignis, non illos furoris atque vindictæ, ſed flagrantiſſimæ charitatis, ſuper illorum capita congeris. Nos ſubinde, per ſummum nominis Chriſtiani opprobrium, etiam hoſte ſupplice, & ad pedes noſtros abjecto, perſtamus inexorabiles, & veniam pacémq; orantem, ne aſpectu quidem dignamur. Et inter hæc quis es tu Domine, & quid nos ſumus? Tu Dominus Majeſtatis & gloriæ, & princeps Regum terræ, qui claves habes vitæ & mortis, in cujus manu ſunt cœli armamentaria, qui potes rogare Patrem, & exhibebit tibi modò plus quàm duodecim Legiones Angelorum, cujus denique ad percellendos inimicos, vel ipſa vox tonitruum eſt, indignatio, fulmen; te ipſum ulciſci cùm poſſis nullo negotio, tamen non modò ultione abſtines, ſed tui interfectores crudeliſsimos atq; injuſtiſsimos ulnis dulciſſimæ charitatis aſtringis, apprimiſq; tuo pectori, volens eos in primis fructûs mortis tuæ atque ſanguinis eſſe participes. At nos terræ filij, & velut fungi noctis unius, aut humi ſanè repentes vermiculi, ad quemvis attactum inſtar immanis hydræ tumentes, veneno turgida colla attollimus, ignem ſpiramus, peſtem & exitium ſpargimus. Et quidquid tandem eſt illatum injuriæ, quacunque poſſumus ratione ulciſcimur: atq; ubi ejus facultas deeſt, tamen omnes vias ulciſcendi circumſpicimus, in idque ſuperos atque inferos advocamus. *Rom: 12.*

Atqui (ut jam divinam humanámq; perſonæ tuæ dignitatem taceam) tu, ille agnus innocens, & ſine macula, tu vir mitiſsimus ſuper omnes homines, & qui nullâ quemquam injuriâ læſeris, ſed pertranſieris benefaciendo & ſanando omnes; talem ſuſtines adverſùs temetipſum à peccatoribus contradictionem. Ubi nos qui faſtu noſtro, atque animi impotentiâ, atque tot malè ſeu dictis ſeu factis alios læſimus, & (ut nihil aliud) Deum atrociter offendimus, & mille gehennas fortaſſe commeriti ſumus; ferre non poſ-

ſumus vel umbram injuriæ, ſed continuò ad arma procurrimus, ruimúsq; in cœdes mutuas, & amentiam hanc atque furorem (in diſciplinæ Chriſtianæ contumeliam) generoſitatem atque excelſitatem animi vocamus.

Nimirum pleriſque Chriſtianorum imponit neſcio quæ honoris umbra, & fucata ac fallax gloriæ ſpecies faſcinat oculos; ut jam non attendant ubi conſiſtat vera gloria, quàm manifeſtum ſit in Domini noſtri imitatione, & propinquo ad DEUM moréſq; divinos acceſſu ac ſimilitudine ſitam eſſe. Itaque quod olim alia de cauſa deplorabat S. Chryſoſtomus: *Honoris ſervi facti ſumus, DEO dimiſſo:* (Hom: 10. Eph:) populareſq; rumuſculos, hominúmq; de nobis opiniones, (quod rectè judicanti, inſaniæ eſt manifeſtariæ) ante ſalutem ponimus.

At; ô bone JESU, quid hîc obtendemus excuſationis, ubi in conſpectum tuum venerimus? aut quam à te expectabimus veniam, ſi adverſùs eos qui nos læſerint, implacabiles nos inexpiabileſq; præbemus? Nam ſi, ſecundùm Evangelium tuum, eâdem Lege nobiſcum ages, quam alijs ipſi ſcripſerimus: perijmus ſanè, & ipſo noſtro præjudicio prædamnati, jam ante judicium tuum, reſponſum mortis in nobis habemus.

## §. 3.

*Evangelicæ diſciplinæ prima de re præſenti præceptio.*

SEd quando hoc loco, non de communibus Chriſtianæ vitæ officijs diſputamus, verùm hominem perfectionis ſtudioſum, & Dominum ſuum propiùs imitari cupientem, ſanctioribus monitis inſtruimus: videamus potiùs, quibusnam præceptis ars ea conſtet, & quâ ratione ad maiorem animæ profectum excolenda, & ad uſum ipſum adhibenda videatur.

Diſciplinam hanc omnem Magiſter cœleſtis tribus præ-

præceptionibus ſummatim complexus eſt Matthæi 5. capite. Quarum illa prima, ac cæterarum tanquam baſis eſt: *Diligite inimicos veſtros.* Quam ad rem, ultra Præceptoris exemplum, multa ſunt, quæ ſolertem Chriſti diſcipulum excitent. ut ecce:

*Primò:* Quòd ea diligendorum inimicorum profeſſio, propria laus ſit Evangelicæ diſciplinæ: neq; aliâ re magis denotari atque diſcerni poſſit, ſimúſne re ipsâ, an ore tenus & vocabulo tantùm Chriſtiani. Nam ab infideli quid jam diſtabit Chriſti ſectator, ſi amicos duntaxat & in ſe beneficos is diligat: cùm, ut admonet ibidem Salvator, etiam Ethnici id faciant; imò & brutæ animantes, quos ſibi bene velle ac benefacere ſentiant, etiam ipſæ redament, ipsâ id tradente, atque ita inſtituente, naturâ?

*Secundò:* Quòd inimicorum dilectio præclaræ cujusdam atque heroicæ virtutis actus ſit; eâq; propter res Deo cumprimis accepta. Dum nimirum ipſius amore, comprimimus in nobis ſuffocamúsq; blandam ſanè atque humanæ menti altè inſitam vindictæ cupidinem, & infeſta adverſantium odia, quadam charitatis abundantiâ ſuperamus. Ut enim præclarè S. Auguſtinus: *Minùs magnum eſt erga eum eſſe benevolum, ſive etiam beneficum, qui tibi nihil mali fecerit. Illud multò grandius, & magnificentiſſimæ bonitatis eſt; ut tuum quoque inimicum diligas, & ei qui tibi malum vult, & ſi poteſt facit, tu bonum ſemper velis, faciásq; cùm poſſis; illius memor exempli, qui in cruce pendens pro ſuis exorat perſecutoribus, ſuósque admonuit dicens: Diligite inimicos veſtros, &c.* *Enchir. c. 73.*

*Tertiò:* Quòd ea, in nobis adverſantes charitas, multò ſincerior, purior, defæcatior ſit; eóq; certius indicium noſtræ adverſùs Deum veræ ac non ſimulatæ, ſolidæ & non adumbratæ, dilectionis.

Quippe in amicis diligendis, cùm aliæ plures occur-



Digitized by Google

rant & offerantur amandi cauſæ; facilè uſuvenire poteſt, ut in eos non purè Dei reſpectu, ſed vel ob naturalem conjunctionem ſanguinis, vel propter morum animorúmve conſenſionem, vel alijs denique humanis ducti rationibus, amorem noſtrum ac benevolentiam impendamus: ut talis benevolentiæ ſinceritas non immeritò nobis plerumque ſuſpecta eſſe poſsit. At in inimicis, cùm, exceptâ Dei divinæq; charitatis contemplatione, omnis alia ceſſet diligendi ratio; fit, ut illis impenſus amor, purior, certior, Deóq; dignior, eidémq; proinde acceptior ac jucundior, ſit. Idq; eò etiam vehementiùs: quòd vel hinc in primis æſtimare liceat, quanta vis ſit noſtræ adversùs eũ charitatis, & quàm animoſa & acris ſit noſtra dilectio; ut quæ inſtar ignis ingentis, non proximos tantùm complectatur ac corripiat, ſed ad eos etiam, qui ſtudijs ac voluntatibus longè à nobis diſſident, pertineat atque pervadat.

*Poſtremò:* quæ magis intima eſt, & hujus loci propria ratio: ſi, ut habent prima diſciplinæ crucis elementa, oportet nos afflictiones omnes & injurias, undecunque offerantur, velut Dei dona, & pretioſa Crucifixi xenia ſuſcipere atque exoſculari; conſequens eſt, ut ad eos quoque noſtra ſe protendat benevolentia, quorum ea nobis miniſterio proveniunt: nihil ſanè attendentibus nobis, quanam illi mente aut ſtudio nos exerceant; ſed illud unicè contemplantibus, cujus ipſi manus inſtrumenta ſint, aut quo modo in nos affectus ſit, qui his adminiſtris, tametſi neſcientibus aut aliorſum ſpectantibus, ad gloriam ſuam & noſtrum profectum, ſapientiſſimè atque amantiſsimè utatur.

*Jerem. 25. 27 43.* Ita enim Deus Opt: Max: ore Jeremiæ Nabuchodonozorem non ſemel ſervum ſuum appellat; quòd (ut magis
*Ezech. 29.* explicat Ezechiel) in urbibus varijs expugnandis caſtigandiſq; populis, ſuæ (quamvis neſcius) providentiæ ſervierit.
*Iſai. 45.* Et alibi ait ſimiliter, ſeſe Cyri Regis, ignorantis licet, apprehen-

Digitized by Google

prehendiſſe dexteram, ut eâ ſcilicet ad ſua deſtinata uteretur, veluti ſuorum conſiliorum adminiſtrâ. Quare quod de illo ſene in vitis Patrum legimus, qui ejus manum, à quo variè vexatus fuerat, oſculis impertiebat moriens; quòd eam diceret, plurium ſibi cauſam bonorum, & cœleſtis aditûs aperiendi adminiſtram fuiſſe: id hactenus liceat in uſum noſtrum deducere, ut & ipſos adverſarios noſtros, quaſi pretioſorum Dei munerum bajulos, gratiâ ac benevolentiâ complectendos putemus, & tanquam ipſam Dei nos exercentis atque erudientis manum, in ipſis agnoſcere, & cum veneratione exoſculari diſcamus. L. 7. c. 3.

Eodem pertinet, quod de Viro Dei Stephano Abbate refert B. Gregorius: *Virtus patientiæ* (inquit) *in eo vehementer excreverat, ita ut eum ſibi amicum crederet, qui ſibi moleſtiæ aliquid irrogâſſet. Reddebat contumelijs gratias. Omnes ſuos adverſarios nihil aliud quàm adjutores æſtimabat.* Cui etiam affine eſt, quod de ſemetipſo fertur ſub mortem teſtatus F. Bernardus de Quintavalle, S. Franciſci filius primogenitus: ſe nimirum fratrem, poſt acceptam ab eo injuriâ, ampliùs quàm antea dilexiſſe. Hom: 35. in Evang: Wading. A. 1241. n. 7.

## §. 4.

### *Alterum ac tertium eandem in rem Chriſti præceptum.*

Altera huc pertinens, atque ex jam dictis conſequens, Magiſtri noſtri præceptio eſt: *Benefacite his qui oderunt vos.* Si enim, quod ait idem S. Gregorius: *Probatio dilectionis, exhibitio eſt operis:* affirmanda eſt benefactis nobis adverſantium dilectio; ne legitimâ hâc probatione deſtituta, charitatis duntaxat umbra, & ſimulacrum rei vacuum, nòn res ipſa & veritas, eſſe videatur.

Atque ut ad eam virtutis abſolutiſsimæ perfectionem nos provocet Magiſter noſter, Patris noſtri cœleſtis offert exemplum; qui magnificentiſsimâ bonitate, ſolaris lucis beni-

benigniſsimam effluentiam diſpenſat in omnes, nullo proborum improborúmve diſcrimine, & cœleſtibus item imbribus cæteráq; ſuâ beneficentiâ, etiam ſceleratos, & in ſemetipſum contumelioſos, aſpergit: *Ut ſitis* (inquit) *filij Patris veſtri qui in cælis eſt.* Quaſi eà demum conditione verè futuri Dei filij, & pro legitimis & ingenuis agnoſcendi; ſi in actibus noſtris (quod ad rem præſentem attinet) paternæ indolis ac generoſitatis quasdam ſcintillas, aut divinæ ſuæ bonitatis non obſcuram imaginem, & tanquam divini vultûs ſui expreſſa quædam lineamenta, recognoverit.

Et ſanè divinius nihil eſt, nihil quo propiùs ad paternam ſimilitudinem accedamus; quàm ſi, ut eſt monitum Apoſtoli, vincamus in bono malum, &, magnificentiſſimo vindictæ genere, acceptas injurias beneficijs repenſis ulciſcamur: diciq; poſſit de homine Chriſtiano, ſi quâ fortè injuriâ à fratre ſuo affectus eſt, quod de Chriſto S. Ambroſius: *Vulnus inflictum erat, & fluebat unguentum.* Verbo fortaſſis, aut etiam facto læſus eſt, & (ut id quoque faciamus) plagam etiam ab inimico luculentam accepit. Vulnus inflictum eſt, ſed fluat unguentum; ſuavitas pacis, amoris dulcedo, oleum beneficentiæ; ut non modò remittatur offenſa, ſed (ſi fieri poteſt: & quidni poſſit?) etiam beneficiũ maleficio rependatur. Sic etenim ſanctus iſte Doctor, balſami arbuſculæ Chriſtum comparans, quæ compuncta unguentum velut lacrymam emittit: *Sicut & Chriſtus*, inquit, *in illo tentationis ligno illacrymabat populum*, (hoc eſt, tanquam balſami lacrymâ reſpergebat) *ut peccata noſtra dilueret, & de viſceribus miſericordiæ ſuæ fundebat unguentum*, *dicens: Pater, dimitte illis, quia neſciunt, quid faciunt.* Tum illud ſubjungit quod modò laudavimus: *Vulnus inflictum erat, & fluebat unguentum, &c.*

*Serm. 3. in pſal. 118.*

Quamobrem pleroſque Sanctorum, quorum res geſtæ ſunt præ manibus, in id ſolicitiùs incubuiſſe animadvertimus:

mus:

mus; ut ſi quos ſibi ſpecialiter infenſos experirentur, eos non communi duntaxat cum cæteris complecterentur benevolentiâ, ſed ſingularibus ſupra cæteros atque eximijs remunerarent officijs: haud ignari, quantùm in eo poſitum eſſet, ſive ad majorem cœleſtis Patris gloriam (cui id perhonorificum ac perjucundum eſſe ſcirent) ſive ad perfectam ſui victoriam, & Chriſtianæ virtutis abſolutionem. Quo in genere (ut alios taceam) memoratu dignum eſt, quod apud Thaulerum refertur de Virgine quâdam virtutis eximiæ; *Inſtit. c.31.* quæ nimirum ſub mortem interrogata, quibus artibus potiſsimùm ad eam virtutis ac ſanctitatis conſummationem perveniſſet, ingenuè reſpondiſſe fertur: tribus hiſce rebus ſeſe ad Chriſtianæ vitæ perfectionem eſſe connixam. Primò enim (ajebat) afflictiones meas nulli niſi DEO queſta ſum. Secundò: corde ſemper fui liberaliſsima, & ſi quando opere non poteram, voluntatis tamen propenſione præſtò aderam indigenti. Tertiò: ijs à quibus læſa fui, beneficium ſingulare rependi, quod non feciſſem, niſi ab eis læſa fuiſſem. Hæc illa.

Poſtrema præceptio: *Orate pro perſequentibus & calumniantibus vos.* Quod quidem præclaræ cujusdam beneficentiæ genus eſt, & certum ſinceræ dilectionis argumentum. Unde præclarè S. Ambroſius, cùm de diſsimulanda ignoſcendáve injuria Davidis exemplum commemoràſſet: *Eſt,* *ſerm. 7. in pſ. 118.* inquit, *& aliud juſti propoſitum, longè omnibus perfectius & potentius, intervenire pro perſequentibus, & excuſare peccantes: quod legimus in Evangelio, dicente Domino JESU, cùm crucifixus eſſet à perfidis: Pater, dimitte illis, &c.* Quippe id, uti demonſtravimus, divinus ille Magiſter noſter, non verbo aut præcepto duntaxat, ſed facto quoque atq; exemplo excellentiſsimè docuit; ut ei ſpeciatim præceptioni, proprij incitamenti gratiâ, adjungi poſsit hæc ratio: *Orate pro perſequentibus vos;* ut ſitis diſcipuli Magiſtri veſtri cœleſtis,

leſtis, qui in cruce pendens, hujus diſciplinæ ſummus ac princeps autor extitit, atque ad eam præſertim diſcipulos dociles, & imitandi ſui ſtudioſos requirit.

Quapropter homini perfectionis Evangelicæ ſtudioſo, hoc in re præſenti commendatum eſto præceptum: ut quoties nimirum is caſus incidet, ut eum quis forſan contumeliâ, opprobrio, damno, maleficio quocunq; afficiat; continuò mente, aut oculis etiam in cœlum ſublatis, etiam dum flagrat injuria, pro injurioſo precetur DEUM, ne iſtam ei noxam imputet, quin ei potiùs benefaciat, eiq; de cœlo ſpiritum bonum impertiat. Quam quidem artem multiplex conſequetur utilitas.

*Prima:* Quòd eâ ratione Domino ſuo ſimilior futurus ſit, qui utique in ipſo tempore, quo vis ac furor inimicorum in ipſum ingruebat ut cùm maximè, amanter pro ijs deprecatus eſt Patrem; eóq, proinde documento demonſtraturus ſit, nonnihil ſeſe in Crucifixi ſchola ac diſciplina profeciſſe.

*Secunda:* Quòd per eam induſtriam, continuò mentem ad DEUM convertens, atque ab injuria divertens, injuriam ipſam minùs attendet, minùs ſentiet, eóque molliùs feret ac patientiùs.

*Tertia:* Quòd eo generoſo charitatis actu, multùm in DEI ac proximi dilectione ſtabiliendus atque firmandus ſit, ipſámq; divinam benignitatem provocaturus, ut ſe ſpecialibus beneficijs ac liberalitate proſequatur.

*Poſtrema:* Quòd hac ratione, & per hanc (ut S. Paulinus appellat) vindictam cœleſtem, carbones ignis ſuper inimici caput congeret, eique DEUM conciliabit; quo fiet fortaſſis, ut mente divinitùs immutatâ, avertatur à contumelia, & cum læſo redeat in gratiam; qui proinde eo charitatis adversùs lædentem officio, *lucratus erit fratrem ſuum*, ut Salvator loquitur in Evangelio.

*Ep: 1. ad Sev.* *Matth: 18.*

Quæ

Quæ ſi generatim, & erga quemvis, etiam inimicum, vera ſunt, quantò magis adversùs fratrem & Dei amicum, qui te per errorem, imprudentiam, levitatem animi, fortaſſis etiam nullâ ſuâ culpâ offenderit; quem utique tecum invenis in viſceribus Chriſti, quem aſpicere debes ut templum Dei, filium ejusdem Patris cœleſtis, conſortem gratiæ, cohæredem gloriæ; in qua ſit æternùm ſuaviſſimâ tibi charitate, & indiſſolubili amoris nexu conjungendus:

# Capvt IX.

## *Chriſti in cruce morientis imitatio.*

### §. I.

*Imminentem mortem de manu DEI libenter ac promptè acceptare.*

AD propoſitam in hoc capite imitationem, quæ ob rei momentum nobis debet eſſe commendatiſſima, non pauca videntur ſuggeri poſſe. Quorum primum eſt; ut Chriſti Salvatoris exemplo, qui Patri *factus obediens usq; ad mortem*, etiam *inclinato capite tradidit ſpiritum, ut non neceſſitate* (quæ verba ſunt Joannis Chryſoſtomi). *ſed voluntariè ſe mori oſtenderet:* nos quoque ubi hora illa fatalis advenerit, mortem de manu Dei, veluti Patris amantiſſimi, libenter ac promptè ſuſcipiamus, divinæq; Legi ac imperio pronam cervicem inclinemus. *Hom. 24. in Matt.*

Nam ſi ille innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, inſuper & naturalis Dei filius, qui proinde nullo mortis debito tenebatur, tamen ut & paternæ voluntati, & immenſo ſuo erga nos amori ſatisfaceret, pro nobis morti ſubijci voluit, ejúsque guſtare amaritudinem: indigniſſimum erit profectò, ſi nos, qui non tantùm naturâ ſervi,

ſed etiam filij iræ ſumus, inſuper & tam multa peccavimus, mortem tot titulis nobis debitam refugiamus, & non niſi ægro & averſanti animo excipiamus.

Proinde præclarè S. Ambroſius in libro de obitu Satyri fratris, negat moriendi conditionem à nobis recuſandam: *cùm ad ſolatium noſtri, filium ſuum unicum Pater pro nobis tradiderit ad mortem.* Aitque *eſſe magnum pietatis myſterium, ut mors corporis nec in Chriſto eſſet excepta: ac licet naturæ Dominus, carnis tamen quam ſuſceperat legem non recuſaret. Quod igitur* (concludit) *majus eſt ſolatium noſtri, quàm quòd ſecundùm carnem & Chriſtus mortuus eſt?*

Præſertim autem, cùm mors, quæ antea magis terribilis ac minax apparebat, ipsâ Chriſti morte jam quodammodo exarmata ſit, ejúsq; ſtimulus in Chriſti corpore retuſus: eámq; adeo jam non ut interitum, ſed, ut vitæ januam; non ut ſomnum ferreum atrámue noctem nobis incubantem (qualem eam olim ſibi fingebant increduli) ſed ut brevem ſoporem, ex quo aliquando in lucem æternam evigilemus, aſpicere debeamus. *Miſeratione etenim Domini* (ut rurſum pulchrè S. Ambroſius) *cœpit quies eſſe, quod mors erat; qui nobis ſoporem mortis vertit in gratiam voluptatis.* Et alio in loco: *Ubi reſurrectionis fides eſt, non mors, ſed ſpecies quietis eſt.*

*L. 5. in Luc. c. 5.*

*Ibid. l 6. c. 9.*

Ethnici olim, & præſertim Romani, cùm neque Dei hominis mortem ante oculos propoſitam, neque eandem ſpem atque nos ſibi repoſitam haberent, non niſi inviti atq; gementes, & fata Deóſq; incuſantes, vitâ excedebant. Unde Ille Romanus Sapiens: *Quis* (inquit) *ſine querela moritur? quis non recuſans, quis non gemens exit?* Neq; modò gementes & recuſantes exibant; ſed publicâ quoque profeſſione, etiam futuris ſæculis ſuum illum ſenſum ac queſtum transmiſſum volebant, illud ſepulchrali marmori, tanquam ex ſolenni formula inſcribentes: *Invitus morior*; prout

*L. 5. de benef. c. 17.*

Digitized by Google

prout in pluribus priſci ævi monumentis videre licet, apud Petrum Appianum, & alios. *Inſcript. antiq.*

Propria igitur boni Chriſtiani laus iſta eſt; ſui Ducis exemplo libenter mori, & diſpari licet commutatione, ei vitam ſuam promptè reddere, qui ei antea liberaliſſimè donârit ſuam. S. Franciſcus Aſſiſinas exultat ad mortis nuncium, & venientem blandis ſalutat verbis, & tanquam ſororem dilectam avido ſtringit amplexu. B. Gertrudis mortem optabat votis omnibus: unde illa frequens ipſius ad Sponſum anteà à nobis memorata ſuſpiratio: *O Domine, quando (te perimente) corpus meum reſolvetur in pulverem; & anima mea liberè reſluet in te ſuam originem?* *Vit. c. 14. Wading. A. 1226. n. 22.*

Idem erat ſenſus B. Catharinæ Adornæ: quæ mortem non (ut paſſim aſſolet) ſibi depingebat, luridâ, deformi, tetrâ, horridâ ſpecie; verum eam blandè compellans, ſuavem, dulcem, bellam, elegantem appellare ſolebat: in eo uno illam accuſans, quòd refugeret quærentes ſe, inſectaretur fugientes. Sed non eſt hoc loco prætereundus nobis Gerardus ille, S. Bernardi carne & ſpiritu germanus frater: de cujus obitu ſermone quodam verba faciens S. Bernardus, ait illum ſub vitæ exitum in iſtam vocem exultationis erupiſſe: *Laudate Dominum de cœlis, &c.* tum illa ſubdit propoſito noſtro congruentia: *Accitus ſum ego ad id miraculi: videre exultantem in morte hominem, inſultantem morti. Ubi eſt, mors, victoria tua? ubi eſt, mors, ſtimulus tuus? jam non ſtimulus, ſed jubilus: jam cantando moritur homo, & moriendo cantat.* Hæc S. Bernardus. *Vit. c. 7. Serm. 24. in Cant.*

Plures alios, qui ad Chriſti exemplum (nam hunc, ſub exceſſum è cœnaculo, cùm jam ad mortem properaret, velut voce cygnæâ hymnum decantaviſſe, receptiſſima ſententia eſt) & ipſi ſub mortem & aſcenſum in templum cœleſte, tanquam Canticum graduum cecinerint, refert Jeremias Drexelius in ſuo Chriſto moriente. Ut S. Servulum paraly- *cap: 1. 5. 6.*

*l. 4. dial. c. 14.* lyticum; qui (teſte S. Gregorio) cùm inſtantem ſui exitûs horam pſalmorum cantu celebraret, auditâ mox angelicâ melodiâ, ad cœleſtes illos choros eſt evocatus. Ut S. Platonem Abbatem, qui poſt glorioſa ob defenſionem ſacrarum imaginum certamina, ſub vitæ exitum ad ſepulchrum ſuum deferri voluit eóq; conſpecto ac ſalutato, illis è pſalmo verbis: *Hæc requies mea in ſæculum ſæculi*, ad extremum (ut ait hæc de eo referens S. Theodorus Studita) *ipſe funebre canticum ſibi ante mortem modulatus eſt*; illam præcipuè, quoad tenuis vox ſuperfuit, ſacri Cantici partem decantans: *Reſurgent mortui, & exurgent qui ſunt in monumentis, & lætabuntur qui ſunt in terra.* Quæ quidem habentur Iſaiæ 26. cap: 19. juxta verſionem ſeptuaginta. Ut S. Antonium Patavinum, qui moriens erupit in hymnum illum: *O glorioſa Domina.* Ut denique pium Religioſum ex Ordine S. Dominici, Nicolaum nomine, qui (ut ſcribit Cantipratanus) *L. 2. c. 50. n. 10.* Brugis Flandrorum ad extrema deductus, & ad ſe venientem JESUM conſpiciens, cantare cœpit: *In Galilæa JESUM videbimus, ſicut dixit nobis, Alleluja;* & in eo jubilo expiravit.

Atque hic eſt, mi Lector, non ſanè poſtremus Chriſtianæ Philoſophiæ fructus; cùm DEUS vocaverit, cùm ſupremus ille Imperator tabernaculi noſtri clavos refigi juſſerit, promptè obſequi, de vita libenter, quin etiam hilariter, concedere. Id quod ut faciliùs conſequare, faciendum tibi eſt, quod parte 2. præſcripſimus: ut nempe longâ meditatione, atq; exercitatione magnâ, dum ſanus es, ad mortem venturam te compares. Ut enim & hoc dicam cum *Ep: 30.* Seneca: *Venientem nemo hilaris excipit, niſi qui ſe ad illam diu compoſuerit.* Qui proinde rectè hoc brevi, ſed forti monito, epiſtolam illam ſuam concludit; *Tu tamen mortem ut nunquam timeas, ſemper cogita.*

§. 2.

Digitized by Google

## §. 2.

### *In DEI manus, & Crucifixi vulnera, ſpiritum ſuum commendare.*

ALterum hujus imitationis caput eſt, ut morientes animam noſtram in DEI manus, ipſáq; Crucifixi vulnera atque viſcera, amanter fidentérq; commendemus. Ad quod inprimis & valdè conducet, imaginis Chriſti crucifixi (quæ vel hunc in finem præſertim, ab unoquoque domi habenda eſt) contemplatio, oſculatio, complexus.

Supremus ſiquidem ac præcipuus imaginis Crucifixi uſus eſt, ut in manus detur, aut ob oculos proponatur morientibus, quo ex illa Domini propter ſe in cruce morientis contemplatione, dolorem peccatorum, ſalutis fiduciam, amorem tantæ bonitatis concipiant, ac denique inter crucis oſcula, Chriſtiq; complexum expirent, ſecundùm illud S. Auguſtini: *Inter brachia Salvatoris mei, & vivere volo, & mori cupio.*

Quem quidem uſum vel hinc conſtat eſſe antiquiſſimum: quòd in Prato ſpirituali cap: 77. Anachoreta quidam, poſt annos ſeptem àb obitu, memoretur, inventus cum argentea cruce in manibus: quemadmodum & temporibus noſtris, in oſſibus B. Roſaliæ cum prodigioſa illa petra concretis, inventa fertur parvula Crucifixi effigies, quam ſancta Virgo, ſolitario in ſpecu moriens, appoſitam ad pectus tenuerit. Et quòd Tractatu de Viſitatione infirmorum inter opera S. Auguſtini (tametſi is S. Auguſtini non ſit) effigiem Crucifixi, venerandam complectendámq; moribundis proponere, recenſetur inter exteriora ſigna, *pigritantis fidei* (prout loquitur is autor) *& compunctionis excitatoria, quæ religio Chriſtianitatis vult obſervari.* *L. 2. c. 3.*

Unde etiam apud vetuſtiores divinorum officiorum expoſitores præſcriptum legimus: ut Paſſio Domini vel ejus pars *Guil: Dur: l. 7. c. 35. Ioan. Beleth. c. 16.*

pars aliqua recitetur ante morientem, ſi litteratus ſit; ſítq; crux erecta ad pedes, ut moriens eam cernens, ad majorem compunctionem moveatur.

Quo loco mihi commemoranda ſuccurrit, & merito ſuo commendanda Ulyſſiponnēſis pueri Franciſci de Andrada ingenua virtus, & ad moribundorum ſubſidium peropportuna induſtria: qui Conimbricæ ſtudiorum causâ diverſans, ubi quempiam è vicinitate morti eſſe propinquum intellexerat, advolabat illico inſtructus Crucifixi effigie, binísq; cereis (quas res eum in uſum ipſe ſibi comparaverat) iiſq; apud ægrum in menſula compoſitis, ei, quâ arte poſſet, ad bene moriendum opitulabatur. Qui uſus uſque eò inter vicinos increbuerat, ut eorum quopiam ſupremis appropinquante, continuò de puero (ſic appellabant) advocando admonerent; qui cum illo ſuo ſacro inſtrumento apparatúq; adeſſet morienti. Atque is poſteà Societatem noſtram ingreſſus, in ea annis paucis ſanctè vixit, & obijt.

*Hiſtor. Soc. p. 3. l. 5. n. 231.*

Veruntamen, quarum virtutum actibus moribundi, & quâ ratione, circa Crucifixum exerceri valeant, pronum eſt ex ijs exercitijs diſcere, quæ huc pertinentia, parte 2. & 3. aliâ occaſione tradidimus. Illud ſolùm agimus hoc loco; ut in Chriſti complexu atque oſculo morientes, ſpiritum noſtrum, ut ſalvus ſit, in eum quaſi transfundere, viciſſimque ejus divinum ſpiritum, melioris nempe & immortalis vitæ pignus, in nos attrahere ac derivare ſtudeamus.

Dulce nimirum atque optabile, ultimum ſpiritum exhalare in oſculo Domini: prout de Moyſe indicat Scriptura ex quorundam Doctorum verſione; qui pro eo quod habet vulgata: *Mortuus eſt Moyſes jubente Domino:* ipſi legunt: *ſuper os Domini*, ſive *ad oſculum*, vel *in oſculo Domini*. Ubi alluſum putant ad morem antiquitùs receptum; quo nempe propinqui propinquos morientes oſculabantur, eorúmq; ultimum anhelitum ore legebant. Quaſi hoc officio

Deus,

Digitized by Google

Deus, erga dilectum ſibi famulum, fungi voluerit, óſque ſuum ori ejus apprimens, morientis ſpiritum intra ſe hauſerit, atque exceperit.

Obſervo autem, ex eo ritu, eos qui maximè conjuncti eſſent morientibus, eorum ori os adjungere ſolitos, non modò (quod vulgò notum eſt) ut flatum extremum, & velut animam morientium ore legerent, ac in ſe quodammodo transfunderent; ſed eò etiam, ut ipſi viciſſim ſuum illis halitum inſpirarent, quaſi ſuppleturi deficientibus animam, aut de ſuo ſpiritu ac vita, illorum vitam atque ſpiritum producturi. Idq; (quod mirere) non Ethnicorum modò, ſed etiam Chriſtianorum moribus, etiam apud Sanctos uſu receptum, ac diu retentum fuiſſe, ex S. Ambroſio diſcimus: qui libro de obitu S. Satyri fratris ſui, de ſe ipſe ſcribit in hunc modum: *Nihil mihi profuit ultimos hauſiſſe anhelitus, nihil flatum in os inſpiráſſe morienti. Putabam enim, quòd aut tuam mortem ipſe ſuſciperem, aut meam vitam in te ipſe transfunderem.* Et infrà: *Extremum ſpiritum ore legebam. ut conſortium mortis haurirem.* Et rurſum: *Atque utinam, ſi tuam nequivi meo ſpiritu vitam producere, vel ultimi tui anhelitûs vigor transfundi potuiſſet in mentem meam, & illam tui animi puritatem atque innocentiam noſter ſpiráſſet affectus.* Hæc Ambroſius.

Memorabile item quod de S. Wolfgango Epiſcopo Ratisbonenſi proditur: cum videlicet, cùm horam ultimã ſibi adeſſe ſentiret, evocatum ad ſe dilectum alumnum Tagmonem (eum qui poſteà Magdeburgi Archiepiſcopus obijt) juſſiſſe ori ſuo os componere, & fugientis ſui ſpiritûs inſpirationem à Domino accipere, eidem vaticinantem fore, ut poſt annos decem, aut ſuis pares, aut certè majores honores adipiſceretur. Quaſi illi diceret, quod olim S. Macario Magnus Antonius: *Ecce ſpiritus requievit ſuper te, eriſq; mihi deinceps hæres virtutum mearum.*

*Baron. ann. 1003.*

*Vit. PP. L. 8. c. 19.*

Quæ

Quæ & ſimilia majori jure ad hominem Chriſtianum in Chriſti crucifixi complexu atq; oſculo morientem transferas; cùm ſcriptum ſit: *Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus*: cujus nempe in cruce morientis ſpiritu in nos hauſto atque transfuſo, debemus dum vivimus ſpirare; & cùm nobis expirandum erit, in ejus oſculo moriendo, ſpiritum noſtrum illius ſpiritui conjunctum, in manus Patris, in Filij cor ac viſcera, commendare. — *Thren. 4.*

Moriturus igitur Crucifixi os exoſculans, dic illi cum B. Stephano: *Domine JESU, ſuſcipe ſpiritum meum.* Meum ſuſcipe, quo mihi moriar, & vivam in te: tuum infunde, quò tibi vivam, & vivas in me. Atque in hoc itidem crebrò exercere, dum ſanus es; & inter oſcula Crucifixi, velut invicem accepto & reddito ſpiritu, in Chriſto ſpirare, reſpirare, expirare diſce.

Quibus congruit illa Guilielmi Abbatis meditatio, ita Dominum ſuum alloquentis: *Qui ſe dulciùs oſculantur, mutuos ſibi ſuos ſpiritus dulciùs infundunt, quorum quibusdam odoribus dulce habent perfundi. Accipe tibi, Domine, nec reſpue totum ſpiritum meum, infunde mihi totum tuum.* Quibus ille reſpexiſſe videtur ad locum quendam S. Ambroſij, libro de Iſaac & anima, ubi ita loquitur: *Oſculum eſt enim, quo invicem amantes ſibi adhærent, & velut gratiæ interioris ſuavitate potiuntur. Per hoc oſculum adhæret anima DEO Verbo, per quod ſibi transfunditur ſpiritus oſculantis: ſicut etiam qui ſe oſculantur, non ſunt labiorum prælibatione contenti, ſed ſpiritum ſuum ſibi invicem videntur infundere.* Sic ibi. — *cap: 3.*

## §. 3.

### *Lectuli crucis duritiem (quoad licebit) imitari.*

AD extremum juvabit eo in articulo, ad majorem cum Chriſto moriente ſimilitudinem, quantum morbi ſtatus, aliarúmve rerum circumſtantia permiſerit, aut per majores



Digitized by Google

ſores noſtros licuerit; &, ſi non re ipſâ, attamen ſaltem deſiderio, lectuli crucis duritiem aliqua ex parte imitari.

Vetus & communis Chriſtianorum mos fuit, ut morituri ſuper terram in cilicio aut cinere deponerentur; ſive humilitatis & pœnitentiæ gratiâ, ſive ex Salvatoris in cruce morientis imitatione.

Ejus rei pauca, de multis, exempla proferamus. Beati Martini notum eſt, non tantùm exemplum, ſed & verbum, cùm diceret: *Non decere Chriſtianum, niſi in cinere & cilicio mori.* Sanctus quoque Anſelmus Cantuarienſis Epiſcopus, morti propinquus, in cinere & cilicio poſitus eſt. Idémq; legimus de S. Guilielmo Archiepiſcopo Bituricenſi; SS. Abbatibus Landelino atque Poppone, aliiſq;, tum apud noſtrum Lacerda in Adverſârijs; tum apud Joannem Severanum, libro cui titulus: *Pretioſæ mortes juſtorum.* Verùm (quod ad majorem lectuli crucis expreſſionem attinet) S. Hugo Lincolnienſis Epiſcopus, in Eccleſiæ pavimento, ſacro cinere in crucis formam conſperſo, moritur. Ludovicus item cognomento Craſſus Francorum Rex, ſub mortem pavimentum tapete ſterni juſſit, & in eo crucis ſignum ex cinere fieri, ſuper quo jacens moreretur. Atq; in Hiſpania moribus receptum fuiſſe, ut Ordinis S. Jacobi milites, cùm in extremis eſſent, ex lecto extraherentur, & ſuper cruce ex cinere facta, in pavimento morituri collocarentur, teſtis eſt Gabriel Vaſquez.

*Goguin. lib. 6. hiſt.*

*1. 2. d. 162. n. 26.*

At ne hoc quod principio dixi, ſolis Religioſis, aut etiam certi Ordinis hominibus proprium, non autem cæteris Chriſtianis commune fuiſſe exiſtimes; audiantur verba Guilielmi Duranti, qui in ſuo Rationali, in quo Chriſtianos ritus perſequitur, velut rem ſuo ævo vulgarem, & ab omnibus receptam, ita præcipit: *Quando homo videtur agere in extremis, debet poni ad terram ſuper cineres, vel ad minùs ſuper paleas: per quod innuitur, quòd cinis eſt, & in cinerem*

*l. 7. c. 35.*

*revertitur. Et fit hoc exemplo B. Martini.* Sed & Petrus Venerabilis, Duranto etiam antiquior, & S. Bernardi æqualis, eum morem, licet Religioſis præſertim uſitatum, tamen & cæteris quoque Chriſtianis uſurpatum fuiſſe teſtatur, dum de quodam Monacho moribundo ita ſcribit: *Cúmque ſicut mos eſt Chriſtianorum, & maximè monachorum, in ſubſtrato cilicio ac cinere à fratribus compoſitus jaceret, atque horam vocationis ſuæ expectaret, &c.* Qui rurſum alibi addit, in medio Infirmorum domicilio locum quendam extitiſſe, unius corporis capacem, ad hoc aptatum, ut fratres ibidem in cinere & cilicio compoſiti, extremum ſpiritum Deo redderent. Atq; pro variorum Cœnobiorum valetudinarijs, hodiéq; videmus ejusmodi loculum è marmore, aliquantùm à terra extantem, quem ſuſpicari poſſumus antiquitùs ſimilem aliquem uſum habuiſſe.

*L. 1. mirac. c. 4.*

*Ibid: c. 19.*

Denique, ut noſtris propiora tempora attingam; S. Carolo Borromæo, cùm ſæpè mori in cilicio & cinere optaſſet, ſub mortem cilicium ſacro cinere inſperſum impoſitum eſt; ut vel ſic antiquum Chriſtianorum morem, quem etiã in ſuo Rituali in uſum revocare ſtuduerat, imitaretur.

Verùm in his, ut dixi, magna perſonarum ac rerum diſcretione opus eſt; & plerumque ſufficiet, ad eam Salvatoris imitationem, piâ animi propenſione ac deſiderio aſpirâſſe. Quanquam eò quoque valebit hæc conſideratio; ut moribundus Chriſtianus, Salvatorem ſuum in crucis lectulo poſitum, cúmque acerbiſſimis doloribus, & hos inter, cum ſiti ardentiſſima, ob vigilias & inediam, itinerum labores, & cruciatus, profuſionem ſanguinis, & exhauſtas jam omni humore venas, ipſáq; adeo cum morte luctantem aſpiciens, eâ contemplatione ac dolorum ſuorum cum ejus doloribus comparatione, ſoletur durioris ſtrati ſitúsve diuturni moleſtias, morbi incommoda, mortiſq; inſtantis angores; gaudeátque, vel hac ratione offerri quiddam, quo aliqua

ex

Digitized by Google

ex parte imitari poſſit Deum ſuum, in præduro ligno, non jam jacentem, ſed clavis confixum trabalibus, inter angores longè crudeliſſimos, expirantem.

## §. 4.

### *Ad præſidium Matris DEI eo in articulo ſtudioſius confugere.*

HAnc antedictis velut appendicem ſubnectimus, neque abs re, uti videbitur; verùm id poſtulante, aut permittente ſanè, ipſâ argumenti hoc capite propoſiti ratione.

Ac primùm quidem; Auguſtiſſimam Dei Matrem, potens eſſe in morte præſidium, ejúsq; proinde patrocinium ac tutelam, ijs qui ſe ſalvos atque ſecuros extremo tempore eſſe velint, ſolicitiùs exquirendam, ac ſtudioſiùs demerendam; conſtans eſt ſenſus SS. Patrum, fidelium uſus, & Eccleſiæ traditio. Quod autem (ut præſens locus poſtulat) id impenſiùs faciendum imitatione Chriſti ſignificem, quaſi ipſe quoque Redemptor noſter eo in articulo ad materni nominis gratiam confugerit, ejúsve apud Deum merita in cauſam ſuam allegaverit; id alienius & duriuſculum videri poteſt.

Neque id ſanè hoc ego loco proponerem; niſi ei quidem cogitationi vehementer faventem S. Auguſtinum, & tantùm non id ipſum apertè profitentem, haberemus. Nam is pſalmum exponens octogeſimum quintum, tum reliqua iſtius pſalmi de Chriſto intelligit, ut ejus ſint voces in tribulatione & paſſione poſiti, & Patrem de ſua liberatione interpellantis; tum verba illa nominatim ipſi Redemptori eo in articulo attribuit: *Reſpice in me, & miſerere mei: da imperium tuum puero tuo, & ſalvum fac filium ancillæ tuæ.* *Pſ. 85.* Hoc eſt (ut ibidem ipſe exponit, etiam cum S. Ambroſio) filium Virginis Mariæ. Ita enim ibi loquitur S. Auguſtinus: *Dominus filius ancillæ. Dominus filius ancillæ. Cujus ancillæ?* *L. 2. de fide c. 3.*

*cillæ? Cui naſciturus quando nunciatus eſt, reſpondit & ait: Ecce ancilla Domini: fiat mihi ſecundùm verbum tuum. Salvum fecit filium ancillæ ſuæ, & filium ſuum: Filium ſuum, in forma DEI; filium ancillæ, in forma ſervi. Et ſalvatus eſt à morte, ſicut noſtis, reſuſcitatâ carne ſuâ, quæ mortua erat.* Hæc Auguſtinus.

Ex hujus igitur S. Doctoris ſententiâ, imminentis mortis occupatus anguſtijs Salvator (dum ſe ab omnibus, & ipſo Patre quodammodo, derelictum conſpicit) allegandũ putavit apud Patrem, quòd eſſet Mariæ filius; ut eum vel iſto reſpectu ad ſibi ſubveniendum flecteret; perinde atque ſi diceret: Tu quidem me, Pater, in iſtis anguſtijs deſeris; & quaſi te Patrem oblitus eſſes, *mutatus es mihi in crudelem:* veruntamen ſi nihil te movet, quòd filius tuus, & unigenitus tuus ego ſim: at valeat apud te matris meæ tibi dilectiſſimæ gratia. *Salvum fac filium ancillæ tuæ MARIÆ.*

*Job 30.*

Quod tamen non ſic ab eo factum dictúmve recipiemus, tanquam ad aliquid à Deo Patre impetrandum, maternis meritis aut gratiâ apud eum indiguerit: quippe Chriſti Redemptoris merita cuilibet dono aut præmio erant ipſa per ſe ſufficientia, & ipſe tanquam Unigenitus, apud Patrem unicè gratioſus. Sed noſtrâ nimirum intererat, explicari vim Marianæ gratiæ, eóq; exemplo nos informari, quantum in illius patrocinio momenti in omni noſtro diſcrimine, & præſertim in illo extremo vitæ actu, conſtituere debeamus. Ut hìc valeat, quod in ſimili Chriſti facto uſurpat S. Ambroſius: *Imitandi ſpecimen dedit, non precandi ambitum requiſivit.*

*L. 5. in Luc: c. 5.*

Tanto igitur inſtructi documento, ipſam Dei Matrem bonæ mortis præſidem aſciſcamus; eam crebrò impenséq; rogantes, ut veluti filio ſuo morienti ſedulò aſtitit; ita nobis in hora mortis piè dignetur aſſiſtere, animæq; noſtræ in ſuo è corpore egreſſu, qui velut quidam ad æternitatem enixus

Digitized by Google

nixus ac partus eſt, obſtetricis inſtar, laboranti opem ferre: quod equidem munus ipſa de ſe profeſſa eſt, ſeſe erga Carolum S. Birgittæ filium morientem exercuiſſe: aut etiam, ut inſtar parentis, quos per vitæ mortalis tenebras, clientelæ ſuæ tanquam utero protexerit, in lucem denique claram emittat ſempiternæ felicitatis. *L. 7. Revel: cap: 13.*

Quam in rem extat utilis libellus, à quodam è noſtris Patribus in Germania non ſemel editus hoc titulo: *MARIA agonizantium Mater*; ubi plurimis exemplis oſtenditur, quantâ ſedulitate Mater illa viventium clientibus ſuis, in ſupremo illo rerum cardine, ſubvenire ſoleat; & quibus potiſſimùm officijs tantopere nobis neceſſarium præſidium liceat promereri. Ita enim habeo, mi Lector, Beatiſſimam Virginem, tametſi neminem ſeriò ad ſe confugientem unquam deſtituit, ijs tamen certiùs præſentiùsq; in morte ſubventuram, qui eam in vita peculiari ſtudio conſtantiq; fide coluerint, ejúsq; opem, in eam horam decretoriam, quotidianis votis, cum amore & fiducia, expetierint.

# CAPVT X.

## *Status Religioſus, peculiaris Chriſti crucifixi imitatio.*

### §. I.

#### *Hominis Religioſi cum Chriſto crucifixo comparatio.*

Religioſum hominem expreſſam eſſe Chriſti crucifixi effigiem & ſimulacrum, paſſim obvia eſt SS. Patrum ſententia. Quippe qui vel Religioſorum vitam, vitam crucifixam ſeu crucifixorũ appellant (quo etiam nomine uſum invenio S. Bernardinum Senenſem, dum de ea loquitur Filij Dei admirabili exinanitione, quâ factus eſt homo, ærumnis noſtris

*Serm. 6. de B.V. a.1.c.1.* noſtris obnoxius, & (ut ait) *pœnas acerbiſſimas pro peccatis omnium ſubiturus, & exemplar vitæ crucifixæ omnibus præbiturus*) vel certè verba illa Pauli, ſpecialiter ac propriè Religioſis accommodant: *Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo*; uti videre eſt apud Julium Nigronium, in commentario ad Regulas communes Societatis. *Reg: 4.n.14.*

Quapropter & S. Franciſcus, in ſuæ ad Deum converſionis initijs, & primis quaſi vitæ religioſæ rudimentis, cùm patre urgente, ut paternis bonis cederet, coram Epiſcopo Aſſiſiate omnem etiam veſtitũ rejeciſſet; oblatam ſibi pauperem ruſticani hominis lacernam gratanter accipiens, eam cæmenti, ſeu (uti conijcio) arenati calcisve fruſto *ad modum crucis manu propriâ ſignavit, operimentum formans ex eo* (inquit S. Bonaventura) *crucifixi hominis, & pauperis ſeminudi.* Neque verò obſcura crucis & religioſi Status; hominis crucifixi, & religioſi analogia. Nam in primis ſtatus aut vita religioſa, ipſo ſuo genere, dura crux eſt; cùm multa ferat quæ crucient, ejúsq; ſumma ſita ſit in rebus difficillimis, compreſſione cupiditatum, abnegatione ſui, conſtanti ac laborioſa magnarum virtutum exercitatione. *Serm: 32. de SS.* Nam ſi verum eſt illud S. Auguſtini: *Totam vitam hominis Chriſtiani, ſi ſecundùm Evangelium vivat, crucem eſſe & martyrium:* quantò magis crux erit hominis religioſi vita, qui Chriſtum propiùs imitandi ſtudio, non præcepta tantùm Evangelica (veluti qui Deo in communi vita ſerviunt) verùm etiam conſilia, ex ſuſcepto vitæ inſtituto, ſectetur? *Matt: 16.* In quem proinde ſingulariter quadret illa Chriſti vox: *Si quis vult poſt me venire* (per expreſſionem videlicet vitæ, ac mortis meæ imitationem) *abneget ſemet ipſum, tollat crucem ſuam, & ſequatur me.*

Unde etiam S. Theodorus Studites, Religioſorum vitam, Staurophoron, ſeu cruciferam, appellavit. Expreſſiùs autem Petrus Bleſenſis, *Serm: 9.* ſtatum obedientiæ & pœnitentiæ,

*tiæ*, docet eſſe crucem illam, quam verbis citatis Chriſtus commendet; & in qua, ex ejus imitatione, ad mortem uſque perſeverandum ſit, tametſi fortaſſis dæmon, caro, mundus obſtrepant, & occlamitent: Deſcende de cruce. Similiter autem Guilelmus Abbas S. Theodorici, meminit crucis profeſsionis religioſæ, cujus verba mox citabimus paragrapho ſequenti. In quem etiam ſenſum conſpirans, vir rerum ſpiritûs experientiſsimus M. Joannes Avila, cùm duos è ſua diſciplina Societati noſtræ transmitteret, eóſque nonnullis præceptis ſpiritualibus communiret, ita eis præcepit inter cætera: *Exiſtimate vos ire ad crucem, & animo ite ſic præparati, ut cauſa nulli velitis eſſe querimoniæ; ſed quidquid vobis ex quolibet accidat, id pacatè feratis ac libenter.* Deinde Vir Religioſus, homini crucifixo, adeóq; Chriſto patibulato, in multis perquam ſimilis eſt. Ut enim diſputat Abbas Pinufius apud Caſsianum l. 4. de Inſtitutis renunciantium, hoc eſt, Religioſorum: *Eo habitu ac figurâ, quâ pro nobis in patibulo fuit ſuſpenſus, nos quoque neceſſe eſt in hac vita degere.* Atque in his maximè conſiſtit illa Religioſi & crucifixi ſimilitudo.

*Hiſt. Soc. p. 1. l. 14.*

*l. 4. c. 34.*

*Primò:* quòd ſicut homo crucifixus tribus quatuórve clavis cruci ſuæ ſtabiliter figitur, ut nullo conatu ſe refigere aut revellere poſſit: ſic iſte tribus religioſis votis, aut etiam quatuor (pro varia Inſtituti ratione) cruci ſuæ myſticæ ita confixus & adſtrictus eſt, ut ab ea jam nullo animi motu aut arbitrio valeat ſeparari.

Qui, citra votorum obligationem, conſilia ſectantur Evangelica, & mortificationem Jesu in carne ſua circumferunt, amplectuntur crucem illi quidem, poſſúntq; virtutis ſtudio, ipſáque perfectione vitæ, Religioſis compluribus præſtare: attamen (uti nunc loquimur) cruci ſuæ confixi non ſunt: quippe qui ſuſceptam vitæ rationem poſſint pro voluntate deponere, atque ita ſeſe à crucis amplexu divellere.

lere. Id quod cùm ijs minimè liceat, qui cruci Evangelicæ votorum clavis indiſſolubiliter affixi ſunt; hi demum videntur ſpeciali modo eſſe expreſſæ Chriſti crucifixi imagines; ſi tamen ſuæ profeſſioni reſpondeant, & crucem Chriſti, non ſolâ habitûs aut ſtatûs religioſi ſuſceptione, ſed perfectâ ſui abnegatione, vitioſarúmq; cupiditatum mortificatione, repræſentent & exprimant.

*Secundò:* In eo, quòd, ſicut homo crucifixus, non tantùm non poteſt ſe cruce ſuâ eximere, ſed neque manibus pedibúsve liberè uti, aut per ſe quidquam moliri operis, ſive (ut loquitur modò laudatus Pinufius) *non jam pro animi ſui motu membra ſua quoquam movendi vel convertendi habet poteſtatem: ita nos* (ſubdit) *voluntates noſtras ac deſideria, non ſecundùm id quod nobis ſuave eſt ac delectat ad præſens, ſed ſecundùm Legem DEI* (adeóq; & motum religioſæ obedientiæ) *quo nos illa conſtrinxerit, applicare debemus.*

*Tertiò: Et ſicut is* (pergit idem Abbas) *qui patibulo affigitur, non jam præſentia contemplatur, nec de ſuis affectionibus cogitat, non de craſtino ſolicitudine curâq; diſtenditur, non de præſentibus dolet injurijs, non præteritorum jam recordatur, ſéq; dum adhuc ſpirat in corpore, cunctis elementis credit eſſe defunctum: ita nos quoque timore Domini crucifixos, oportet his omnibus, hoc eſt, non ſolùm carnalibus vitijs, verùm etiam ipſis elementis, mortuos eſſe.*

Nimirum ut homini patibulato nihil eſt cum mundo elementisve commercij; cùm & eum omnes refugiant, horreant, abominentur; neque ipſe quicquam ab ullo expectet ſperétve, ut qui etiam ſpirans, quodammodo de mundo ſublatus eſt: ita homini Religioſo (ſi ſuis ritè vivat legibus) nihil ſupereſſe cum iſto mundo negotij, ut qui jam in cruce profeſsionis ſuæ ſe quaſi à terra ſublatum, & ab uſu rerum, quibus fruitur mundus, ſejunctum, ipſiq; mundo ſe præmortuum aſpiciat.

Hinc

Digitized by Google

Hinc etenim etiam Joannes Svidas, Monachorum Statum ac vitam definire volens; cùm ex Dionyſio Areopagita de ijs multa prædixiſſet, rem denique his verbis abſolvit. *Hi igitur Monachi denominantur, quorum hoc eſt opus, ut ante mortem migrent è corpore, & viventes ſint mortui; & ſapienti quadam inſaniâ ad præſtantiora tranſeant.* Solis videlicet divinis rebus intenti, atque ab his, quas paſſim alij tanto ſtudio ſibi quærendas exiſtimant, abſtracti ac liberi. At de hoc aliquid dictum eſt ſuprà, cùm de homine mundo crucifixo, mortuo, ſepulto ageremus; & nunc jam aliqua eodem facientia, & uſibus noſtris propiora, ſubjungemus. *Verbo*: Monachos.

## §. 2.

### *Specialia quædam conſectaria ex dato principio eruuntur.*

EX his quæ modò magis univerſè præſtituimus, deſcendere licebit ad præcepta quædam ſpecialia; quæ licet maximè Religioſos reſpiciant, tamen & his quoque, qui quovis in ſtatu Chriſti crucifixi imitationem profiteantur, videntur nonnihil allatura eſſe utilitatis. Præſertim autem, cùm, referente Cæſario, Chriſtus ipſe generatim aliquando revelaverit; devotos paſsioni ſuæ, tribus clavis eſſe crucifixos, humilitate, patientiâ, obedientiâ; malleum autem quo id peragatur, eſſe deſideriũ gloriæ, & timorem inferni. *l. 8. c. 18.*

*Primum* igitur hoc præceptum habe, Religioſe Lector: Ad perpetuam pacem animi, æquitatémq; inter incommoda religioſæ vitæ retinendam, utile in primis opportunúmque fore; ſi ex memorato Joannis Avilæ monito, ita à principio perſuaſum habeas, atque in reliquum menti impreſſum retineas: te ad Religionem tanquam ad crucem veniſſe. Ita quippe animo comparatus, nihil admodum commoveberis, opinor, ſi in ea cruce quam adamâſti, diſciplinæ



Digitized by Google

næ gratiâ ſeveriùs paulò diſtenderis, ſi pulſaris, ſi pungeris, ſi denique in ipſa cruce cruciatum, & (quando hoc quoque exigit ipſa crucis ratio) ſpeciem quandam mortis invenis: Quid enim aliud expectandum eſt Crucifixo, niſi vulnerum morſus, dolores mortis, & totius hominis, id eſt, non membrorum exteriorum duntaxat, ſed ipſarum quoque animæ virium, acerba mortificatio?

*Secundum:* Proinde etiam expediet interdum, maximè ſi quando, ſive ex conſueta inſtituti ſuſcepti auſteritate, ſive ex proprijs ac minùs gratis Majorum juſsis, aliquis te mœror occupaverit, temet ipſum ut figures animo, tanquam ad Chriſti crucifixi modum ac formam, in ſeverioris diſciplinæ cruce diſtentum, & manus ac pedes votorum clavis transfixum, ſpinis etiam coronato capite, hoc eſt, moleſtiarum anxietatúmq; obſepto aculeis, quas permultas parturit Religioſæ vitæ exercitatio: ſuper hæc, amoris lanceâ confoſſo latere, & corde cum Chriſto convulnerato.

Fallor enim, niſi hæc commentatio multùm molliet, abſtergétve mœrorem tuum, forſitan & in vicem mœroris ſuccedet animo lætitia, geſtienti utique ad eam ſpeciem, & iſtam cum Chriſto crucifixo affinitatem ſibi gratulanti, dicentíq; audenter cum Apoſtolo: *Chriſto confixus ſum cruci.* ídq; unum dolebis denique, quòd ea crux tua nimiùm ſcilicet delicata ſit, ad Domini tui acerbiſſimam crucem comparata. Quemadmodum ſimul geſtientem, ſimul animo confuſum video Guilelmum Sancti Theodorici; dum in ſimili quadam meditatione Chriſtum crucifixum ſic alloquitur: *Concrucifixus tibi ſum, Domine JESU, utcunque in cruce Profeſſionis: ſed de crucis meæ delicijs contemplans paſſionem crucis tuæ, clavis timoris tui confixus, confundor & totus contabeſco, non ex dolore crucis meæ, qui ex gratia tua jam mihi nullus eſt, &c.*

*Tertium:* Similiter in religioſorum votorum obſervantia,

vantia, ſi qua (ut aſſolet) animum tuum vellicatio aut doloris ſenſus inceſſerit; memento has eſſe punctiones clavorũ, quibus carnes tuas, Dei timore, & amore Chriſti, cruci religioſæ voluntariè confixeris: eáq; proinde charitatis eſſe ſtigmata; ita in rem noſtram aptè admonente S. Ambroſio: *Non te ergo offendat duritia clavorum, quia eſt duritia charitatis.* *ſerm. 15. in pſal. 118.*

*Quartum.* Et iſtud expediet inditum animo, altéque impreſſum habere: religioſam crucem, eò tibi, ſi nondum dulcem, at tolerabiliorem certè futuram, ſi in ſilentio & ſpe cuncta ſuſtinens, in ea quàm minimùm te commoveris.

Quemadmodum enim qui crucifixus eſt, ſi fortè levamenti deſiderio manus aut pedes commoverit, id quidem ad nihil eſt utile, niſi ut pendentis amplificetur dolor, plagis videlicet eo concuſſu, affrictúq; clavorum exacerbatis: eundem in modum myſtico noſtro Crucifixo uſuvenire; ut cùm jam *obedientiæ clavis* (uti Petrus Bleſenſis loquitur) cruci ſuæ confixus & adſtrictus ſit, pro arbitrio ſuo membra movere, niſi ad dolores, non poſſit. Id ita agente providentiâ, ut qui à religioſa obedientia, hoc eſt à divina ſe voluntate dimoverit, ſolatij vice tædium & amarorem inveniat, ut & hîc verum ſit illud S. Auguſtini: *Quaquaverſum ſe vertit anima hominis, ad dolores figitur alibi, præterquam in te.* *l. 4. Conf. c. 10.*

*Quintum*: Ad perfectionẽ religioſæ obedientiæ quod attinet; juvabit & quandam S. P. Ignatij cogitationem, ab hac quam tractamus non multùm abludentem, huc adjungere. Nam is, anno qui ſupremum ejus vitæ præceſſit, cùm quædam exactè obediendi præcepta dictaret, inter alia hoc admonuit: Verum obedientem perinde ſe habere debere, non modò ac ſi cadaver eſſet, aut ſenis baculus (quibus exemplis item uſus fuerat in ſuis Conſtitutionibus) ſed etiã *velut parvula effigies Crucifixi, quæ ſine ulla difficultate, verti* *Hiſt: Soc: p. 2. l. 7.*

*ſe quamcunque in partem ſinit.* Quod ego dictum ſic accipio: ut quanquam ad obedientis meritum, & majorem cum ſupremo illo obedientium exemplari ſimilitudinẽ demonſtrandam, magis valeat iſta, quam hoc capite inſtituimus, Religioſi cum homine crucifixo comparatio; quippe qui ſpirans in cruce pendeat, & ſe mori ſentiat, & voluntariâ malorum ſuorum patientiâ magis imitetur paſſionem Domini ſui: tamen cùm de prompta & juſſis nuſquam obſiſtente obedientiâ propriè agitur, rectiſſimè cenſeam pronuntiâſſe S. Ignatium: Verum obedientem inanimo, & ſenſus experti Crucifixi ſigillo, eiq; parvulo, atque eapropter faciliùs tractabili ac mobili, ſimilem eſſe debere. Quanquam vel hoc ipſo, quòd nominatim effigiei crucifixi meminit, haud obſcurè ſimul indicaverit, eam animi obedientis facilitatem, & indifferentem ad quælibet, humilia juxtà ac ſplendida, aſpera ac ſuavia, mobilitatem, non ſine ſanguine atque dolore, nec ſine prolixa malorum complurium ad mortem uſque patientia (quâ is Domino ſuo Crucifixo ſimilis reddatur) futurum eſſe.

*Sextum:* Cæterùm, quoniam crucis myſticæ clavos, ipſo corporis pondere aut motu, ſubinde luxari laxarîve contingit; hoc eſt, hominem Religioſum, ipſo carnis pondere prægravante, erga ſtatum ſuſceptum minùs affici, atq; in ſtudio religioſæ vitæ vacillare: eam ob rem multùm utilis & conducibilis eſt, ſive publica ſtatis temporibus (ubi ita lex aut uſus tulerit) ſive privata quotidianáq; religioſi Sacramenti inſtauratio. Hæc enim (ſi modò ſeriò diligentérq; peragatur) inſtar eſt mallei ſpiritualis; quo votorum clavi, quibus cruci noſtræ confixi ſumus, adiguntur altiùs atque firmantur, ut ne temerè poſſint deinceps inde commoveri: uti pluribus demonſtrat Nigronus noſter loco citato, qui eſt ex profeſſo de ea votorum renovatione.

*Poſtremum:* Ultimo loco id adjungimus; hanc ipſam de-

de cruce religioſa cogitationem, ad increpandum torporẽ noſtrum, nóſq; ad impenſius mortificationis abnegationiſque ſtudium concitandos, admodum eſſe opportunam.

Quo modo legimus in Societatis hiſtoria, hominem DEI P. Franciſcum Villanovam, his ſe velut ſtimulis frequenter excitare & increpare ſolitum: *Villanova, ad quid veniſti? Veni* (reſpondebat) *ut crucifigerer. Veni, ut alienas noxas, & quosvis tolerarem angores. Veni, ut pacem animi reperirem. Ubi autem? in penuria, in alienorum tolerantia, delictorum, in calamitatibus, in ſecundis rebus juxtà atque adverſis.* Sic ille. Quo pacto proclive erit ſtudioſo Aſcetæ, ex ea ipſa cogitatione plura his affinia eruere, ſive tædij ſolatia, ſive ad virtutis contentionem, incitamenta. P. 2. l. 1. n. 132.

PARS

# PARS VI.

## In qua nonnulli fructus eximij hujus exercitationis colliguntur.

## CAPUT I.

### *Ubi de his fructibus præmittitur aliquid generatim.*

Animæ Crucifixum amantis, & ad ſuaviſſimos ejus amplexus aſpirantis, vox illa agnoſcitur in Canticis: *Sub umbra illius quem deſideraveram ſedi; & fructus ejus dulcis gutturi meo.* Quibus illa ſibi gratulari videatur, quòd ex Sponſi ſui Verbi incarnati præſentia (nam umbra quædam Divinitatis eſt Chriſti humanitas) tam ſuaves fructus, támq; eximias utilitates percipiat: potiſſimùm autem (ut ego quidem interpretor) ex ipſius DEI-hominis crucis ligno ſuffixi, ſeria otioſáque contemplatione. Quippe Chriſto in cruce pendenti, & brachia ſua ad ſanctarum mentium umbraculum ac protectionem expandenti, illud ſpecialiter congruere videtur, quod in pſalmo 90. ſcriptum eſt: *Scapulis ſuis obumbrabit tibi:* quod ibidem quoque video S. Hieronymum annotâſſe. Et crux ipſa, quamvis lignum exſuccum emortuúmq; videatur; arbor tamen eſt opaca frondibus, & ramos ſuos latè diffundens: ut proinde gratiſſimam umbram animæ præbeat adhuc peregrinanti, atque ab æſtu ſæculi, duriq; laboris tædio, nonnihil interquieſcere atque interſpirare cupienti. Unde etiam S. Ambroſius ad illud Jeremiæ reſpiciens: *In umbra ejus vivemus*, ait: *umbra alarum, umbra crucis, umbra*

*Cant: 2.*

*Harphius de rup: grad: 7.*

*In pſ. 36.*

*bra eſt paſſionis.* Et alibi: *Quomodo* (inquit) *non ſumus in umbra, qui crucis ejus protegimur velamento?* *Serm. 3. in Pſ. 118.*

Pia igitur anima (ut quod propoſitum eſt exequar) ſub umbra ſedens Crucifixi, hoc eſt, non obiter aut leviter, ſed conſtanti longáq; exercitatione crucis Chriſti myſteria contemplans, multifarios ex ea fructus, odore ſuaves, ſapore jucundos, uſúq; ſalutares colligit: quorum nonnullos hac ultimâ parte apponere viſum eſt, tragematum vice, & tanquam extremo interioris guſtatûs irritamento.

Neque verò hoc loco fructuum nomine univerſos intellige ſanctos affectus, quos de crucis aut Crucifixi intuitu colligere poteſt ſedula aut ſolers contemplatio (infinitum quippe id eſſet: cùm nulla ſit ſalutaris affectio, ad quam non conducat meditatio paſſionum Salvatoris) ſed eâ duntaxat appellatione hîc comprehendo, vel conſtantem aliquem ſtatum animi, & quaſi habitum certæ virtutis, qui etiã nullo ſtudio aut deſtinatâ induſtriâ quæſitus, quaſi ſuâ ſponte atque naturâ, ex ea exercitatione proveniat; vel quædam certè chariſmata aut dona ſingularia, & mirificas prærogativas, quibus Deus in vita, aut poſt eam eximios crucis Chriſti amatores munerari conſuevit.

Atque iſtos fructus viſum eſt idcirco duodenos numero proponere, ut arborem crucis oſtendamus, iſti ligno vitali ſimilem, quod in cœleſti Paradiſo ad fluvium aquæ vitæ conſitum, affert fructus duodecim, per menſes ſingulos reddens fructum ſuum; uti S. Joanni in Apocalypſi monſtratũ eſt. Sed de his fructibus particulatim nunc eſt dicendum. *Apoc. 22.*

# Caput II.

## *Ingens peccati horror & deteſtatio.*

ID quippe in primis pro explorato ponendum eſt, quod Sancti teſtantur, & ipſa confirmat experientia: aſſiduâ Chri-

Chriſti paſsionum contemplatione, contemplantis animo vehementem peccati horrorem, etiam cùm ex profeſſo id non agitur, naturali quadam conſequentiâ, ingenerari. Cujus rei cauſæ, nec paucæ exiſtunt, neq; obſcuræ.

## §. I.

### *Iſtius effectus atq; affectus cauſæ nonnullæ.*

PRima: Principiò enim Chriſti paſsionem conſideranti, illud occurrit: ſolius peccati gratiâ unigenitum Dei Filium, poſt intoleranda & plena doloris opprobria, morte turpiſsimâ condemnatum, & infami crucis ſupplicio addictum, necatúmq; fuiſſe. Quæ res continuò divinæ offenſæ atrocitatem indignitatémq; menti ingerit; & (quod hinc conſequi neceſſe eſt) odium, fugam, averſationem, deteſtationem, horrorem.

*Secunda:* Enimverò qui Dei Filium, ſplendorem paternæ gloriæ, & Dominum ſupremæ Majeſtatis, pro ſuis peccatis contemplatur in cruce pendentem, tum ex remedij granditate facilè æſtimat gravitatem divinæ offenſæ; ob quam Dei Filium oportuerit in cruce mori, quò læſæ divinæ juſtitiæ ſatisfieret: tum periculi ſui magnitudinem, ſi divinam deinceps offenſionem incurrerit. Nam ſi Deus proprio filio non pepercit, ſed adeò atroces de innocente pœnas expetijt, ob ſuſceptam in ſe alieni criminis imaginem: quid formidandum eſt ipſi peccanti, & divinam iram atque vindictam in ſe provocanti accerſentíq;? ſecundùm illud: *Si in viridi ligno, &c.* Quo ſanè timore ſalutariter confixus, vel ipſa exhorret peccati initia ac ſemina; & (ut Sanctus loquitur Ambroſius) *contemplatus Dominum JESUM, allidit teneras & infirmas cupiditates ad petram Chriſti.*

*Serm: 8. in pſ. 118.*

*Tertia:* Jam verò, cùm ille qui in paſſione Chriſti ſeriò conſtantérq; exerceatur, non poſſit denique non intimè diligere Redemptorem dulciſsimum ac liberaliſsimum, mitiſsi-

tiſsimum ac manſuetiſsimum, ſanctiſsimum & innocentiſſimum, tam indigna támq; atrocia, amore tanto, tantáq; libentiâ pro ſe indigniſsimo perpeſſum: conſequens rurſum eſt, ut peccatum oderit atque horreat, quod Domino ſuo, parenti, amico, ac Servatori optimo mortem tam acerbā, támq; ignominioſam intulerit. Ut qui aſsiduè meminerit illius dicti prophetici: *Ipſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras:* nec ſine gemitu illud recolat è Threnis carmen: *Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus, captus eſt in peccatis noſtris;* & his ſimilia. *Iſai. 53.* *Thren. 4.*

*Quarta:* Et ſanè qui ita ſe à Chriſto amatum recognoſcit, ut ejus ſalutis gratiâ, in mortem dederit dilectam animam ſuam, omnémq; ſanguinem ei redimendo, ac ſe denique totum, dependerit; ad illud reſpiciens quod ſcriptum eſt: *Qui dilexit nos, & lavit nos in ſanguine ſuo;* & illud Paulinum: *Qui dilexit me, & tradidit ſemet ipſum pro me:* qui fieri poteſt, ut tantum amatorem non redamet? aut ſi, uti par eſt, redamârit, quî tandem inducat animum, illum vel ſimplici animi motu offendere? Atque ſi qua ipſum peccandi cupido inceſſerit, nonne ſi duntaxat recordetur Chriſti crucifixi, illum continuò ſibi quodammodo iſtud opprobrantem audiet: *Hæc eſt gratia tua ad amicum tuum.* Aut illum certè figurabit animo, ſeſe invitantem, & veluti Thomæ dicentem ſibi: Huc ades; fili atque amice; atque priuſquam de me offendendo deliberes; infer digitū tuum huc, & vide manus meas, & in his attende dolorem meum; & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & ibi palpa amorem meum; & ſi adhuc tibi id fert animus (non feret autem, ut exiſtimo) tunc me, ſi potes, ad extremum offende. *Apoc. 1.* *2. Reg. 16.*

## §. 2.

*Allatis quibuſdam cauſis aliis, res concluditur.*

QVinta: Cùm inſuper illud attendit Chriſti patientis contemplator; vitam ac mortem Ducis ſui, non aliud fuiſſe re ipsâ, niſi atrocem quendam ac perpetuum, ejus cum peccato, hoſte gloriæ ſuæ infenſiſsimo, duellantis conflictum: *in hoc enim* (inquit dilectus diſcipulus) *in hoc apparuit Filius DEI, ut diſſolvat opera diaboli*; hoc eſt, præcipuè peccatum: indignum ſe ipſo profectò cenſebit, & turpitudinis infamiæq; pleniſsimum, ſi cum crudeliſsimo tum Ducis ſui, tum ſuo etiam hoſte conſpirans, atque (ut Apoſtolus loquitur) membra ſua arma iniquitatis peccato exhibens, contra Dominum ac Ducem ſuum militet; & non potiùs Deo ſuo ſuccenturiatus, totis viribus adverſùs peccatum repugnet, communémq; inimicum, tam in ſe, quàm in ſuis fratribus (quoad ejus poſſit) extinguat.

1. Joann. 3. · Rom: 6. · Heb: 12.

*Sexta:* Nec illud omittendum eſt, quod apud amatorem Crucifixi non parvam vim habere videtur: illi nimirum eſſe perſuaſiſsimum, quod graviter admonet Apoſtolus, eos præſertim, qui poſt acceptam notitiam veritatis, & guſtatum donum cœleſte, in peccatum prolabuntur, quantum in ipſis eſt, rurſum crucifigere ſibimet ipſis Filium Dei, & oſtentui habere. Idem atteſtante B. Hieronymo, dum in Matthæum ſcribit, his verbis: *Et nunc JESUS multa patitur ab his, qui rurſum ſibi crucifigunt Filium DEI.* Quod etiam oſtento mirabili B. Coletæ divinitùs quondam inſinuatum eſt. Nam cùm aliquando impendente ſolenni jejunio, quo tempore bacchari & inſanire ſolet multorum, tametſi Chriſtianorum, profana licentia, Deiparam Virginem pro avertenda à peccatoribus divina vindicta enixiùs precaretur; ei ſe videndam obtulit Dei Mater, diſcum manibus præferens, in quo teneri infantis membra in partes conciſa, & quaſi in ſuo adhuc ſanguine palpitantia conſpiciebantur; cum his ad perculſam atque exterritam vocibus: Quâ ratione vis, ut iræ cœleſti in ſceleratos illos incumbenti interveniam,

Matt: 16. · Vit. c. 39.

veniam, qui peccatis ſuis quotidie (quantum in eis eſt) filium meum dilectiſſimum in fruſta etiam minutiora concidunt, quàm ea ſint quæ cernis?

Hæc igitur qui (uti dicebam) comprehenderit animo, & Chriſti Domini paſſionem acerbiſſimam, ſecum aſſiduè deplorat & miſeratur; poteritne in ſe delictum ullum admittere, quo ſe intelligat D E I Filium rurſum ſibimet ipſi crucifixum eſſe? Quin iſtâ affectus cogitatione, vel ipſam peccati umbram averſabitur; & hoc tanquam ſcuto omnes ejus retundet aculeos: Abſit ut tam vecors atque ingratus inveniar, ut amantiſſimum & amabiliſsimum Redemptorem rurſum crucifigam meo ſcelere; abſit ut aggravem dolores ejus, ut obſurdeſcam ad vocem ſanguinis ejus, &c.

Ex his porrò aliiſq; ſimilibus, quæ facilè occurrent meditanti, jam ſatis opinor intelligitur: eum qui perpetuò in Chriſto vulnerato & cruci ſuffixo habitet, in eòque tot, ſive ſancti timoris, ſive amoris caſti cauſas inveniat, atque in promptu habeat, non poſſe non odiſſe peccatum atque exhorreſcere; idq; experiri, quod de ſe teſtatur S. Auguſtinus anteà à nobis memoratus; cùm de vitando peccato, ejuſq; illecebris ac tentationibus elidendis agitur, nihil eſſe tam efficax, quàm vulnera Chriſti. Ut proinde quod de memorante noviſſima ſua in Eccleſiaſtico dicitur, idem non temere dicere liceat, de aſſiduè memorante Chriſti paſſionem; eum ſcilicet in æternum peccaturum non eſſe.

*Man. c. 22.*

*Eccli. 7.*

Ex hoc autem jam expoſito fructu, & alij quos proximè ſubjungam, velut ordine quodam religati dependent: quandoquidem qui peccatum oderit, refugiet utique peccati illices & conciliatrices delicias; & qui has averſetur, eum neceſſe ſit duris atque aſperis delectari.



Digitized by Google

# CAPVT III.

## *Fuga deliciarum, & honoris faſtúsq; mundani, averſatio.*

HUnc etiam fructum gignit ex ſeſe frequens contemplatio, & (quæ ei per ſe adnaſcitur) intima dilectio Crucifixi. Nam ſi ſubinde vel unicus intuitus Filij DEI in cruce pendentis, nudi, abjecti, derelicti, & inter extremas anguſtias atque opprobria expirantis, in tantum pias mentes perculit, ut omnibus voluptatum illecebris, & ſæculi faſtu abjecto, ad Chriſtianam ſe modeſtiam diſciplinæque ſeveritatem retulerint, ut de S. Elizabetha Hungarica, aliiſq; antea vidimus: quid non efficiet aſsidua Chriſti crucifixi contemplatio, & non externa tantùm ejus ſpecies, ſed viva & altè defixa præcordijs, perpetuóq; obverſans animo, nuditatis ejus, dolorum, opprobriorum imago.

### §. I.

*Prior hujus pronunciati ratio.*

NImirum pij contemplatoris animum illa aſsiduè cogitio ſolicitat; hunc quem omnibus conflictatum ærumnis, inter diræ crucis brachia cum morte luctantem aſpiciat, DEUM eſſe ac Dominum ſuum, aſſertorem, parentem, ducem, principem ac regem ſuum, unicum denique amatorem, & ſponſum dilectum animæ ſuæ. Proindéq; fieri non poſſe, ut eum, cui ſe tot nominibus obſtrictum intelligat, in ſummis ſuis angoribus deſtitutum, deſpretum, deſolatum relinquat: ut autem etiam ei in tantum inveniatur diſsimilis; ut Domino, inquam, ac Rege ſuo dirisſimis excruciato ſupplicijs, ipſe animo ſuo indulgens, blanda ſectetur ac mollia; id enimverò tum ignaviæ intolerandæ, tum ſummæ etiam turpitudinis atque indignitatis eſſe.

Sed

Digitized by Google

Sed quando hîc nobis conſectari non licet horum ſingula, ut ei præſertim argumento in præſens inſiſtam, quod nobis etiam ſuggerit S. Ignatius, in ea quam de Regno Jesu Chriſti inſcripſit contemplationem.

Quis, amabo, miles Regem ac Ducem ſuum videat, aut ſub pellibus in caſtris humi cubantem, aut ad vallum hoſtile ſub Jove frigido degentem, aut denique cum hoſte atroci in ſummo diſcrimine dimicantem, fame, ſiti, labore, vigilijs, ſudore belli plagiſq; confectum, jámq; ſeminecem ſuo innatantem ſanguini; qui, ſi qua eum tangat honeſti cura, & vel modò militem ſe meminerit, de receptu ac quiete cogitet, de otio, ludo, delicijs; & non potiùs eandem ſibi cum Duce ſuo, vitæ, laborum, periculorum conditionem ſuſcipiendam ac ſubeundam eſſe exiſtimet.

Et nunc, ô boni, ecce Rex veſter graditur ante vos, *1. Reg. 12.* ecce extra caſtra procedit opprobrium crucis ſuæ bajulans, conſumptus plagis, multóq; ſuo manans ſanguine; ecce etiam in cruce pendet clavis perfoſſus trabalibus; ecce in patibulo veſtrâ denique causâ moritur: & vos animæ viles, tantóq; indecores Imperatori, non ſanguinem, crucem, opprobria, ſed luſus, gaudia, luxum, amores, gradus, honores cogitatis?

At, ô Chriſtiane, quid hîc à te poſtulet diſciplina militaris, uno alteróve exemplo condiſce.

Lucullum memorant, cùm ſub Sylla mereret in Græcia, atque in Ægyptum auxiliorum conquirendorum gratiâ veniſſet, induci nequiſſe, ut Memphim, tótque res alias in Ægypto viſendas vel obiter inſpiceret: quòd iſtud diceret: otioſi & delicati peregrini eſſe, non ejus qui ſuum Imperatorem ſub dio, ſub hoſtium mœnibus cubantem, in tanto diſcrimine reliquiſſet. *Plutarch. in Lucull.*

Sed extat in divinis litteris fortiſſimi militis Uriæ Hethæi, & meliori fato digni, non minùs præclarum facinus: indi-

1. Reg: 11. indignam rem conſentis videlicet, ut dum arca Dei & Iſraël & Juda habitarent in papilionibus, & ipſe Dux Joab ac commilitones reliqui ſuper nuda humo ſomnum brevem, nec niſi malignè, carperent, ipſe (quantumvis compellente Rege) vel noctem unam domûs ſuæ commodis conſuetiſque delicijs frueretur. Quid verò dixiſſet feciſſétq; miles inclytus, ſi (quod poſtea contigit) Regem ſuum contemplatus fuiſſet, Abſalomi filij ſcelere, ſolio atque urbe excluſum, ſcandentem clivum olivarum, ſuffuſum lacrymis, nudis pedibus & aperto capite? Quid, niſi quod dixit fecitq; eâ occaſione præclarus ille Ethai Gethæus: *Vivit Dominus*, inquiens, *& vivit Dominus meus Rex, quoniam in quocunq; loco fueris, Domine mi Rex, ſive in morte, ſive in vita, ibi erit ſervus tuus.* Erecta vox, & digna quam uſurpet in pari cauſa, quisquis ſub crucis vexillo militans, Imperatore crucifixo gloriatur.

2. Reg: 15.

Nam quemadmodum animo eum affici oportere cenſebis, qui non terrenum Regem aliquem, ſed Deum ac Dominum ſuum fidei oculis aſpiciat, ſive ſcandentem clivum olivarum, ingenti tædio ac mœſtitiâ ſaucium, & nunc pavido mortis horrore, mox ſudore quoque ſanguineo circumfuſum: ſive, poſt flagrorum atque ſpinarum cruciabilem ignominiam, crucis inſuper pondere gravatum, ſubeuntem in collem Calvariæ, humeriſq; imparibus oneri, ſub eo miſerè fatiſcentem; demum in arcto crucis complexu, quam ille vivus ſemper amaverit, ſemper ſuſpiraverit, emorientem? Næ ille, ſi vir eſt, rémq; uti par eſt attenderit, continuò exclamet, & dicat cum generoſo Ethai: *Quoniam in quocunq; loco fueris, Domine mi Rex* (Domine mi Jesu) *ſive in morte, ſive in vita, ibi erit ſervus tuus.*

Quo loco meritò memorari ſolet Abbatis Palæmonis verbum celebre; qui die Reſurrectionis Dominicæ, cùm ad herbas, quibus is veſci ſoleret, Pachomius ejus tum diſcipulus,

Metaph Vit: Pachom. c. 8

Digitized by Google

pulus, intinctum modicum ex ſale & oleo adhibuiſſet, diei feſti contemplatione; Domini ſui Crucifixi (quâ ſe per eos dies meditatione exercuerat) recordatione ſuſpirans, ſpeciem illam deliciarum averſatus eſt, dicens: *Dominus meus fuit crucifixus, contumeliis affectus, colaphis appetitus, & ego oleum comedam?* Indignum ratus videlicet, eum qui Regis ac Domini crucifixi ſervum ſe ac militem meminerit, indulgere ſibi ulla in parte; aut (quod poſtea dixit Bernardus) *ſub ſpinato capite membrum eſſe delicatum*. *Serm. 3. de Omnib: SS.*

## §. 2.

### *Ratio poſterior ad idem propoſitum.*

IGitur qui hæc in medúllas demiſerit, ejusmodiq; cogitationibus animum ſuum imbuerit, & tanquam educaverit; eum dico ſenſim, & uſu ipſo manuducente, neque operâ multùm difficili, reportaturum hunc exercitationis ac induſtriæ ſuæ fructum pulcherrimum; ut nimirum jam non magnopere ducatur ijs, quæ mundus tam ardenter amat & amplectitur; quin ea potiùs ex animo oderit averſetúrque, tanquam eo indigna, qui ſectatorem ſe profiteatur Imperatoris, ac Ducis crucifixi.

Ad quæ ulteriùs accedit & iſta ratio: Qui ſuavitatem Chriſti crucifixi ſemel guſtârit, atque ad arcanas & intimas cordis illius delicias admiſſus fuerit; eum viles illas atque infimas volúptates facilè faſtidire ac reſpuere, imò harum, (ut ita loquar) veluti ſenſum amittere; ut qui guſtatum ſuum tantò præſtantioribus ac divinioribus aſſueſecerit.

Quò ſpectat, quod de S. Lutgarde tradit in ejus vita Thomas Cantipratanus. Huic enim etiamnum juvenculæ, cùm neſcio cujus juvenis molli nimiùm atque illecebroſâ conſuetudine teneretur, & die quadam cum eo ageret, apparuit dulcis Redemptor noſter; &, quò eam ad ſeſe à vanis illecebris averteret, veſte à pectore diducta, latus ſuum oſten- *L. 1. c. 1.*

oſtendit cruentum recenti vulnere; eámq; his verbis graviter admonuit: *Blanditias inepti amoris poſthac vide ne requiras. Hîc igitur contemplare quid diligas, & quamobrem diligas. Hîc ego totius puritatis delicias tibi pollicebor obtinendas.* Quod ipſe quâ fide ac liberalitate præſtiterit, quámq; illa liquidas ſanctáſq; voluptates ex aperto Sponſi ſui latere haurire ſolita ſit; videre licet in ejus vita.

*l. 2. c. 1.* Rectè igitur autor libelli de Chriſti imitatione: *Si ſemel* (inquit) *perfectè introiſſes in interiora JESU, & modicum de ardenti amore ejus ſapuiſſes: tunc de proprio commodo vel incõmodo nihil curares, ſed magis de opprobrio illato gauderes.* At mellitè, ut ſolet, præſertim in ſuavi argumento S. Bernardus: *Sit ſuavis*, ait, *& dulcis affectui tuo Dominus JESUS, contra malè ubique dulces vitæ carnalis illecebras, & vincat dulcedo dulcedinẽ, quemadmodum clavus clavum expellit. Vincet*, inquam, *dulcedo dulcedinem;* ſed caſta impuram, ſolida vanam, divina terrenam; hoc eſt, dulcedinem mundi, dulcedo Crucifixi. His enim tribus quaſi gradibus, (quod ad rem præſentem attinet) ad Chriſti crucifixi amplexum aſcendes: quorum iſte primus eſt, ut noxias omnes atque impuras voluptates averſeris. Alter, ut etiam vanas & ſuperfluas abdices. Poſtremus, ut etiam ab innoxijs & licitis ex Chriſti amore abſtineas; immo his oppoſita, & carnis commodis adverſantia, diligas: de quo nobis ſermo futurus eſt amplior capite ſequenti.

*Serm. 20. in Cant.*

# CAPUT IV.

## *Amor incommodorum, & cupiditas patiendi cum Chriſto.*

### §. I.

*Hunc item affectum exercitationis propoſitæ fructum eſſe.*

Jam

JAm verò amor incommodorum, vexationum, dolorum, & ejusmodi reliquarum acerbitatum, quibus hæc abundat vita mortalis, uti fructus eſt ſuperiori cognatus, easdémq; cauſas moventes atque efficientes habet; ita nec operoſo negotio in ejus ſe inſerit animum, cui familiaris ſit atque amica Jesu crucifixi contemplatio.

Quemadmodum enim (ut ab Romano Oratore id mutuer) cùm in ſole ambules, etiamſi ob aliam cauſam ambules, fit naturâ tamen ut coloreris: ita qui ad umbram Crucifixi multùm ſedeat, ejúsq; livorem ac vulnera contempletur attentiùs, etiamſi non id agat fortaſſis, quò ſe ad amorem incommodorum, acerbitatúmq; cupiditatem concitet, concitatur tamen, & de ejus plagis ac ſanguine quendam quaſi colorem ducit. Quem loquendi modum video placuiſſe Theodoreto, Canticorum 4. de ſponſæ labijs diſſerenti; ubi ſponſum ſponſæ ita inducit loquentem: *Duxit colorem ex ſanguine meo os tuum.* Unde id porrò, niſi ex aſſiduâ paſſionis Chriſti meditatione, & tanquã deguſtatione? *L. de orat.*

Quamobrem quod de Chriſti dilecta ſuperiùs à nobis memorata, ſancta inquam Lutgarde, proditur: quotiescunque in extaſi poſita paſſionem Dominicam contemplaretur, viſam eſſe re ipsâ toto corpore ſanguine perfuſam, ipſis quoq; capillis eodem rubore infectis: id myſticâ quadam ratione effici dicimus in eorum animis, qui Salvatoris doloribus commeditandis delectantur: ut eorum mens tota, omnésq; affectus intingantur veluti ſanguine, & per amorem ac deſiderium conſimilia his quæ Chriſtus tulerit, perpetiendi, ſenſim efficiantur ipſi Crucifixo concolores. Sed iſtud mox rurſum explicatiùs, cùm de fortitudine in adverſis. Conſequitur quippe incommodorum amorem fortis malorum patientia, & ijsdem propemodum ex cauſis uterque ſubnaſcitur, ijsdem uterque alitur, atque augeſcit affectus. *L. 2. c. 19.*



Digitized by Google

Verùm cùm permultæ atque pergraves rationes aut cauſæ adferri poſſint, quamobrem ij, qui crebrò in Dominica paſſione exerceantur, conſimilium ærumnarum amore corripi atque incitari ſe ſentiant: plerasq; omnes in operis decurſu pertractavimus, eâ præſertim parte, quâ de patientiæ Chriſtianæ documentis & incitamentis agitur. At juvabit tamen hoc loco, earum ſumma tanquam capita ponere, ad nonnullum ſeu artis compendium, ſeu memoriæ adminiculum valitura. Potiſſimùm igitur triplici iſtâ conſideratione, Crucifixi amatores id quod nunc agimus conſequi videntur.

## §. 2.

### *Ejus fructus tres potiſsimùm cauſæ referuntur.*

PRima: Quòd feriò identidémq; ſecum reputent Chriſtum JESUM, hoc eſt, DEUM atque Dominum ſuum, non tantùm omnibus ſubditum fuiſſe humanæ vitæ incommodis (quod ipſum per ſeſe valet plurimùm) ſed eadem illum magnâ utique ſuâ voluntate, ſummo animi ſtudio atque fervore eſſe complexum. Eò quippe veniſſe de cœlo, mortali carne circumdatum, quò miſeriarum noſtrarum quas adamabat, & ipſe particeps fieret. Tum, vel in ipſo materno utero, ipſóq; momentò ſui conceptus, velut impatientem deſiderij, præoccupaviſſe dolores crucis, in qua animo ſemper defixus hæſerit; neque ipſis contentum ſupplicijs, eorum perpetuò excruciatum imagine, & paſſionis ſuæ calicem, etiam priusquam propinaretur ab hoſtibus, ore avidiſsimo, nec parcis labris, anticipâſſe. Exultâſſe denique in pœnis ſuis, quòd jam ſumma votorum attingeret, ſibíq; liceret (ut cum Tertulliano ſuprà diximus) plenâ patientiæ
L. 13. voluptate ſaginari; dicente item Simone de Caſſia: *Dolens mori amabat, amans moriebatur, moriens exultabat.* Hos Chriſti amores, has Domini ſui delicias fuiſſe.

Quâ

Quâ cogitatione neſcio an ullum eſſe poſſit, ad ingenuam & Chriſti Jesu amantem animam, rerum incommodarum ac moleſtarum amore inflammandam, incitamentum potentius. Huc enim tandem adducitur ac propemodum compellitur Exercitatoris animus, ut ea denique ſibi adamanda & expetenda neceſſariò exiſtimet, non quæ ſtulta mundi aut Deo inimica carnis ſapientia ſuggerit, ſed quæ Dei Filius, ipſa inquam æterna Dei Sapientia cum hominibus converſans, tantoperè amârit, & tanto ambitu ipſa ſibi depopoſcerit.

Tandem velut turpe eſt, & indignum cordis amoriſq; noſtri ingenuitate, ea amare quæ Deus oderit; ut idcirco putârit Tertullianus, brevi hoc verbo ſatis perſuaſiſſe pœnitentiam: *Pœniteat amaſſe, quæ DEUS non amat.* ita generoſæ ac bonæ menti ſatis eſt ea cogitatio, ut etiam carni contraria, aut genio ſuo repugnantia adamet, quòd ea prior amârit Chriſtus, & velut pro ſummis atque unicis delicijs habuerit. *De pœnit. c. 4.*

*Altera* eſt: quòd itidem intelligant, Dominum ac Redemptorem ſuum, cui omnia debeant, cui uni placere, ſeſéq; probare deſiderent, id à ſe unicè ac vehementer expetere, ut hæc eadem ament atque cupiant, quæ ipſe tam avidè complexus ſit, & quæ electis ſuis libenter largiri conſueverit, ut pretioſa xenia, & chara pignora amoris ſui, incommoda, inquam, ærumnas, cruces, acerbitates. Hanc etenim eſſe præclaram ac luculentam hæreditatem, quam in cruce moriens filijs chariſſimis reliquerit; hunc pretioſum annulum, quo animas ſanctas ſibi deſponſet; hanc arrham ſalutis certiſſimam; hoc graviſſimum firmiſſimúmq; ſinceræ ſuæ dilectionis, & electionis æternæ argumentum.

Neque verò videri quidquam eſſe in rebus humanis, quo magis delectetur divinitas, quàm lætâ fortiq; duris in rebus mortalium patientiâ. Ut vel ideo (interprete Chryſo-

 ſtomo)

*Iob 2.* ſtomo) videatur, vitam inter ærumnas Jobo ſervari voluiſſe, quò diutiùs ſibi frui liceret ejus ſpectaculi voluptate: *de provid. c. 2.* quo modo etiam Senecam videmus de Catone ſuo, ob parum certũ & efficax vulnus, lentiùs moriente, ideóq; rurſum admotâ manu viſcera ſua ſpargente, Deosq; diutiùs ſui ſpectaculo detinente, elegantiùs quàm veriùs philoſophantem.

*In Catena.* Sed audiamus Doctorem Chryſoſtomum, qui DEUM ad Satanam ita loquentem inducit: *Animam ejus ſerva. Etenim ſi jam de medio eum ſuſtuleris, theatrum nobis non plaudet ampliùs.* Hoc eſt: carebimus pulcherrimo illo & nobis jucundiſſimo invictæ patientiæ ſpectaculo; ſubtrahetur nobis illa voluptas, quâ pugilem illum de cœlo ſpectamus, in iſto honoris noſtri theatro, cum diuturnis ſuis doloribus, velut cum beſtijs atrociſſimis, fortiter egregiéq; dimicantem. Rectè ſiquidem Minutius Felix, Senecam imitatus: *Quàm pulchrum* (inquit) *ſpectaculum DEO, cùm Chriſtianus cum* *L. 5. Tuſcul.* *dolore congreditur.* Nam dolorem video à Tullio quoque, acerrimum virtutis adverſarium, præclarè appellatum.

Hinc igitur Crucifixi ſectator amare diſcit quæ patitur; & in ſumma dolorum acerbitate, ſubinde intentis cœlo oculis, malorum ſuorum patientiam, hâc etiam meditatione ſolatur: Aſpectat me DEUS. Delectatur hoc mei ſpectaculo ſuaviſſimus Redemptor. Patientia mea dulcis eſt DEO. Perferamus igitur cum gaudio hoc quodcunque eſt acerbitatis; & iſtâ de nobis patientiæ vice redditâ, dulciſſimi JESU dolores quodammodo ſolemur ac repenſemus. Tanti eſt, & immenſo pluris, etiam tantillum oblectare divinos oculos, blandéque in ſe defixos, nec ſine voluptate detinere.

*Tertia:* quòd perſuaſiſſimum habeant, nihil ſibi in vita glorioſius, nihil optabilius poſſe obtingere, quàm ut ad Domini ac Salvatoris ſui ſimilitudinem accedant quàm proximè, atque ad illud perfectiſſimum exemplar, non ſenſu modò

modò atque affectu, ſed etiam ipsâ re atque effectu conformentur. Cúmq; aſſiduè præ oculis habeant miſerabilem illam viri dolorum imaginem, egentis, afflicti, oppreſſi, omnibus deniq; acerbitatibus dilacerati; eum ſibi habitum ac formam optandam conſectandámq; exiſtimant: neque ea proinde jam refugiunt, quæ cæteri hominum, uti gravia & odioſa averſantur; quin ea potiùs eò adamant exquirúntq; impenſiùs, quòd ijs intelligant, veluti quibusdam ſeu penicilli ſeu ſcalpri ductibus, ſe in ſacram quandam formari Crucifixi effigiem, eóque paulatim in amorem ſuum Crucifixum transformari. De quibus antea magis ex profeſſo eſt dictum.

## §. 3.

### *Ingens ac ſummè expetendâ ejus fructus utilitas.*

QVamobrem, ut hoc caput concludam: iſtum ego omnis hujus exercitationis fructum, in paucis jucundũ, exiſtimem, atque in primis optabilem humanæ vitæ. Nam cùm neceſſe ſit hominum generi adverſa multa atque acerba incidere: qui hæc non tantùm tolerare patienter, ſed etiam amare atque expetere, ex intima Chriſti crucifixi diſciplina didicerit; is utili ſanè patientiæ ſuæ compendio, & Deum oblectat mirificè, & amplificat Chriſti gloriam, & pretium addit ſuis meritis, ipſúmq; laborem patiendi ac malorum ſenſum ſibi minuit, & præſens habet in rebus adverſis atque acerbis caſibus allevamentum. Amore quippe (ut alio loco cum Auguſtino jam diximus) amore inquam dulceſcunt omnia; & quæ per ſeſe impatibilia videantur, & ſub quorum pondere gemant alij, non modò redduntur tolerabilia, verùm & levia & ſuavia efficiuntur amanti. Unde S. Bernardus illa ſponſæ verba exponens; *faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi: An non faſciculus* (inquit) *cujus jugum ſuave eſt, & onus leve. Non quia leve in ſe (nec enim levis, paſſionis aſpe-* *Serm. 43. in Cantica.*

*aſperitas, mortis amaritudo) ſed leve tamen amanti. Et ideo non ait tantùm, faſciculus myrrha dilectus meus: ſed mihi, inquit, quæ diligo, faſciculus eſt.* Ita Bernardus.

# CAPVT V.

## *Fortitudo & robur animi in ſufferendis adverſis.*

EX eadem circa Crucifixum aſſiduâ exercitatione, velut ſponte ſuâ & iſte fructus enaſcitur, fortitudo ſcilicet & robur animi in ſuſcipiendis perferendiſq; rebus adverſis: ut propterea Hebræos variè vexatos atque afflictos, quò robuſtam in malis ſuis conſtantiam teneant, hunc in modum hortetur Apoſtolus: *Heb: 12.* *Recogitate enim eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus adversùs ſemetipſum contradictionem; ut ne fatigemini, animis veſtris deficientes.* Quibus apertè ſignificat, vim illam ac robur animi in adverſorum tolerantia, ex ea Christi paſſionum recogitatione ingenerari. Sive id ita fieri dicamus, quòd perpetuâ Chriſti cruciatuum memoriâ, ejúſq; vulnerum familiari tractatione, ſimilium horrorem paulatim dediſcat animus, atque veluti ſine ſenſu, Crucifixo congruentes ſenſus induat, & eodem tanquam colore tingatur: ſive quòd ita exercitati, pro dilecto & cum dilecto ſuo, quem aſsiduè in oculis circumferant, cujus intimâ charitate langueant, durum aliquid ſufferre, dulce exiſtiment: ſive quòd quælibet animi corporiſve cruciamenta, ut adimpletionem paſsionum Chriſti aſpiciant, nec tam ſe, quàm Chriſtum ea perferre, & non modo ſecum, ſed in ſe ac pro ſe dilectum pati ſentiant.

Tot enim, quæ quidem huc faciant, rationes reperio, ac tanquam baſes, quibus (ut ita loquar) erecta ſtat & immobi-

mobilis diſcipulorum crucis, duris in rebus, fortitudo. Sed eæ nunc nobis paulò pluribus affirmandæ ſunt.

## §. I.

### *Stabilitur hujus fortitudinis prima ratio.*

RAtionem primam hujus fortitudinis petebamus, ex uſu aſsiduo, & crebrâ quaſi contrectatione Chriſti cruciatuum, ſeu longâ cum Chriſto afflicto, vulnerato, cruento, conſuetudine ac familiaritate. Quemadmodum enim uſu-venire videmus, ut qui præſertim à teneris inter vulnera cœdéſq; verſatur, ſenſim imbibat feritatem animo, & naturali horrore depoſito, ludere diſcat humano ſanguine, jámq; crudo plagarum aſpectu atque tractatione lætetur: ita qui cruciatus Salvatoris aſſiduâ tractat cogitatione, eorúmq; paſcitur memoriâ, ipſo uſu duratur ad fortia, formatúrq; ad exemplum quod aſpicit, atque inter aſpera quæ patitur, gaudet ipſâ Magiſtri ſimilitudine, minúsq; jam ſentit, quod etiam amare didicerit.

Proinde quod in libro Job de aquilæ filijs dicitur: *Pulli ejus lambent ſanguinem*; non abſurdè trahemus in rem præſentem: quippe cùm ſecundùm B. Gregorium, ſanguinem lambere, ſit paſsionem Dominicam venerari, & Crucifixi Domini cruore ſatiari. At quod ibidem legunt ſeptuaginta Interpretes: *Pulli ejus aſperguntur ſanguine*; aut ut Auguſtinus: *Pulli ejus volutantur in ſanguine*; reducit in mentem, quod quandoque legimus in Actis Sanctorum Martyrum; quasdam ſcilicet matronas Chriſtianas, perſecutionis tempore, non ſe ipſas tantùm, ſed etiam filiorum ſuorum membra tenera, Martyrum ſanguine perungere ſolitas, quò eos non modò hac ratione conſecrarent, ſed etiam ad his paria tormenta abſque horrore perferenda durarent, & jam non alieno tantùm aſpergi ſanguine, ſed in ſuo quoque volutari condiſcerent. Ita ſpeciatim in Actis Sancti Aretæ legere

*Job. 39.*
*L. 31. Mor. c. 36.*
*c. 15. 21. 22.*

Digitized by Google

gere eſt; martyrij ſocios ejusdem Beati ſanguine, velut unguento pretioſo ſe perunxiſſe: idémq; factitâſſe inter alios matronam quandam cum filiolo quinquenni; qui continuò cum matre ignis ſupplicium conſtanter ſubierit, cùm nullâ arte potuiſſet, quò minùs in rogum maternum inſiliret, retineri. Ubi etiam memoratum habes alterius heroinæ pulchrum facinus, quæ de filiarum plagis extractum ſanguinem, tyranni juſſu, ab inhumano carnifice ſibi oblatum, cruentam illam manum non averſata, libens ore libavit, & Domino in Sacrificium obtulit.

Ita igitur philoſophemur in rem præſentem: Qui magnæ illius aquilæ, quæ in arduis ponens nidum ſibi, in petra nimirum Calvariæ, extendit in cruce alas ſuas, ſuóq; ſanguine pullos ſuos revocavit ad vitam, non degeneres ſunt filij; ij velut ſub crucis umbra educati, deq; Chriſti vulneribus aliti, non terrentur aſpectu ſui ſanguinis, ſed vel per adverſa hujus ſæculi, vel per ſponte ſuſcepta ſupplicia, gaudent ſive ſuo, ſive Chriſti ſanguine tingi; ſecundùm illud S. Ambroſij: *Tinge carnem tuam in Chriſti ſanguine, ſicut ſcriptum eſt: ut tingatur pes tuus in ſanguine. Tingis carnem tuam in ſanguine, ſi vitia diluas, peccata detergas, mortem Chriſti in carne tua circumferas; ſicut Apoſtolus docuit, dicens: Mortificationē JESU Chriſti in corpore noſtro circumferentes.*

L. 5. in Luc. c. 7.

Quò etiam ſanè referri poteſt, quod alibi ex S. Hieronymo indicavimus: iſtius ævi Chriſtianos, ſanctæ Crucis lignum aſſervatum in monte Calvariæ, magno ardore pietatis, non ore tantùm diſſuaviari, verùm etiam lambere ſolitos: tanquā ſi divini ſanguinis relictas notas exugere geſtirent, atque hinc in ſeſe ſanctitatem ac robur transfundere; aut certè quaſi ſi ad crucis ſuccum atque ſaporem, os ſuum ac pectus aſſuefacere contenderent; quò in Crucifixi ſenſum ac guſtum tranſeuntes, & ipſi cum Apoſtolo, immo cum Chriſto, placerent ſibi in tribulationibus, & pro Chri-

ſto pati, affligi, mori non dubitarent. Atque hæc de prima ratione.

## §. 2.

### *De altera ejusdem fortitudinis ratione.*

ALtera ratio in ea fundatur perſuaſione, quam Crucifixi amatores altè animis impreſſam retinent; quòd ea quæ Chriſti cauſâ ſufferunt, ex Petri Apoſtoli ſententia, quædam ſit communicatio paſſionum Chriſti: adeóq; non tantùm pro Amore ſuo Crucifixo (quæ per ſe magna eſt libenter omnia ſufferendi ratio; cùm aſpera quæq; miteſcant ardenter amantibus, præſertim cùm ea de dilecti manu provenire contigerit) ſed cum ipſo Chriſto, Domino ſuo & dilecto ſuo, patiantur. Si enim ex veteri verbo: *Socius in pœna, magnum eſt ſolatium:* quod ſolatium erit Chriſtum amanti, ejúſq; cauſâ patienti, ipſum dilectum ſuum conſortem habere pœnarum, & (quod Paulus optabat) ipſo uſu fructúq; cognoſcere ſocietatem paſſionum illius? *Philip. 3.*

Quem etenim rigorem non molliat, aut quem amarorem non abſtergat ea cogitatio? Magnis equidem angor incommodis, ærumnæ me premunt cruciabiles: ſed in his mecum eſt dilectus meus, DEus cordis mei, prædulcis ſponſus animæ meæ. In cruce verſor: verùm hunc jam antè in ea jacentem invenio. Mero potor aceto, & felle paſcor amariſsimo: ſed iſtæ ſunt eſcæ quibus ille libenter veſcitur; in hac ipſa menſa is mihi jucundus convictor eſt atque familiaris. Quæcunq; ærumnæ, quæcunque me ſors exerceat, in hac illum ſocium atque conſortem habeo. Et pluris mihi eſt ejus præſentia ad ſolatium, quàm ipſa mali vis ad cruciatum & dolorem. Mala mea non ſentio, dum dilectum meum mecum patientem, mihi compatientem attendo.

*Quid enim ſuavius ac jucundius* (inquit aureo ore Chryſoſtomus) *quàm me Chriſti ſocium effici, atque ipſius cauſâ hæc perpeti?* *Hom. 1. in 2. Cor.*

*peti? Quid cum hac conſolatione comparandum?* Atque hac ipsâ ratione SS. Martyres ſolabantur pœnarum ſuarum dura tædia: quemadmodum ad eorum nonnullos in metallo conſtitutos ſcribens B. Cyprianus: *Humi jacent* (ajebat) *feſſa laboribus viſcera; ſed pœna non eſt cum Chriſto jacere*. Quippe ut & hoc addam cum Sancto Ambroſio: *Grande remedium, ſolatium habere de Chriſto.*

*Ep. ad Nemeſ.*

*L. 2. de fide c. 4.*

## §. 3.

### *Poſtrema ratio ejusdem effectus aſtruitur.*

POſtrema tantæ fortitudinis baſis eſt; quòd jam, non tam ſe ipſos pro Chriſto, aut cum Chriſto pati, quàm Chriſtum in ipſis ineffabili modo pati exiſtiment. Nam quemadmodũ ipſi affectu in Chriſtum ſic transformantur, ut ejus vulnera ac paſſiones libenter in ſe ſuſcipiant: ita Chriſtus viciſſim in illos quodammodo transformatur, ut eorum labores ac dolores in ſe derivet ac ſuos faciat; illósq; vice reciprocâ, ſuâ virtute ac fortitudine induat. Certè ſi Paulo Apoſtolo, tam ſuo quàm aliorum Sanctorum nomine dicere licuit: *Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Chriſtus:* illis pari jure dicere licebit: Patior ego, non jam ego; patitur verò in me Chriſtus. Cùm enim illud manifeſtum ſit: pati non poſſe in aliquo corpore, niſi qui in illo corpore vivat: ſi Chriſtus & non Paulus, vivebat in corpore Pauli, profectò & in Paulo non Paulus jam patiebatur, ſed Chriſtus.

*Gal. 2.*

Sancto Ambroſio attributus Commentarius in poſteriorem ad Corinthios epiſtolam, ad illa verba capitis 4. *Semper mortem JESU in corpore noſtro circumferentes: dubium non eſt*, inquit, *quia in Martyribus Chriſtus occiditur, & in his, qui pro fide patiuntur, aut exitus, aut vincula, aut verbera, Chriſti paſſiones ſunt; ut & vita ejus in eorum corpore palam*

Digitized by Google

*palam fiat.* Et S. Paulinus: *Ab initio ſæculorum Chriſtus in omnibus ſuis patitur. In Abel occiſus, in Joſeph venditus, in Prophetis lapidatus, &c. Idem igitur & nunc infirmitates noſtras & ægritudinem portans; quia ipſe eſt homo ſemper pro nobis in plaga poſitus, & ſciens ferre infirmitatem, quam nos ſine ipſo nec poſſumus ferre, nec novimus.* Tandemq; pulchrè S. Auguſtinus, de Chriſto ut capite noſtro loquens: *Eſto*, inquit, *in membris ejus; adhære illi per fidem, & per ſpem, & per charitatem; & in illo canta, in illo exulta; quia & ipſe in te laborat, in te ſitit, in te eſurit, & tribulatur: ille adhuc in te moritur, & tu in illo reſurrexiſti.* Vides Chriſtum in ſuis tribulari, illos in Chriſto exultare, & commutatione felici (quod ſuprà cum Petro Chryſologo diximus) ipſum *ſuſcipere infirmitates noſtras, & ſuas nobis conferre virtutes.* Ep. 1. ad Aprum. In pſal. 100. ſerm. 50.

Cujus utique virtute induti, & tanquam Chriſto ipſo loricati ſancti Martyres, exultabant in pœnis ſuis, irridebant tyrannos, ipſa tormenta provocabant: non quaſi in illa ſuppliciorum immanitate abſque ſenſu doloris eſſent, (alioqui enim quodnam illud fuiſſet experimentum patientiæ, aut quæ tandem illa tentatio, quâ probatos Deus illos inveniret dignos ſe?) Habebant igitur (ſi nonnullos excipias, qui aut ſublimi quadam contemplatione abſorpti, aut ſuperinfundente ſe cœleſtis dulcedinis abundantiâ, aut aliter hebetato pœnarum ſenſu, earúmve refractis aculeis, dolores ſuos non ſenſere) habebant, inquam, ſuppliciorum ſuorum ſenſum: ſed eò illa non ſentire viſi ſunt, quòd Chriſto freti, ejúſq; gratiâ atque virtute roborati, nullo mœrore aut tædio, ſed cum animi pace imperturbabili, adeóq; cum gaudio illa perferrent; perinde acſi ſine ſenſu eorum eſſent, aut quaſi non ipſi, ſed alius in ipſis pateretur. Foris igitur, ſeu in eorum corpore, occupabatur tortorum crudelitas, ſed intus ad ipſos pertinere non poterat: quia in ipſis erat, qui vicariâ operâ, ipſorum dolores in ſe reciperet;



Digitized by Google

peret ; & exquiſitam atque extremam pœnarum vim, immortalis ſuæ virtutis objectu retunderet.

Denique hac ipſa cogitatione armatos ſanctos Martyres, in pœnis ſuis immobiles ſtetiſſe, teſtatur S. Cyprianus, vel quisquis eſt autor libelli de laude Martyrij : ubi Martyrem tormentis ſubjectum eleganter deſcribens, ita loquitur in rem noſtram : *Nam pradurantibus licet coſtis reſultans ungula recurrat in vulnus, & euntibus flagris, cum avulſa corporis parte rediens habena ducatur : ſtat tamen pœnis ſuis fortior, hoc ſolum ſecum ipſe convolvens, quòd in illa crudelitate carnificum, plus, pro quo patitur, Chriſtus, quàm ipſe patiatur.* Habemus igitur, ex hujus Patris ſententia, plus quàm ipſum Martyrem in ipſo Martyre pati Chriſtum, pro cujus amore Martyr patitur ; eáq; etiam cogitatione, ſolitos olim Beatos Martyres in ipſa carnificina, ac membrorum ſuorum laceratione, animari. Quo loco in primis notum eſt S. Felicitatis Africanæ Martyris exemplum : quæ ſub ipſum martyrij tempus in cuſtodia pariens, inſultanti ſibi Commentarienſi, quærentiq;, quâ tandem ratione paratum ſibi ſupplicium toleratura eſſet, quæ partûs dolores ſine ejulatu ferre non poſſet ; in hæc ipſa verba, quæ expreſſa habentur in Actis paſſionis ejus, pulchrè reſpondit : *Alius erit in me, qui patietur pro me, quia ego pro illo paſſura ſum.*

Neque verò dubitandum videtur, id ad illos quoque extendi oportere ſine ſanguine martyres, qui vel voluntarijs ſupplicijs ob Chriſti amorē carnem ſuam ſtudent crucifigere, vel ejus nomini ac gloriæ propagandæ intenti, famem, ſitim, labores, perſecutionem patiuntur. In quibus utique verum eſt, quod loco paulò antè laudato dixit Auguſtinus : Chriſtum in ſuis laborare, ſitire, eſurire, tribulari. Idq; adeo in Indiarum Apoſtolo S. Franciſco Xaverio, non obſcuro documento monſtratum eſt. *Conſtat enim* (ut ſcribit Turſellinus noſter) *ligneum Chriſti crucifixi ſimulacrum,*

L. 6. Vitæ c. 4.

*crum, quod in Xaverij caſtelli ſacello religioſè colebatur, quoties Franciſcus gravius aliquid pateretur in India (quod ex ejus litteris domeſtici collatis temporibus compererunt) haud dubiè ſudore fluxiſſe. Porrò ipſo anno quo Xaverius extinctus eſt, ferijs ſextis deinceps omnibus per annum totum ſudâſſe ſanguine.* Quod, ipſo eventu ſpectato, nemo dubitavit, S. Apoſtoli ſupremos labores atque exceſſum è vita portendiſſe. Ita ſi quid patiebatur Xaverius, compatiebatur in effigie ſua Chriſtus; ſimul oſtendens pati ſe in membris ſuis, ſimul (quod non ſemel à nobis dictum) Sanctorum paſſiones extenſionē quandam & adimpletionem Chriſti paſſionum eſſe.

Hujus porrò rei conſcientia, quod, amabo, robur adjicit, quam alacritatem adfert & conſtantiam pro Chriſto certanti ac laboranti; dum inter pœnarum ſuarum morſus & aculeos, ita ſe ab ſuo Agonotheta confortari ſentit, ut non tam ſe pro illo, quàm illum in ſe contempletur patientem? certus nihilominus, pro hoc ipſo, quicunque eſt, labore & agone ſuo, apparari ſibi coronam juſtitiæ, perinde ac ſi non in ipſo Chriſtus, ſed ipſe per ſe certâſſet. Legitima quippe eſt illa Auguſtini collectio, in alius cujuſdam pſalmi expoſitione: *Si in nobis ipſe patitur, & nos in illo coronabimur.* *In pſal. 39.*

# CAPUT VI.

## *Zelus animarum, ſeu ardens ſtudium ſalutis alienæ.*

### §. I.

*Rationes variæ iſtius zeli in animis noſtris excitandi.*

Multa ſunt profectò, quæ hunc zelum ac ſtudium in cordibus Chriſtum crucifixum contemplantium atq; amantium accendant.

*Pri-*

*Primum* enim: Salvatoris vitam, labores, ærumnas, cruciatus denique ac mortem acerbam conſiderantes, animadvertunt (quod nemini quidem obſcurum eſt, ſed non omnes perinde demittunt in animum) Dei Filium unigenitum, eâ ſolùm gratiâ è cœlo in terras deveniſſe, & in carne mortali, tanta támq; mira, ſive geſſiſſe, ſive tuliſſe, quò videlicet mortalium animos à fine ſuo atq; ſalute deerrantes, reduceret in viam juſtitiæ, atque à diaboli ſervitute erutos, Patríq; ſuo reconciliatos, cœlo demum inferret, æterna illîc felicitate fruituros. Id illum ſiquidem etiam apertis verbis ſæpiùs profeſſum eſſe; veniſſe nimirum (ut ait apud S. *Luc: 19.* Lucam) filium hominis, *quærere & ſalvum facere quod perierat*. Eodem ſpectâſſe omnem incarnati Verbi œconomiam. huc illum, quæcunque in vita egerit aut perpeſſus ſit, unicè retuliſſe; nec ardentiùs quicquam ab ijs qui ſe ſectari ament, Paſtorem illum animarũ noſtrarum requirere, quàm ut idem ſecum ſtudium ſuſcipiant, atque ad proximorum ſalutem conatus ſuos & labores conferant univerſos.

*Secundò:* Quamobrem dum piâ meditatione illum in agro hujus mundi oberrantem, & per obvia, devia, invia, pérq; vepres aſperos ac denſa dumeta, non ſine ſudore ac ſanguine perrumpentem, defeſſum, anhelum, defectúmq; viribus offendunt, ſi fortaſſis interrogent: Quid ita anxius animi, aut tantopere ſolicitus ſit? quâ ſe causâ vexet? quid tanto quærat impendio? id ipſum, opinor, apud animum ſuum ita reſpondentem audient, quod ille quondam, itidem à Patre miſſus, Patríq; unicè dilectus filius, ſuíſque perinde *Gen: 37.* exoſus fratribus, Joſeph: *Fratres meos quæro*. Ea cura medullis inſidet; hic me exercet labor. Eâ re deſcendi, grege *Matth: 18.* reliquo relicto in montibus, ut oppidò dilectam oviculam, ſed heu! ſeductam atque errantem, ferarúmq; morſibus expoſitam, ab interitu vindicem, & ovili ſuo cœleſtibúſque paſcuis reſtituam. Tu, ſi quid me amas, allabora mecum

ei

ei operi; & fratrum tuorum, immò meorum, ſaluti, temet ipſum, quoad vales, impende.

*Tertiò:* Itaque ſeriò perpendentes pretium magnum, quo animæ noſtræ DEI Filio ſtetêre, & quòd eas ipſe tam charas habuerit, ut eas æſtimârit ſuo ſanguine; ſatis intelligunt, eidem Domino & amatori ſuo nihil ſe gratius acceptiúsve poſſe facere; quàm ſi plurimos ad eum mortales, ſalut s æternæ conſortes futuros adducant, quam ſuâ illis paſſione ac morte pepererit. Quippe cùm id illi è contrario ingratiſſimum ſit, & (ſi ita loqui fas) admodum acerbũ; quòd videat tot præclaras animas, tot ſuis laboribus ſudoribúsq; quæſitas, ſuiq; divini ſanguinis inæſtimabili ſumptu redemptas, attamen (ipſarum quidem culpâ, ſed eorum quoque qui pereuntibus manum porrigant, defectu) fructus paſſionis ac mortis ſuæ exortes vivere; ſuúmq; adeò pretioſum ſanguinem, tam largè pro omnibus effuſum, paucis omnino ad æternam vitam prodeſſe. Vt iſtud proinde videatur ipſe dolenter queri per Prophetam, his verbis: *Quæ utilitas in ſanguine meo, dum deſcendo in corruptionem?* quæ Sancti Ambroſius atque Paulinus etiam Chriſto attribuunt. *Amb. 2. de fide c. 4.* Hinc etiam illæ ſanctorum hominum & Chriſtum tenerè diligentium crebræ lacrymæ, & in præcordijs impatienter ardor exæſtuans; *Paul. l 3. ad Amand.* & illa nominatim S. Franciſci Xaverij quotidiana ad DEUM ſuſpiratio: Meminiſſet infidelium animas ab ſe procreatas, ſuáq; inſignitas imagine; ipſiúsq; filium unigenitum pro illorum ſalute atrociſſimam ſubijſſe necem. *L. 4. c. 5.* Attamen, *ecce* (inquiebat) *in opprobrium tuum his ipſis infernus oppletus eſt.*

Quâ etiam ratione P. Petrus Faber, anteà à nobis non ſemel memoratus, zelum ſuum in ſemetipſum reflectens, *L. 1. Vit. c. 13.* *non tam timebat animæ ſuæ exitium ob gehennam, quàm quòd in ſe fructus paſſionis Chriſti, & grande illud pretium deperiret;* uti dicitur in ejus Vita.

Quar-

*Quartò*: Neque illis opinor, obſcurum eſt; quanto ſtudio à nobis expetat expectétq; Salvator, ut laboribus paſſionibúſque noſtris, cum Apoſtolo adimpleamus ea, quæ deſunt paſsionum ejus; novóſque filios ad eum indies adducendo (ſecundum quod in lege ſcriptum eſt) ſuſcitemus fratri noſtro primogenito ſemen; hoc eſt, *Chriſto* (inquit Auguſtinus) *qui mortuus eſt in cruce. Frater quippe defunctus ille eſt* (ut S. Auguſtino conſonans ait S. Gregorius) *qui poſt reſurrectionis gloriam apparens dixit: Ite nunciate fratribus meis. Qui quaſi ſine liberis obijt, quia adhuc electorum ſuorum numerum non implevit.* Qui igitur converti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, & complendo electorum numero, muriſq; cœleſtis Jeroſolymæ ædificandis, filios regni ad ipſum Chriſtum adduxerit; is quaſi ſuſcitat ſemen fratri ſuo Chriſto crucifixo, facitque ut illius ſanguis (quod eſt quoddam velut electorum ſemen) non fruſtra pro illis effuſus ſit. Quod uti ſuaviſſimo Redemptori ſummè optabile & jucundum eſt: ita ab his, qui ei ſpecialiter gratificari, & amoris vicem rependere cupiant, omni ope atque operâ curandum. Eodem facit, quòd animæ perfectæ, & divinæ contemplationis ſtudio fixiùs inhærenti, dicat Sponſus in Canticis: *Averte oculos tuos à me:* ne ſcilicet (ut interpretatur S. Ambroſius) ſupernis rebus dulciùs avidiúſq; intendens, cæteras animas derelinquat, quæ ipſi Chriſto adhuc redimendæ ſunt, aut fulciendæ.

*Col: 1.* *Deut: 25.* *L. 32. cont. Fauſt. c. 10.* *Paſtor p. 1. c. 3.* *Cant: 6.* *L. 2. de Iſaac c. 7.*

*Quintò:* Accedit, quòd ad Chriſti gloriam (qui pro ipſis deſpectus, ac noviſſimus virorum factus ſit) non parum facere intelligant, ſi etiam corda rebellia, & ab ipſo Chriſto ejúſque amore averſa, paſsionis ejus ac meritorum virtute ſubacta, amplificando Crucifixi trophæo, ipſi cruci alligent atque ſuſpendant; in idq; allaborent ſedulò, ut quæ priùs vitijs ac concupiſcentijs ſuis militaverint, nunc Chriſti amori militantia, ejuſdem honoribus atq; gloriæ tantò impenſiùs inſerviant. *Sex-*

*Sextò:* Quid verò cùm illud meminerunt, quod alia ex cauſa jam antè à nobis indicatum eſt: hominum ſceleribus Dei Filium rurſum crucifigi, illudi, conculcari, & quot mortalium crimina, tot eſſe dilecti Redemptoris ſui vulnera: annon ad illam ſcelerum colluviem, quæ totum inundat orbem terrarum, neceſſe eſt eos totis commoveri viſceribus, & zelo uri & tabeſcere ſuper offenſa Domini ſui? Et qui animo dolenti præteritos Chriſti cruciatus verſant ac deplorant aſsiduè, fierine poterit, ut tantam, eámq; præſentem, optimi Salvatoris injuriam, non vehementer atq; intimè ſentiant; & magnâ animi contentione, ad eam arcendam avertendámve, quacunque poſſunt ope atque arte, nitantur?

*Poſtremò:* quò ferè recidunt, quæ hactenus eam in rem diximus: qui Jesum Chriſtum pro ſe crucifixum ſeriò atque ardenter ament; amabunt utiq; medullitùs, & (quod conſequens eſt) eruent ſervabúntq;, periclitantem proximum, quem ille tantopere amárit, ut animam ſuam pro eo redimendo poſuerit. Præſertim autem cùm Crucifixum contemplantes, eam in illo charitatis teneritudinem adverſus quemlibet fratrum ſuorum recognoſcant, ut illum non modò in manibus ſuis membríſque reliquis ſtylo ferreo notíſque cruentis deſcripſerit, ſed etiam aſsiduè geſtet in corde ſuo ac viſceribus, velut illum cœlo æternæq; ſaluti parturiens; in quibus itidem illum ſecum inveniant, cùm in divinum illud pectus, attentiori quadam commentatione ingrediuntur.

Quò denique ſpectat & illa P. Gaſparis Belgæ, è Societate noſtra viri Apoſtolici, ad fratres ſuos in Europa zeli pleniſsima adhortatio, & ad Indiæ labores pro Chriſto ſubeundos invitatio. *Venite* (ajebat) *venite, fratres mei. Vos ſanguis, quem bonus JESUS pro horum ſalute profudit, inclamat gemitibus inenarrabilibus, quos neſcio quâ ratione non ſen-*

*Epiſt. ad Conimb. L. 3. Vit. c. 17.*

*ſentiant, quotquot de ejus gratia communicant.* Neque verò Chriſti amatorem deterrebit ullus eâ gratiâ ſuſceptus labor: quippe qui id unum attendat & quærat in omnibus, *ut perficiat opus ejus*; opus inquam ſalvandi animas, quod ille cibum ſuum, hoc eſt, refectionem, quietem, delicias eſſe dixerit, & cujus gratiâ tantos labores, tædia, ac pœnas exhauſerit. Quare ex Domini ac Magiſtri ſui imitatione, pretioſos ac dulces reputat eam ob rem impenſos ſudores ſuos; túmque (ut revera eſt) ſeſe propriè exiſtimat & gratulatur ſocium eſſe Chriſti paſsionum, cùm aliquid patitur pro ſalute animarum.

*Joann. 4.* Ergo quemadmodum dulcis Redemptor, cùm viæ labore æſtúque fatigatus ſederet ad fontem, ubi vel unius animulæ ſalvandæ occaſio ſeſe obtulit, jam ſitim famémve non ſentiebat ampliùs; quòd pro omni cibo ac ſolatio unico haberet, voluntati paternæ obſequi, & perficere opus ejus: ſic ardens amator imitatórque Crucifixi, nullos non labores, incommoda, tædia pro animarum ſalute ſibi exſorbenda atque exhaurienda putabit; illud ſecum reputans, quòd per eum laborem, quicunque eſt, opus Salvatoris adimpleat atque perficiat: quod ille morte ac paſsione ſuâ abſolvit utique ac conſummavit, ſi operis vim atque valorem attenderis; attamen fructu & energiâ inchoatum duntaxat, ac perficiendum reliquit ſuis ſequacibus; quibus, uti ſummæ gloriæ, ita & voluptati eſſe deberet, in opere omnium nobiliſſimo atque diviniſsimo, ipſius Dei ac Salvatoris noſtri (ut cum Apoſtolo loquar) adjutores eſſe. *1. Cor. 3.*

Sed quoniam S. Bonaventuram eo in argumento ita verſatum invenio, ut rationibus ille quidem ex ipſis Chriſti viſceribus deſumptis, rem prorſus conficiat: malo ad extremum ipſius verbis (licet pluſculis) rem omnem concludere, & zelum noſtrum (ſi fieri poſſit) ardore illo Seraphico inflammare.

§. 2.

Digitized by Google

## §. 2.

### *Eandem in rem Doctoris Seraphici loci nonnulli.*

S. Igitur Bonaventura in ſæpe laudato libello, Stimulo, inquam, divini amoris, non uno loco de propoſita theſi diſſerit.

In primis enim, parte 1. cap: 7. de ſeptem donis ſpiritûs ſancti agens, eáque contendens velut in clariſſimo ſpeculo, elucere in Chriſti paſſione, in aſcenſu ſeu gradu ſexto id ſpecialiter oſtendit de dono pietatis, iſtâ ratione. *Cùm enim homo conſiderat illa intima pietatis viſcera Domini noſtri JESU Chriſti, quæ ſuper nos effudit, in cruce taliter moriendo pro nobis; movetur & aperitur cor ejus erga proximum ſuum, ut libenter pro ſalute ſua ſe totum ei impendat, pro quo videt ſuum Dominum crucifixum. Dilatatur cor ejus ad ſanguine Chriſti redemptum: & ſicut toto corde compatitur Domino ſuo JESU Chriſto in cruce pendenti; ita intimè & quaſi ſibimet ipſi condolet proximo ſuo ab ipſis vulneribus recedenti, immo ipſum ſanguinem conculcanti. Ideo vulneratur cor ejus, propter contemptum Domini ſui vulnerati, & propter compaſſionem proximi.* Et mox: *Cum omnibus*, inquit, *intrat vulnera illa, & fit unum cum ipſis; & ex hoc præcipuè ad proximum cor ſuum aperit, quia videt Dominum ſuum pro omnibus crucifixum: & ideo ipſum in omnibus requirit, & in omnibus conſiderat, & in omnibus pro ſuo modulo intuetur, ſcilicet Chriſtum ſuum contemplans; totúsq; eſt proximi, quia totus eſt Crucifixi.* Et infrà: *Et hoc maximè placet Domino noſtro JESU Chriſto crucifixo: quia pro ipſorum ſalute & paterno amore eſt ipſe affixus in cruce. Animarum ſalus, honor divinus, compaſſio proximi, inflammatio ſui, ſunt propriè attendenda in vulneribus Chriſti, &c.* Denique cùm illud dixiſſet; iſtud donum inter cætera, immo ſuper cætera, Chriſto placere: *Faciamus ergo* (concludit) *obſecro beneplacitum ejus; & pietatem*

*ſuam hauriamus de latere ejus. Simus omnes unū in Domino noſtro crucifixo, & nihil niſi JESUM in proximo requirimus; & ſic in proximū tendamus, ut ſemper in Chriſti vulneribus recumbamus cum ipſo. Non proximum noſtrum aſpiciamus, ut pulchrū aut hujusmodi, ſed ut Chriſti morte redemptum, & ſanguine Chriſti perfuſum. Anima proximi cum ſanguine Chriſti intret cor noſtrum. Nihil ſit nobis difficile, nihil videatur vile, etiam ignominioſâ morte mori pro illo, pro quo Dominus noſter eſt cum tanta ignominia crucifixus. Sit unusquisque proximus, ſicut cor noſtrum; pro quo fuit cor Domini noſtri JESU Chriſti, tot doloribus aggravatum.* Hæc & plura ibi Doctor Seraphicus, piè ac ſuaviter more ſuo.

Ex quibus velut conglobatim inferri poteſt multiplex ratio; quamobrem legitimus Chriſti crucifixi contemplator atque amator, acri ſtudio juvandi animas, eóq; in opere ipſi Salvatori allaborandi, incitetur. Ut ecce 1. quia de ea contemplatione aperitur cor ejus ad proximum; ut ei ſe totum impendat, pro quo videt Dominum crucifixum. 2. Quia vulneratur cor ejus propter contemptum Domini ſui vulnerati. 3. Quia in proximo nihil niſi Chriſtum crucifixum conſiderat, proindéq; totus eſt proximi, quia totus eſt Crucifixi. 4. Quia intelligit hoc ſtudium Chriſto Domino unicè placere. 5. Quia omnem proximum aſpicit, ut ſanguine Chriſti perfuſum: & ſic anima proximi intrat in cor ejus cum ſanguine Chriſti. 6. Quia eundem ſpectat in Chriſti vulneribus ac corde ſecum recumbentem. 7. Attendens cor Chriſti tot doloribus aggravatum pro proximo, illum diligit tanquam cor ſuum, immo tanquam cor Chriſti, quem ſolum intuetur in proximo.

*P. 2. Stim. c. 11.* Idem S. Doctor alio in loco hæc ipſa uberiùs confirmans: *Conſiderans* (infit) *interiorem proximi hominem, ad imaginem DEI factum, ſanguine Chriſti redemptum, Spiritûs ſancti habitaculum, Sponſam Chriſti, DEI virtutis & Sapientiæ*

*ſedem*

*ſedem. Tunc honoris Domini tui ſitibundus ingemiſce & plora, quia ejus imaginem vides denigrari, pretioſiſſimum ſanguinem conculcari, Spiritûs ſancti habitaculum pollui, Sponſam Chriſti proſtitui*; & quæ ſequuntur. Et deinde: *Animetur his anima viri juſti, & DEI ſui contemptum non ſuſtinens, animarum mortem abhorrens, conetur modis omnibus quibus poteſt animas à peccatis liberare. Quomodo poteſt dicere, ſe DEUM diligere, & ejus amorem appetere, qui ejus imaginem videt jacere in ſterquilinio, quam non curat? Et maximè cùm videt Chriſti ſanguinem pedibus conculcari; quomodo quæſo poteſt hanc ſui Domini injuriam ſuſtinere?* Tum verò in quendam mentis exceſſum ardorémq; ſeraphicum erumpens, & quò nos, ut ait, ad animarum zelum alliciat, intimos ſuos ſenſus aperiens; ita ſe animo comparatum eſſe teſtatur: *Quòd ſi certiſſimus eſſem* (inquit) *quòd nunquam deberem perfrui DEO meo, nihilominus ad honorem ſuum vellem libentiſſimè pro qualibet anima peccatrice ſemel mori; ita quòd tot mortes in præſenti ſuſtinerem, quot ſunt in mundo animæ peccatrices; ut ipſæ conſequerentur gratiam in præſenti, & gloriam in futuro. Quantò magis* (ſubdit) *ſi ſecum deberem poſtmodum gloriari?* Hæc Bonaventura: cujus ſi oculos aut cordis particulam haberemus, Chriſtum crucifixum in omnibus intueremur, & in animabus ad eum convertendis, hoc eſt, (ut idem ſuperiùs indicat) in recolligẽdo abjecto & conculcato Chriſti ſanguine, nulli eam in rem operæ, nulli labori ſudorive parceremus.

Quod ſi (ut id obiter & verbo unico hîc inferam) in alumno diſciplinæ Crucifixi, is ardor animi, ea fuit ſalutis animarum ſitis: quantum in ipſo Salvatore noſtro charitatis incendium, quàm intemperatum ſalutis, tum omniũ, tum cujusque noſtrûm, neceſſe eſt deſiderium fuiſſe? cujus utique Philanthropiam, ſeu amorem hominum, adeò commendat Apoſtolus, & qui meritò à nobis, velut proprio epi-

theto,

Sap: 11. theto, poteſt Philopſychos, hoc eſt, animarum amator, cum alia Scriptura appellari.

Ad extremum & hoc accipiamus à noſtro S. Doctore monitum: *Solùm ab animabus JESUM Chriſtum crucifixum quæramus (empta ſunt enim pretio magno) ut aut pretium reddant, aut in emptione permaneant. Inebriemus eas ſanguine, non curioſitate, ut ſic Dominum noſtrum crucifixum concupiſcant. Dicat quilibet noſtrum eis: Nihil judicavi me ſcire inter vos, niſi Dominum JESUM, & hunc crucifixum; non verè Ariſtotelis vel Platonis Philoſophiam*, &c. Quæ quidem poſtrema Verbi Dei præcones potiſſimùm reſpiciunt; qui ſi Chriſtum ament, animarúmq; ſalutem ſitiant, non eas debent curioſis rebus velut ſiliquis inanibus paſcere, ſed Chriſtum crucifixum prædicando, ipſius ſanguine ſaginare.

Cæteroqui enim quæ universè in hoc capite diximus, ad quemlibet ſpectant pium Aſcetam; qui ſi prædicationis verbo fortaſſis non poſſit animas Crucifixo parere, & (ut dicebamus) fratri ſuo ſemen ſuſcitare; attamen eas juvare poteſt ſanctis deſiderijs, poteſt lacrymis atque precandi inſtantiâ, poteſt voluntarijs ſupplicijs, poteſt monito ac conſilio, poteſt exemplo bonæ vitæ, poteſt diverſis atque ſubmotis peccatorum occaſionibus; poteſt denique artibus alijs, quas ei tum ſuus in Chriſtum amor ſuggeſſerit, tum ſuſceptæ vitæ ratio permiſerit. Ad quod itidem nos adhortatur Doctor noſter his verbis: *Hoc ſit officium noſtrum, hæc gloria & conſolatio noſtra, ſemper pro animabus aliquid DEO offerre.* Sed de his hactenus. Video enim me in hoc argumento longiùs paulò, & præter morem, tamen (ut arbitror) non inutiliter, abductum eſſe.

P. 1. Stim. c. 7.

CA-

Digitized by Google

# CAPUT VII.

## *Adverſus egentes atque afflictos tener animi ſenſus, & commiſeratio.*

MUltam hic affectus cum ſuperiore affinitatem habet, eadémq; ferè radice nititur; ardenti nimirum in Chriſtum JESUM charitate, ac ſolicito ſtudio illum in omnibus perfectè imitandi: quamobrem eam rem paucis hoc loco exequemur.

Ajo igitur eos, qui in commentanda Chriſti paſsione multùm verſentur, tribus maximè de cauſis, adverſus egenos atque afflictos induere viſcera miſericordiæ, intimáque animi propenſione, ad eorum miſerias omni ope ſublevandas, incitari.

*Prima:* Quòd hanc in rem continuò habeant præ oculis propoſitum ſibi benigniſsimi Salvatoris exemplum: qui, ut erat animo mitiſsimus, atq; ad omnibus benefaciendum propenſiſsimus, ita id præſertim ſtuduiſſe viſus eſt in omni vita, ut afflictos mortales, quibuscunque rebus poſſet, erigeret; eorúmq; miſerias, non ſpirituales duntaxat (de quo capite ſuperiore tractatum eſt) ſed etiam corporales ſublevaret. Quippe *qui*, ut ait B. Petrus, *pertranſijt benefaciendo, & ſanando omnes oppreſſos à diabolo:* eóq; ſe miſſum ſpecialiter teſtatus eſt; ut evangelizaret pauperibus, ſanarétque contritos corde; & cæcis viſum, ægris ſalutem, mortuis vitam reſtitueret. Deniq; hoc erat opus ipſius, hoc ſtudium, hæc oblectatio, juvare afflictos, & omni commodo ſuo poſthabito, ſuis laboribus, ſudore, ſanguine opem adferre mortalibus: quando etiam, ſecundùm B. Ambroſium, *idcirco paſſus eſt, quia eum benefacere delectavit.*

*Act. 10.*

*Luc. 4. & 7*

*In pſ. 72.*

Quam etiam commiſerantis animi in calamitoſos pietatem, tum illa demonſtrat eorum ad ſeſe blandiſſima ejus invi-

*Matth: 11.* invitatio: *Venite ad me omnes qui laboratis, &c.* tum quod
*Matth: 9.* alibi ait idem Evangeliſta: *Videns autem turbas, miſertus eſt eis* (ſive ut græca ſonant, *ex intimis viſceribus commiſeratus*) *quia erant vexati & jacentes, ſicut oves non habentes paſtorem.* Tum ad extremum illæ lacrymæ non ſemel fuſæ, humanorũ malorum contemplatione. Ut meritò poſſet dulcis Redem-
*Job 31.* ptor illud dolentis Jobi uſurpare: *Ab infantia mea crevit mecum miſeratio, & de utero matris meæ egreſſa eſt mecum:* quibus ſignificatur naturalis quædam & inſita, & tanquam ab initio ipſi homini congenita, ad miſereſcendum egentibúſque ſuccurrendum propenſio. At hæc de ſe Sanctus Job cum aliqua fortaſſis exaggeratione dixerit: quæ tamen in perſona Salvatoris, etiam ad litteram verum habent. Nam is ſimpliciter ac citra figuram dicere potuit, miſerationem de utero matris ſecum egreſſam; ut qui etiam in matris utero jam tum animo conceperit ſenſum intimum miſeriarũ noſtrarum, & (quod ſolum ferebat ejus temporis conditio) eas votis ſaltem, & paternæ clementiæ obteſtatione, ſuble-
*In pſal. 41.* vare inſtiterit: quoniam, ut pulchrè S. Ambroſius, *etiam in utero materno poſitus, tanquam Jonas in utero ceti, pro populo Patrem deprecabatur.*

Hæc igitur qui crebrò attenderint, talíq; exemplo ac documento informati ſint, intimè incitari ſe ſentiunt, ut miſeros atque ærumnoſos tenero quodam animi ſenſu complectantur in viſceribus Jesu Chriſti, eorúmq; piâ tangantur commiſeratione, & quacunque poſſunt, ſeu ope, ſeu operâ, eorum ærumnas avertere aut demitigare contendant. Hæc de prima cauſa.

*Altera* eſt: quòd ij, qui Crucifixi diſciplinâ exercitati ſunt, ita oculos condocefactos & aſſuetos habeant; ut in paupere atque afflicto, tanquam in viva imagine, ipſum Chriſtum pauperem atque afflictum recognoſcant, cúmque contemplentur velut præſentem. Cùm igitur Chriſtum

Salva-

Digitized by Google

Salvatorem ſuum tenerè diligant; fieri non poteſt, quin ad miſeri alicujus aſpectum, commoveantur eorum viſcera ſuper fratre ſuo, hoc eſt, ſuper Chriſto, quem in illo miſero patientem & afflictum aſpiciunt, & (ne ſterilis ſit commiſeratio) ad aliquam ei opem impendendam incitentur. Quid enim ſi Chriſtum re ipſa oculis intuerentur, ſub iſtius perſona pauperis, egentem, infirmum, ulceroſum? Sed de hoc nos alibi ſufficienter diſputavimus.

Rectè igitur ait S. Bonaventura; hominem, qui Crucifixi contemplatione teneatur, eundem in omnibus intueri, totúmq; eſſe proximi, quia totus eſt Crucifixi. Et alio in loco ſuprà etiam citato agens de verbis Apoſtoli: *Non enim judicavi me aliquid ſcire inter vos, niſi JESUM Chriſtum, & hunc Crucifixum;* ait illum ſolùm hoc verbum dicere poſſe: *qui in quolibet proximo* (& præſertim, inquam, in egeno ac paupere) *ſibi videtur, quòd videat JESUM Chriſtum paſſum.* *P. 1. Stim. c. 7.* *P. 2. Stim. c. 11.*

*Poſtrema:* Quòd ipſa paſſionis Chriſti perpetua recogitatio, ſenſim cor contemplantis emolliat, & quendam intimis præcordijs miſerendi ſenſum, & tanquam naturam, ingignat. Quanquam enim universè verum eſt, ſanctitate ipſâ atque virtute mitificari animum hominis, & ad quandam adverſùs alios facilitatem ſuavitatémq; componi. *Sunt enim*, teſte S. Chryſoſtomo, *Sanctorum animæ vehementer mites & hominum amantes;* ſic ut illam ſuam benignitatem ac miſerationem (ut idem obſervat) ad bruta quoque exporrigant; ſecundùm quod ſcriptum eſt: *Novit juſtus jumentorum ſuorum animas; viſcera impiorum crudelia:* id tamen in ijs præſertim obtinet, qui commeditandis ac commiſerandis innocentis Agni, Domini Jesu, cruciatibus aſſueverint; quibus ipſo uſu quædam inoleſcit animi miſericordis indoles, molleſcit cor, tenereſcunt viſcera, ut etiam proni ſint ad lacrymas, jámq; miſeriarum humanarum, qui- *Hom: 29. ad Rom.* *Prov: 12.*

buscunque hæ inciderint, facili miſeratione tangantur. Id adeò maximè in Seraphico S. Franciſco videre licet: qui ex aſſidua cum Chriſto crucifixo conſuetudine, eam hauſerat teneritatem ac mollitudinem animi, ut non modò ærumnis hóminum, ſed brutarum quoque animantium commoveretur; nec earum duntaxat, in quibus aliquam agnoſceret vel obſcuram Domini ſui patientis imaginem (ut de agnellis ac vermiculis à nobis antea memoratum eſt) ſed etiam reliquarum omnium: ut, nive humum obtinente, etiam grana ſpargi cuperet, ad ſublevandam minutarum avium neceſſitatem.

*Spec: Vit: S. Fra. p. 1. c. 78.*

# Capvt VIII.

## *Abundantia ſanctarum lacrymarum.*

### §. 1.

*Paſſionem Chriſti aſsiduè recogitantibus, hoc donum ſolere à DEO concedi.*

Multas omnino atque multiplices in præſenti vita lacrymandi cauſas habemus. Nam ſive nos ipſos intueamur, ſive proximum; ſive locum exilij in quem projecti ſumus, ſive patriam cœleſtem à qua excidimus; ſive denique momentum quo nunc vivimus, ſive præterita aut futura contemplemur: tot undique ſeſe lacrymarum fontes aperiunt; ut qui ſibi exiſtimet fas eſſe abſque luctu vivere, eum profectò neceſſe ſit, aut oculis mentis carere, aut eos, à rerum quæ ſe circumſtant reſpectu, ſtudioſè avertere.

Attamen inter tot, támq; diverſos lacrymarum fontes, nullus tam copioſus atque abundans eſſe videtur, quàm amara paſſio, & acerba vulnera Salvatoris: quorum utique attenta conſideratio excitare ſolet in corde Crucifixum amantis,

mantis teneriores ſenſus atque affectus, & inde ex oculis dulces lacrymas prolicere: velútq; Sanctorum exemplis dictísque compertum eſt, conſuevit divina bonitas, hoc lacrymarum donum, inſtar ſingularis privilegij, ijs præſertim concedere, qui libenter in Chriſti cruciatibus commeditandis exercentur. S. Fulgentius de ijs agens, qui de ſua ſalute ſoliciti, intentiq; ſanctis operibus, juxta Pſalmiſtam eunt & flent, mittentes ſemina ſua: *Ubi* (inquit) *ſeminant in lacrymis, niſi juxta arborem crucis, ubi fons eſt proximus Salvatoris?* Quibus ſignificat Chriſti patientis contemplationem, fontem eſſe ſanctarum lacrymarum, atque ex ſcatebris vulnerum ejus deduci pios illos rivulos, quibus animæ ſanctæ, juxta crucis arborem, & fluenta Salvatoris reſidentes, ſolantur ardores & dolores ſuos, & fallunt incolatus ſui longa tædia: quemadmodum olim filij Iſraël, ſedentes ſuper flumina Babylonis, & dilectæ Sionis deſiderio ſuſpirantes, deflebant exilij ſui moras, appenſis ad fluviales ſalices, damnatísq; triſti ſilentio, priſtinæ ſuæ lætitiæ inſtrumentis. Cyprianus autem, ſeu autor ſermonis de Cœna Domini, inter ejus opera, cùm illud præmiſiſſet: Panem iſtum Angelorum (hoc eſt, Chriſtum in Euchariſtia) omnium exuperare dulcedinum voluptates: *Vide* (inquit) *quomodo hu qui Chriſti commemorant paſſionem intra ſacra myſteria, quaſi per quosdam canales de interioribus fontibus egrediantur torrentes; & ſuper omnes delicias lacrymis nectareis anima delectetur?* Habes & hîc interiores fontes lacrymarum, immò torrentium, nimirum paſſionis Chriſti commemorationem, ſive meditationem. Siquidem cor Chriſtum amantis, inſtar clibani ſtillatitij, ingeſtis in memoriæ ſinum, ipſis amaris cruciatibus, tanquam floribus herbíſve ſalubribus & odoratis, iiſq; ſubjecto charitatis igne decoctis, ſenſim ſolvitur, & molliter exſudat per oculos, & aquis illis pretioſis interiores æſtus ſuos mitigat pariter & redaccendit.

*Serm: 10.*

Nam ne iſtos fletus amaros aut inſuaves eſſe putes, docet laudatus autor eas lacrymas eſſe nectareas; quòd nempe his lacrymis, nihil cordi dulcius ſit: ut iſtud expertus S. Bonaventura, non ſemel miretur commixtionem illam ineffabilem intimi doloris & ſanctæ dulcedinis, quam ſentit anima in conſideratione Dominicæ paſſionis. Eiq; rei aliquo modo explicandæ, hanc in quodam loco non incongruam adhibet ſimilitudinem: *Sicut aqua* (inquiens) *in vite putrefacta, ſolis calore decocta in vinum convertitur: ſic lachrymæ in perfectè contrito, fervore charitatis decocta, in vinum lætitiæ convertuntur.* Idem denique in alio tractatu rem hanc tribus verbis abſolvens; *Quicunque deſiderat* (inquit) *aquas gratiarum, aquas lacrymarum, ipſas hauriat de fontibus Salvatoris, id eſt de vulneribus JESU Chriſti.* Sic ille.

P.1. Stim. c. 7.

P.3. Stim. c. 1.

De perf. Vit. c. 6.

## §. 2.

### *Dulcedo & pretium lacrymarum, ex Crucifixi contemplatione manantium.*

ATque ut huic argumento aliquantulùm immoremur, ſatis conſtat has ipſas lacrymas, ſive ad ſolatium animæ amantis atque lugentis, valere plurimum; ſive ad divinam in noſtris anguſtijs miſericordiam provocandam. Conſiderat eas S. Paulinus, ut quædam cœleſtium gaudiorum ſemina; dum exhortans nos ad plorandum coram Domino: *Illi flentes* (inquit) *gaudia noſtra ſeminabimus.* Eaſdem jam vidimus ab alio quodam dici nectareas, atque ijs animam ſuper omnes delicias delectari. At enim ne longum faciam, tuum hîc duntaxat, ô Chriſti crucifixi amator, experimentum appello.

Ep:4. ad Sever.

Quàm enim, amabo, dulce eſt, ſive cum Magdalena advolvi & circũfundi cruci, & ſpecioſos Crucifixi pedes calidis lacrymis rigare, reliqua Salvatoris vulnera ijsdem reſpergere, ejusdem ſanguini miſcere oculorum humorem, præ amoris

moris æſtu doloriſq; vehementia copioſè redundantē? ſive cum ipſa Dei Matre, in profunda dolorum filij contemplatione, ſtare juxta crucem, eandémq; humum, quam ille ſuo ſanguine irroret, pio ploratu perfundere, divinúmque illum cruorem (ſi ita fas loqui) lacrymarum imbre diluere. Quàm ſuave, cum tot Crucifixi amatorum lacrymis ſuas miſcere & confundere, perpetuare illos (prout Sanctus appellat Bonaventura) aquæductus, augere rivos, qui de Filij ac Matris luminibus ductâ origine, pérque reliquorum Sanctorum oculos curſu producto, in flumen evadunt, cujus impetus lætificat civitatem Dei. *In Philomela.*

Nimirum cùm eas in corde pij contemplatoris concipiat divina charitas, quæ ſine dulcedine eſſe nequit (*ſoror enim amoris dulcedo*, ut ait S. Auguſtinus) neceſſe eſt & has divinæ charitatis filias, parenti ſimiles, hoc eſt, ſuavitatis plenas eſſe. *Quid enim dulcius lacrymis charitatis?* inquit Bernardus. *Thom. Hibern.* *Serm. 58. in Cant.*

Hîc verò exclamantem audio S. Bonaventuram: *Felices lacrymæ, quas manus Conditoris abſterget!* Beatæ guttæ, quæ (ut Beatus meditatur Macarius) igne charitatis in pretioſas gemmas concreſcentes, ponuntur in conſpectu Dei, in cœleſtibus theſauris aſſervandæ. *Poſuiſti* (ajebat Propheta Deum alloquens) *lacrymas meas in conſpectu tuo.* Et ad Tobiam Raphaël Angelus: *quando orabas cum lachrymis, ego obtuli orationem tuam Domino.* *P. 3. Stim. c. 20.* *Hom. 25.* *Pſ. 55.* *Tob. 12.*

Nam ſicut orationes Sanctorum (ſecundùm quod in Apocalypſi ſcriptum eſt) ſunt inſtar pretioſorum aromatum, quæ in phialis ſeu thuribulis aureis incenſa, & Deo ſuavem odorem inhalantia, imponuntur altari cœleſti, quod eſt ante thronum Dei: ita Sanctorum lacrymæ, quæ vel ex paſſionis Chriſti memoria, vel alio quocunque pio animi ſenſu funduntur, in Dei oculis inſtar ſunt pretioſarum margaritarum, quarum ille decore delectetur, propter- *Apoc. 5. & 8.*

*Hom. 30. in Gen.* ptereáq; velit eas poni in conſpectu ſuo. Unde Chryſoſtomus: *Quidnam oculis illis formoſius, perpetuo lacbrymarum imbre, & quaſi margaritarum decore ornatis?* Et rurſum: *Hom. 22. ad pop:* *Reſpice* (inquit) *lectum Davidis, in quo, tanquam margaritæ, per ſingulas noctes erant congelatæ Prophetæ lacrymæ.* Ex quibus denique ſanctarum lacrymarũ etiam pretium agnoſcis.

Addo: Nihil his efficacius eſſe ad permovendum cor Dei; eáſq; omni voce potentiùs ab eo id omne, quod ad ſalutem noſtram pertineat, impetrare. Niſi enim piæ iſtæ lacrymæ vocis pondus haberent apud Deum; non illi diceret quidam è ſanctis ploratoribus in pſalmo quodam: *Pſal. 38.* *Auribus percipe lacrymas meas.* Clamare ſe cenſet, etiam dum plorat ſilentio. Non vult jam fletus ſuos poni in conſpectu Dei, non oculis tantùm lacrymas ſubijci, ſed etiam percipi divinis auribus, tanquam eloquentem fortémq; vocem afflicti cordis, cui nempe oculi pro lingua ſunt, & lacrymarum pèr genas decurſus, pro clamore valido & efficaci oratione. *Pſal. 6.* Unde alibi exauditum ſe ſentiens: *Exaudivit* (inquit) *vocem fletus mei.* Denique vis noſſe, quàm diſerti ſint oculi piè ad Deum plorantium? *Eccl: 35.* *Nonne lacrymæ viduæ* (inquit Scriptura) *ad maxillam deſcendunt, & exclamatio ejus ſuper deducentem eas? à maxilla enim aſcendunt uſque ad cœlum, & Dominus exauditor non delectabitur in illis.* Vides uti vox lacrymarum, & (ut in ipſo textu præceſſit) *loquela gemitus*, aſcendat uſque ad aurem Dei, & exaudiatur, & facilè, quod petit, impetret?

Quòd ſi hanc vim habet omnis lacryma, quæ de corde dolore compuncto in conſpectu Dei funditur: quam eſſe dicemus earum lacrymarum efficaciam, quas in corde Crucifixum amantis producit intima paſſionum ejus contemplatio? Quarum videlicet, uti materia nobilior, & origo divinior; ita eſſe debeat, & ſenſus dulcior, & fructus certior, & vis apud Deum efficacior. Viſum eſſe Chriſtum

S. Ger-

S. Gertrudi eas lacrymas, quas ipſa in ejus paſſione deploranda funderet, paterâ aureâ quaſi recolligere; ſuprà indicatum eſt, cùm compaſſionis exercitium proponeremus. In B. Lydvinæ vita legimus; cùm illa in quadam deſolatione ſpiritûs, ipſos dies quindecim ad Chriſtum plorando cõſumpſiſſet, atque ad extremum deficientibus lacrymis, humorem quendam ſanguineum ex oculis ſtillaret, ejusmodi guttarum ſanguinearum nonnullas reſervatas, miram edidiſſe odoris fragrantiam: non obſcuro indicio illius, quâ Virginis anima (licet afflicta & deſolata) in ijs fundendis perfunderetur, ſuavitatis. Felices profectò, qui eâ gratiâ donati ſunt. *Domine, da mihi hanc aquam*, doloris, inquam, amoriſq; ſancti lacrymas, quæ cordis mei duritiam reſolvant; ut in recolenda amariſſima paſſione tua, ſenſum aliquem pietatis concipiam. *P. 2. c. 7.*

# CAPUT IX.

## *Transformatio hominis in JESUM Chriſtum crucifixum.*

### §. I.

*Excellentem hominis Chriſtiani perfectionem in ea transformatione conſiſtere.*

SUprema humanæ animæ perfectio atque felicitas, in propinquo ad DEUM acceſſu, per intimam naturæ, indolis, morúmq; divinorum participationem, atque eo ſenſu, in quadam in ipſum primum ſuum principium, finémq; ultimum ac ſummum bonum, transformatione conſiſtit. Et in illa quidem feliciſſima regione æternæ lucis & pacis imperturbabilis, revelatâ facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem (ut Paulus loquitur) transformabimur, *2. Cor. 3.*

Digitized by Google

mur, ipſi divinæ naturæ ſimiles, & quantum homini fas, Deiformes effecti. Ut enim ait dilectus diſcipulus: *Scimus, quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus: quoniam videbimus eum ſicuti eſt.*

1. Joan: 3.

At verò dum in hoc corpore peregrinamur à Domino, dum adhuc tempus eſt tentationis atque conflictûs, & donec affligi, premi, tundi, conculcari, & quotidie mori neceſſum eſt, multum equidem & ſat erit fortaſſe, ſi poſt longam exercitationem, conformes fiamus exemplari, quod nobis in monte, non jam Thaboreo, ſed Calvario, monſtratum eſt; hoc eſt, ſi in Chriſti crucifixi expreſſam imaginem, quadam ſenſuum ac morum ſimilitudine, unitatéve transeamus. Nimirum ab iſta mœſta ac triſtiore Domini noſtri patientis imagine, ad glorioſam illam atque divinam proclivis omnino tranſitus eſt. Cúmq; Chriſti vita, perfecta quædam ſit vitæ divinæ ac morum divinorum expreſſio; conſequens eſt ſanè, ut qui formâ morum & mentis habitu in Chriſtum crucifixum tranſierit, ipſius pariter divinæ vitæ imitator ſit, & (etiam degens inter mortales) imago quædam exiſtat ſummæ divinitatis. Ut enim præclarè Origenes, de Chriſti humana natura ad divinam comparata diſſerens, docet illam, ejúsve operationes *indeclinabiliter eosdem motus ſuſcepiſſe:* quòd illam nimirum aſpiceret, ut divinitatis inſtrumentum intimè conjunctum, & ad omnem divinam motionem maximè pronum ac ſequax; ipſius autem operationes ut quandam divinitatis umbram: quâ ratione etiam quidam alij divinam naturam luci, humanitatem interpoſito corpori, & humanæ naturæ operationes, umbræ comparavêre.

De princip. l. 2. c. 6.

V. S. Greg: 18. mor. c. 12. S. Th. 3. p. q. 32. a. 1. ad 1.

Quemadmodum enim in horologio aliquo ſcioterico, gnomonis umbra ſolaris motus æmula eſt, nec aberrat unquam vel in minimo, ſed indeclinabiliter eosdem in ſe motus ſuſcipit: ita quælibet humanitatis Chriſti operatio, divino-

Digitized by Google

vinorum ſenſuum ac motuum certiſſimus index atque expreſſa repræſentatio eſt, ejúsque vita velut ectypon divinæ vitæ: ut qui in Chriſtum crucifixum, morum ipſius exactâ imitatione ac ſimilitudine transformetur; hoc ipſo eum neceſſe ſit, ſenſim in nobilem divinitatis imaginem (quoad vitæ mortalis conditio patitur) conformari.

Et quanquam in omni Chriſtiano formari Chriſtum oporteat; prout ad Galatas ſcribens ajebat Apoſtolus: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis;* quod etiam aliâ phraſi ſignificat, dum hortatur ut Chriſtum induamus, aut ut imaginem hominis cœleſtis, hoc eſt, Chriſti portemus: hoc tamen, quàmdiu in ipſum Chriſtum non transformamur, non niſi initium quoddam Chriſtianæ perfectionis eſſe videtur. Dici enim poteſt Chriſtus in nobis formatus eſſe, cùm ei per fidem atque amorem adhæremus, ejúsque actiones pro ſe quiſque imitari, eique conformes quadantenus effici ſtudemus; tametſi dum ita in nobis ille formatur, ipſi etiamnum in nobis reſtemus, hoc eſt, adhuc nos ipſos, ſive veteris hominis affectus cupiditatésq;, inviti licet ac reluctantes, ſentiamus; nec proinde liceat nobis cum Apoſtolo dicere: *Vivo autem, jam non ego, &c.* At verò, qui in Crucifixum, uti nunc loquimur, transformatus eſt, is jam in ſe ipſo non vivit amplius, ſed ſolus Chriſtus crucifixus; ita videlicet, ut ſibi ipſi perfectè mortuus, ſe ipſum jam quaſi non ſentiat, ad ſe ipſum in nullo reſpiciat, ſuíque oblitus ſe ipſum in Chriſto crucifixo perdat, non quidem naturæ commutatione, ſed omnimodâ (quoad mortali licet) motuum propenſionúmve cum Chriſto crucifixo unitate. Sicut enim is vulgò dicitur amiſiſſe oculos, qui licet eos adhuc habeat, eorum tamen uſum amiſit: ita quodammodo in Crucifixi corde ſeſe perdit anima, quando ita ſuam eſſentiam retinet, ut jam non ducatur ſuis motibus & propenſionibus, ſed ſolo agitur ſpiritu

*Gal. 4.*



Digitized by Google

Chriſti crucifixi: uti mox pluribus cum Seraphico Doctore explicabimus.

Atque in hoc jam illa conſiſtit ſuprema & rara, ſed tamen conceſſa non paucis, nec proinde pio ac ſedulo Aſcetæ deſperanda, Chriſtianæ virtutis ac perfectionis conſummatio.

## §. 2.

*Frequenti circa Chriſtum paſſum exercitatione, poſſe ad eam transformationem perveniri.*

HIc igitur fructus cum primis excellens efflorеſcit deniq; ex ea, quam non immeritò tantopere commendamus, crebrâ & aſſiduâ circa Domini noſtri paſſionem exercitatione: quod nunc jam pluribus declarabimus, & aliquâ ſeu autoritate, ſeu ratione ſtabiliemus.

*Primò* enim S. Bonaventura parte 1. Stimuli cap: 4. de hac ipſa exercitatione agens, inter varios fines, quos ſpectare debeat pius Exercitator, ait quinto loco contemplandam eſſe paſſionem Chriſti, ad cordium noſtrorum reſolutionē, & perfectam transmutationem in ipſum. *Quod tunc fit* (ſubdit) *quando homo non ſolùm imitatur, compatitur, admiratur & exultat, ſed etiam totus convertitur in Dominum noſtrum JESUM Chriſtum crucifixum; ita ut exiens ex ſe, & abſtractus ab omnibus, nihil videat aut ſentiat intra ſe ipſum, niſi Chriſtum crucifixum, illuſum, exprobratum pro nobis.* Quibus conſentaneè S. Vincentius: *Oportet* (inquit) *quod convertas te totum & reclines ſuper brachia JESU Chriſti pauperrimi, viliſſimi, & improperati, deſpecti & mortui propter te, uſquequo tu ſis mortuus in omnibus ſentimentis tuis humanis, & JESUS Chriſtus crucifixus vivat in corde tuo, & in tua anima; & totus transformatus & transfiguratus cordialiter ſentias in te, ut nunquam videas, nec ſentias, nec audias, niſi ipſum ſolum ſtantem in cruce, propter te mortuum & ſuſpenſum.*

*De Vit: ſpir: ſub finem.*

At

At parte 2. cap: 8. veluti hanc ipſam transmutationem in ſe expertus, in hunc modum loquitur S. Bonaventura: *Anima mea amore liqueſcit, & extra ſe exit, & in DEUM totam ſe diffundit, proprium locum relinquit, & in DEUM currit, abſorbetur à DEO, & obliviſcitur ſui.* Tum verò: *O amor* (exclamat) *quid tibi tribuam, qui me feciſti divinum? Vivo ego jam non ego, vivit verò in me Chriſtus. Inenarrabilis eſt virtus tua, ô amor! qui lutum in DEUM transfiguras.* Denique parte 3 cap: 2. ex profeſſo inquirens: qualiter poſſit homo mutari in Deum, quámq; id ſit homini glorioſum, utile, delectabile: *Tunc* (inquit) *homo ſe ipſum commutat in DEUM, quando eligit & diligit ſe odiri, & ſolum DEUM diligere; & circa nihil aliud vult affici, niſi ſolùm circa DEUM, ille ſolus in ſuo jacet affectu, & de nihilo curat niſi de ipſo DEO, & totaliter ſitit, quomodo per ſe vel per alios honorificetur Dominus DEUS ſuus. O commutatio deſiderabilis! Nam certè iſte vulnera peccatorum in Chriſti vulnera commutavit, & mentis fœtiditatem in Dei bonitatem, ſuam nequitiam in Dei clementiam, amaritudinem cordis in dulcedinem Creatoris. Nam totus eſt in DEUM, vel DEI, & nihil niſi DEUM requirit. Cor ſuum plenum eſt ipſo DEO, ſe exuit, & DEUM induit:* & quæ ſequuntur. Quæ quidem pluſcula, eò tamen referre viſum eſt; quòd hinc appareat, etiam in hac vita mortali poſſe hominem quodammodo in Deum tranſire & commutari; atque ad id, hanc ipſam, qua de agimus, in Chriſtum crucifixum transfigurationem, viam pandere atq; munire.

*Secundò:* Igitur ex mente S. Bonaventuræ, atque (ut arbitror) ex propria etiam ipſius experientia, poteſt quis ſedulâ atque aſſiduâ paſſionum Chriſti meditatione, paulatim in ipſum Chriſtum crucifixum transformari, & (quod etiam externâ ſpecie S. Franciſco Aſſiſinati contigit) ſenſuum affectuúmve conformatione, vivam illius imaginem repræſentare. Hinc enim etiam idem S. Doctor alibi Virginem

ginem Chriſto devotam ad id adhortans, ſimúlq; viam ac rationem quâ id conſequi poſſit, oſtendens: *Accede ergo & tu* (inquit) *pedibus affectionum tuarum ad JESVM vulneratum, ad JESVM ſpinis coronatum, ad JESVM patibulo crucis affixum; & cum B. Thoma Apoſtolo, non ſolùm intuere in manibus ejus fixuras clavorum; non mitte manum in latus ejus, ſed totaliter per oſtium lateris ejus ingredere uſq; ad cor ipſum JESV, ibiq; ardentiſſimo amore Crucifixi in Chriſtum transformata, lanceâ præcordialis dilectionis transfixa, gladio intimæ compaſſionis transverberata, nihil aliud quæras, nihil aliud deſideres, in nullo alio velis conſolari, quàm ut Chriſto tu poſſis commori in cruce. Et tunc cum Apoſtolo exclames, dicens: Chriſto confixa ſum cruci. Vivo ego jam non ego, &c.* Sic ille.

*De perf. vita c. 6.*

*Tertiò:* Et ſanè ſi Stoicæ Philoſophiæ præceptis, ad mores conformandos, totúmq; hominem commutandum, ea vis inerat (quantum ſibi quidem experiri videbatur Seneca) ut is auſus ſit ad Lucilium ſuum ſcribere: *Intelligo, Lucili, non emendari me tantùm, ſed transfigurari;* quòd videlicet aſſiduo ſtudio contentionéq; virtutis, eam in ſe perſentiſceret intimorum ſenſuum affectionúmq; mutationem, ut in alium hominem quodammodo tranſiſſe videretur: multò id magis efficiet Philoſophia Crucifixi, & in uſum moréſq; noſtros, cum divino illius auxilio transfuſa diſciplina; ut depoſito veteri homine, in novum hominem, hoc eſt, in ipſum Chriſtum crucifixum, transfiguremur ac transformemur; non externâ, inquam, figurâ duntaxat eum repræſentantes, per quandam cum viro dolorum, in rerum externarum nuditate, & malorum extrinſecus advenientium perpeſſione, ſimilitudinē; ſed ipſâ quoque interiore formâ, hoc eſt, animâ & ſpiritu, per cogitationum, ſenſuum, deſideriorum, omniúmq; animi motuum conſenſionem, in ipſum tranſeuntes. Veluti de ſe teſtantem audimus, non jam è Stoicorum porticu, ſed è tertio cœlo lapſū Philo-

*Epiſt. 6.*

Philoſophum, nihil tamen ſcientem inter nos, niſi JESUM, & hunc crucifixum. Nam dum ille ſcribens ad Galatas ſeſe ait Chriſto concrucifixum; quid aliud ſonat, niſi ſe tranſiſſe in perfectam quandam Chriſti crucifixi imaginem? Et dum jam non ſeſe, ſed ſolum Chriſtum in ſe vivere; quid niſi in Chriſtum ſeſe transformatum teſtatur? *Gal: 2.*

*Quartò:* Ad hanc porrò (ut ita appellem) Chriſtiformitatem, diuturnâ exercitatione, atque diſtinctâ virtutum ejus in moribus noſtris atque actibus expreſſione, poſſe denique perveniri; Sanctus quoque indicat Ambroſius; qui cùm illa à nobis alibi memorata dixiſſet: Chriſtum ſcilicet velut ſignaculum portandum in fronte, in corde, in brachio, & ita ſingulis quodammodo membris noſtris imprimendum, tum illa ſubdit huc pertinentia: *Luceat ergo imago ejus in confeſſione, luceat in dilectione, luceat in operibus & factis; ut ſi fieri poteſt* (inquit) *tota ejus ſpecies exprimatur in nobis.* Quemadmodum enim, cùm quis picturâ aut ſtatuariâ arte Chriſti crucifixi ſimulachrum exprimere inſtituit, poſt rudem univerſi operis in tabula aut marmore adumbrationem deſignationémve, deſcendit deinde ad partes ſingulas, & hanc primùm, tum iſtam, mox aliam conformando, explendo, expoliendo, perfectam denique Crucifixi reddit imaginem, & (quod dici ſolet) numeris omnibus abſolutam: Ita qui Dominicæ imitationis ac repræſentationis ſtudio, identidem in Chriſtum crucifixum, velut Chriſtianæ ac perfectæ vitæ formam & exemplar aſpicit, & modò illius inter adverſa atque acerba patientiam incredibilem, modò paupertatis, doloris, contemptus ſitim ingentem, in ſe transfundere atque exprimere ſatagit; pòſt autem, exactiſſimam ejus uſq; ad mortem obedientiam, & ſummam humanæ voluntatis cum paterna ac divina conſenſionem, demum ardorem immenſæ charitatis, atque illud, ſive gloriæ divinæ, ſive ſalutis animarum ſtudium inſatiabile, *L. de Iſaac. c. 8.*

in

in ſeſe effingit ac repræſentat imitando; poſtquam in his ſingulis, veluti totidem viri dolorum membris myſticis, conformandis atque elaborandis pluſculum temporis operæq; poſuerit, ita ad extremum in ſemetipſo immutari, & quaſi reformari poterit, ut feliciſſimâ metamorphoſi in Crucifixi transformetur imaginem, & quidam quaſi Chriſtus appareat: juxta quod dicere non dubitavit Origenes: *Quisquis perfectus eſt, & vivit in eo Chriſtus, de eo dicitur MARIÆ: Ecce filius tuus Chriſtus.*

*Præf. in Joan.*

*Poſtremò:* Huc accedit denique; quòd ipſe Chriſtus, qui, uti inſinuabamus, ſignaculo ſive ſigillo ſeſe comparat in Canticis, nihil magis expetere videatur, quàm ut ſe totum nobis imprimat; tantúmq; expectet, ut (quod in nobis eſt) materiam nos aptam atque facilem præbeamus, & ſibi nos ritè configurare volenti, deſiderio atque amore obſecundemus.

## §. 3.

### *Amore præſertim eam transformationem perfici.*

AD extremum addimus; eam vim eſſe ardentis amoris, & præſertim ſancti atque divini, ut amantem transformet in amatum; & (uti modò cum Bonaventura de divino amore dicebamus) etiam lutum in DEUM transfiguret. Nam, ut universè pronunciat S. Dionyſius: *Amor extaticus eſt*, & amantem extra ſe rapit, & in amantem transfert; non affectu duntaxat, ſive dilecti deſiderio, ſed etiam, quoad fieri poteſt, aſſimilatione quadam indolis, & tanquam immutatione ac transfiguratione naturæ. Quapropter & ipſe Dei Unigenitus, quâdam ſui erga nos immenſi amoris ecſtaſi, extra ſe quaſi egrediens, nobis ſimilis per omnia factus eſt, non naturâ tantùm noſtrâ ſusceptâ, ſed noſtris etiam in ſe translatis miſerijs ac doloribus; adeóq; non unâ duntaxat, ſed variâ ſui transformatione, aut transfiguratione. Primùm

*De div. nom. c. 4.*

mùm enim, cùm in forma Dei eſſet, carnem noſtram aſſumens, in utero quodammodo transfiguratus eſt: non formam Dei ſeu figuram ſubſtantiæ ejus amittens (quo ſenſu negat Auguſtinus, in illa ineffabili humanitatis noſtræ ſuſceptione, Verbum transfiguratum in hominem) neq; rurſus tantùm externam hominis figuram, aut imaginem, ſeu idolum aſſumens: quo modo dixit Tertullianus, Angelos apparentes hominibus, ſeſe in carnem transfiguràſſe: ſed verâ naturâ noſtræ humanitatis in ſe ſuſceptâ, novam jam formam atque figuram humanis obtutibus objiciens. In quem ſenſum ait Apoſtolus: *Qui cùm in forma DEI eſſet, ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu* (græcè, *ſchemate ſeu figurâ*) *inventus ut homo.*

*Heb. 1.*
*L. 83. qq. q. 73.*
*l. de carne Chriſti, c. 6.*
*Philip: 2.*

At neque hac ſui abjectione, & tantâ ſuæ Majeſtatis tanquam deformatione contentus, poſtmodum in paſſione ſua, etiam ab illa humana ſpecie velut transfiguratus apparuit; ut jam non hominis, ſed vermis habitum præferret, atq; humanam etiam formam quodammodo abſconderet, ſicut ſcriptum eſt: *Et quaſi abſconditus vultus ejus, & deſpectus; unde nec reputavimus eum.* *Iſai. 53.*

Ut illud proinde, quod Aurelius Prudentius, de Deo limum noſtrum tractante atque formante, ut illum transfiguraret in hominem; hoc de ipſa Dei Sapientia, de hoc limo noſtro (ut loqui amat S. Auguſtinus) humilem ſibi domum ædificante, uſurpare libeat, & exclamare: *Tantus amor terræ*, tanta adverſus hoc lutum, divinæ charitatis inclinatio ac propenſio fuit. *Apotheo.*

Ergo qui amoris ardoriſq; ſui incitatione, per omnia nobis ſimilis effici dignatus eſt; viciſſim exoptat, ut nos quoque amoris impulſu, eúmq; propiùs imitandi deſiderio, in ipſius primùm humilitatem abjectionémve, & inde in gloriam ac majeſtatem, tranſeamus. Ut enim concors eſt

San-

Digitized by Google

Sanctorum Patrum ſententia; idcirco ille homo factus eſt, ut nos Deos faceret, & luti noſtri ignobilitatem, in ſuæ claritatem divinitatis transfiguraret.

In hoc igitur nobis exercendus eſt animus, eò omnis noſtra circa Chriſtum paſſum occupatio convertenda: ſuſpirandúmq; cum S. Auguſtino, ad ſui in DEUM transformationem ardentibus votis anhelante, atque dicente: *Totum cor meum flamma tui amoris accendat; nihil in me relinquatur mei, nec quo reſpiciam ad me ipſum, ſed totus in te æſtuem, totus ardeam, totus diligam te, tanquam inflammatus abs te.* Eodémq; ſpecialiter facit quædam S. Bonaventuræ devotiſſima (ut ipſe appellat) ad Chriſtum oratio; quam juvat ad uſum, & præſentis capitis clauſulam, totidem verbis apponere: *Domine JESU Chriſte, cor meum tuis vulneribus ſaucia, & tuo ſanguine inebria mentem meam; ut quocunque me vertam, ſemper te videam crucifixum; quidquid aſpexero, in tuo ſanguine mihi appareat rubricatum: ut ſic totus in te tendens, nihil præter te valeam invenire, nihil niſi tua vulnera valeam intueri. Hæc mihi conſolatio, tecum, mi Domine, vulnerari; hæc intima mihi ſit afflictio, ſub te aliquid non meditari. Non quieſcat cor meum, bone JESV, donec inveniat te centrum ſuum. Ibi cubet, ibi ſuum terminet appetitum. Amen.*

*In pſ. 137.*

*P. 1. Stim. c. 2.*

# CAPVT X.

## *Felix ac placidus exceſſus è vita, inter brachia Salvatoris.*

### §. I.

*Nonnulla ejuſce rei cauſæ.*

MVltis tum vetuſti tum recentis ævi exemplis compertum eſt; his qui vitam ſuam paſſioni ac morti Chriſti com-

commentandæ addixerint, non felicem modò atque ſecuram, ſed cum dulci etiam pietatis ſenſu, & tanquam in ſinu atque oſculo Domini, mortem obtingere. Cujus rei cauſæ, tametſi complures in promptu ſint, non niſi pauculæ & breviter attingentur in præſenti, quòd pleraque huc ſpectantia alibi à nobis præcepta ſint, ſive parte 2. cùm rationem ſeſe ad bonam mortem exercendi præſcriberemus, ſive parte 5. cùm de Chriſti in cruce morientis imitatione. Hæc igitur eſto iſtius fructûs ratio.

*Prima:* Quòd in paſſione ac morte Chriſti verſanda diligens ſtudium, optima ſit animi ad mortem piè ſuavitérque obeundam comparatio: dum nimirum longâ atque ſedulâ exercitatione, vel ad pedes Chriſti crucifixi futuræ morti præluditur, vel ejus exemplo atque reſpectu libenter mori condiſcitur, vel de letali ipſius agonia ſolatium ac robur humanæ imbecillitati quæritur, viréſq; ac robur in tempus ſupremum colliguntur, vel denique futuri dolores noſtri conſociantur ipſius doloribus, & mors noſtra ejus morte ſanctiſſimâ quodammodo munitur & obvolvitur. Pro quibus relegi poſſunt, quæ à nobis dicta ſunt locis citatis.

*Secunda:* Quòd uſu & tanquam naturâ, ac proprio inſuper Dei munere, comparatum ſit, ut profectò malè mori non poſſit, qui totâ ſpe ſuâ in Chriſto crucifixo collocatâ, inter ejus brachia, & ſub umbra alarum ejus perpetuò vixerit; ſed potiùs in ejus ſacris vulneribus, in quibus libenter amantérq; commorari conſueverit, in illa præſertim ultimâ neceſſitate, fidum ac dulce perfugium inveniat; nec denique poſſit à Salvatoris amantiſſimi complexu moriens divelli, cui tanto ſtudio atque amore vivens, tantáq; adhuc perſeverantiâ, inhæſerit.

*Tertia:* Poſtremò, quòd dulcis Redemptor, fidelibus ſuis & ſanctæ ſuæ crucis amicis, cum morte & totâ æternitate decertantibus, viciſſim præſto eſſe ſoleat, ſive manifeſtus

 & aſpe-

Digitized by Google

& aſpectabilis, ſive occultus atque inviſus; eos in tempore ſolando, tuendo, animando, vires opportunas ſanctámq; fiduciam, ac ſpem certam ſalutis ſuggerendo. Proindéque inter utilitates, quas ipſe Chriſtus revelaſſe fertur eum conſequi, qui ſincerè recolendæ paſsionis ſuæ ſtudioſus ſit, & quas parte 1. ex Abbate Bloſio retulimus, non poſtrema ſanè eſt, quæ poſtremo loco refertur: *Quòd in morte illi adverſus hoſtes aſſiſtet, & de vita æterna ipſum faciet certum atque ſecurum.*

*In dict: Patrum c. 21.*

Quamobrem meritò hic liceat illud Regij vatis uſurpare: *Beatus qui intelligit* (ſive *cogitat*, ut vertit S. Hieronymus) *ſuper egenum & pauperem*, hoc eſt, *ſuper Chriſtum*, ut expreſsè S. Auguſtinus cum SS. Hieronymo & Ambroſio: quia *in die mala* (die, inquam, mortis ac judicij) *liberabit eum Dominus.* Perinde atque ſi, mutuò quodam æquitatis jure, his qui Chriſto Domino in ea extrema egeſtate, & mortiferis ſuæ paſſionis angoribus, meditatione ſedulâ piáque compaſſione quodammodo præſto fuerint, ipſe quoq; Salvator in eorum ſuprema neceſſitate nuſquam ſe deeſſe patiatur, conſtanter aſsiſtens, juvans, ſublevans, quoad ſummo ereptos diſcrimine, in ſpe ac via certæ ſalutis conſtituat: atque ita fiat, quod in eodem Pſalmo ſubditur: *Dominus opem ferat illi ſuper lectum doloris ejus: univerſum ſtratum ejus verſaſti in infirmitate ejus.* Quem equidem verſum crebrò ſub mortem pronunciaſſe invenio S. Elzearium, perpetuum illum plagæ lateris Chriſti habitatorem: qui etiam dum ad agonem ultimum ungeretur, atque is verſiculus recitaretur: *Per ſanctam crucem & paſſionem tuam, libera eum Domine;* demonſtrare volens, quâ præſertim re eo in articulo niteretur ac fideret, precationem illam tertiò repetivit, ad extremum addens: *Hæc eſt ſpes mea, in hac volo mori.*

*Pſal. 40.*

*Vit. cap. 33.*

Sed placet hoc loco ad antedictorum confirmationem, noſtrúmq; ſolatium, nonnulla alia ſubjungere amatorum Chri-

Chriſti, intra ejus vulnera feliciter expirantium, & tanquam in ipſius ſinu ſuaviter obdormientium exempla.

## §. 2.

### *Specialia quædam, feliciter intra Crucifixi vulnera expirantium, exempla.*

S. Edmundus, ab ipſa pœnè infantia tener ac fortis amator Jesu crucifixi, cùm morte inſtante ad extremam luctam inunctus eſſet, Crucifixi complexus effigiem, finem nullum faciebat, ſacras illius plagas diſſuaviandi, eáſque dulcibus lacrymis reſpergendi: potiſsimùm autem amabile vulnus divini lateris identidem reſpiciens, oréq; eidem applicito, neſcio quem cœleſtem ſuccum ex illo exſugens: *Haurietis nunc*, ajebat, *aquas de fontibus Salvatoris:* neque multò pòſt eo in complexu placidè obdormivit. *Vit. c. 31.*

Nec abſimile fatum Romæ obtigit cuidam virgini annorum ſedecim, Joannæ nomine: quæ (uti refertur in vita Venerabilis P. Camilli de Lellis, Religionis Clericorum infirmis miniſtrantium Fundatoris) ſub mortem pari in Jesum affectu continenter tenebat os applicitum dulciſsimo lateri Crucifixi, modulatè in hunc modum concinens: *JESU, JESU, accipe cor meum, nec unquam mihi redde.* Quod cygnæum melos hac denique clauſulâ concludens: *Per brachia rogo te, quæ tetendiſti in cruce, peccata mihi remitte;* in his ipſis verbis intra Chriſti vulnera felicem animam exhalavit. Defunctæ vertici impoſita corona florea, & corpori roſarum calyces plures injecti; qui ut primùm Virginis caſtiſsimum corpus attigêre, continuò aperiri cæperunt, & mox ſe in roſas pulcherrimas explicuere; manifeſto indicio, ſive illibatæ illius caſtimoniæ; ſive gloriæ, quâ felix anima jam in Sponſi ſui Paradiſo frueretur, inter cœli flores ævum agitans, roſiſq; immarceſcibilibus, quas de Crucifixi ſpinis legiſſet, coronata. *L. 3. c. 5.*

Ccccc 2 Cujus

Digitized by Google

Cujus Virginis ſuprema illa precatiuncula, in mentem revocat ſimiles voces, quibus præclara illa heroina Maria Stuarta Scotiæ Regina, ſub mortem Chriſtum crucifixum (cujus ſimulachrum ad extremum uſq; manu tenuit) amanter compellabat, dicens: *Sicut pro me extendiſti brachia tua in cruce, ita nunc extende brachia miſericordiæ tuæ.* Atque, ut id obiter ſuggeram; his conſimiles ſententias ad uſum annotare & colligere expediet: cujusmodi nonnullæ ſumi poterunt ex Bloſio, tum alibi, tum nominatim in canone vitæ ſpiritualis, cap: 38. ubi ita de Chriſto inter cætera: *Beata ſua brachia in cruce expandit, ut me peccatorem ſuſcipiat atque complectatur: ego inter illa vivere & mori deſidero.* Eodémq; facit & illa ejusdem endologia ex S. Gertrude deſumpta: *Dulcis JESV, in hora exitûs mei benedic anima mea, & mortem meam involve vitali morte tuâ, quæ eſt chariſſimum fœdus, firmiſſimúmq; pactum reconciliationis meæ.* Neque prætermittenda erit efficax illa precatio, quam cap. 12. ex S. Gregorio referemus.

*Prec. adm: pys. endol. 22.*

B. Joannis, ejus qui à DEO cognominatus eſt, hæc fuiſſe fertur feliciſſima mortis ratio. Nam cùm ſibi nunc jam inſtare ſentiret exceſſum è vita, agente fervore ſpiritûs è lecto ſeſe proripuit, & humi abjectus in genua, ac Crucifixi complexus effigiem, cùm ſine voce paulùm hæſiſſet, mox in iſtas voces erumpens: *JESV, JESV in manus tuas commendo ſpiritum meum.* cum dicto ſpiritum emiſit. Quo etiam ſitu perſtitit corpus exanime, dum à funeris curatoribus, in eam formã, quæ ſepulturæ magis apta eſſet, componeretur. Et lectu digna eſt huic aſſimilis hiſtoria, quæ in vita S. Thomæ de Villanova refertur, de quodam Ordinis S. Auguſtini religioſo Laico: cui nocte ante Crucifixum oranti ſolebat cella collucere atque illuſtrari, fulgore de ipſis Crucifixi plagis promicante; quíq; moribundus ſimiliter è lecto proſiliens, ante ſibi dilectam Crucifixi effigiem provolutus genibus, expiravit.

*Vit. c. 20.*

*L. 1. c. 12.*

Accen-

Accenſendus his venit P. Joannes Cardim è Societ: noſtra, qui Anno Domini 1615. ſanctitatis opinione clarus, Bracharæ obijt in Luſitania; & cujus vita typis edita extat. Is etenim ſub mortem, cùm nonnullam ſibi injectam divini judicij formidinem, paſſionis Chriſti memoriâ repuliſſet: *Veruntàmen* (inquiens) miſericors eſt, *& cruciatuum meâ causâ ſuſceptorum recordabitur*; ac ſubinde ſibi petijſſet à Rectore concedi, humi abjectum & nudum emori, ac mortuum in fimetum abijci ad ſepulturam: demum admoto ſibi ad oſculum Cruci Servatoris Cruci affixi ſigno, ſuaviter expiravit. *Mirum autem* (ſubdit autor vitæ) *& prodigio par præſentibus viſum eſt: quòd ſupremùm divina vulnera ſuavianti, ipſum Chriſti Domini ſignum, refixis manibus ac pedibus ita ſe illi ultro injecit, ut famulum amplecti ſuum, ejúſq; colligere velle inter poſtremos anhelitus animam videretur. Admirabilitatem intendit, quòd immotis in ipſa cruce clavieulis, vix ægrè quiverit ijs rurſum inſeri ſacrum ſimulacrum.* Sic ibi. Videri poterunt denique, quæ ſcribit Petrus Venerabilis, de matre ſua Raingarda, ſub mortem Crucifixi pedes allambente, & vultui ſuo totâ virtute eum imprimente, eundémque ſuaviter & magnâ fiduciâ alloquente. *Vit. c. 15.* *L. 4. ep. 17.*

Hic verò quid agimus, mi Lector? Quid, niſi ſimilis fati deſiderio, mali prophetæ bonum illud votum uſurpamus: *Moriatur anima mea morte juſtorum, & fiant noviſſima mea horum ſimilia!* *Num: 23.*

# CAPUT XI.

## *Magna in judicio ſecuritas & exultatio.*

### §. I.

***Rationes propria ejus ſecuritatis inquiruntur.***

Hoc

HOc quoque operæ ſuæ pretium, laboriſq; fructum non pœnitendum, colligent Chriſti crucifixi amatores; quòd in illo tremendo judicio, ubi plena terroris ſunt omnia, & (quod ait S. Hieronymus) *potentiſſimi quondam reges nudo latere palpitabunt; ipſi præ cæteris ſecuri ac læti futuri ſint, & magna cum exultatione venientem Judicem excepturi.* Nam quamvis verum ſit, electos omnes iſtic ſummâ animi pace fruituros, quòd ſecuri ſuæ felicitatis ſatis intelligent, nihil eſſe ſibi de ſententiæ exitu dubitandum; neſcio quid tamen hoc in genere videtur privatim reſervari devotis Crucifixi clientibus; ut propterea B. Angelæ ſignificârit aliquando Salvator: ſe ſpecialiter benedicturum ijs in judicio, qui paſſioni ſuæ piè recolendæ imitandæq; addicti fuerint; id de eis dicens inter cætera: *O vos verè beati, ac omnino benedicti! Et, ſi in cruce pro meis crucifixoribus & tortoribus cum lacrymis & fletu rogavi Patrem meum, & excuſavi dicens: Pater dimitte illis, quia neſciunt quid faciunt: quid pro vobis, qui mihi compaſſi, devoti, & conſocij fuiſtis, dicturus ſum, cùm non in cruce, ſed in gloria feliciſſimus orbem judicabo?* Ex quibus ait B. Angela ſe ſummo quodam ſolatio affectam, & in Filij Dei paſſionem incredibili ſtudio incenſam.

Ep:1. ad Heliod.

Vit. c. 34.

Verùm quæ illæ ſint futuræ dotes ſingulares, propriáve privilegia, quibus illi præſtabunt cæteris, non facilè videtur etiam conjecturâ conſequi. Quanquam ſi quorundam opinionem illam recipimus, quâ fertur; in die judicij electos omnes, crucis ſigno impreſſo frontibus, inſignes ac cóſpicuos futuros; non abſurdè fortaſſis hoc loco id inprimis dicturi ſumus, ſingulares crucis amatores, ſpeciali quâdam characteris illius expreſſione, aut certo ſplendore diſcriminandos, eámq; notam, velut honoris ac gloriæ prærogativam habituros.

Rurſum: ſi vel ſolam rei naturam attendimus; neq; hoc

hoc negaverimus, opinor; amabilem illum & inſolitum, ſeu triumphantis crucis Dominicæ (quam etiamnum ſqualentem & horridam, tanto tamen amore complexi ſint) ſeu præſertim Salvatoris dilectiſsimi (quem jam in carne ſua & oculis ſuis conſpecturi ſunt) ejúsq; vulnerum glorioſorum conſpectum, devotis illis JESU crucifixi amatoribus, argumentum peculiare lætitiæ, inſolitæq; exultationis materiam eſſe præbiturum. Quod nunc indicatum, extremo hujus partis capite paulò pluribus exequemur.

Quare velut hæc ipſa quæ diximus, inimicis crucis Chriſti ſpeciali terrori, horrori, cruciamento futura ſunt; cùm videlicet illis Redemptor, ex rutila & fulgurante nube, pro eorum ſalute ſuſcepta vulnera demonſtrabit, & (ut addit Martyr Hippolytus) etiam caput ſpinis coronatum oſtendet; iiſq; amarè exprobrabit protervam ſuam vecordiam, & adverſus tanta benefacta ingratiſsimum animum, his propemodum Beati Auguſtini verbis: *Ecce homo, quem crucifixiſtis: ecce DEVM & hominem, in quem credere noluiſtis. Videtis vulnera quæ inflixiſtis: agnoſcitis latus, quod pupugiſtis; quoniam & per vos, & propter vos apertum eſt, nec tamen intrare voluiſtis.* Quæ etiam pluribus alio quodam loco idem S. Doctor proſequitur, ubi hæc inter cætera: *Flagellis caſus, vepribus coronatus, affixus cruci, vulnere perfoſſus, ut tu eripereris morti, animam in tormentis dimiſi. En clavorum veſtigia, quibus affixus pependi. En perfoſſum vulneribus latus. Suſcepi dolores tuos, ut tibi gloriam darem. Suſcepi mortem tuam, ut in æternum viveres. Cur quod pro te pertuli, perdidiſti? Cur ingrate, redemptionis tuæ munera renuiſti?* &c.

*De conſum. mundi.*

*L. 1. de ſymb. c. 8.*

*Serm: 67. de temp.*

Ita hic futurum è diverſo dicimus; ut qui Crucifixum ſingulariter dilexerint, quíq; in ipſius apertum latus per intimam quandam contemplationem intraverint, in eóque ſedem ſanctæ quietis, atque perpetuum in vita domicilium

dele-

Digitized by Google

delegerint; his ſeſe Salvator in die illo noviſſimo, vel eo nomine benevolentiſſimum exhibeat, blandéq; oſtentet amabilia ſua vulnera, & tanquam ad ea invitet, velut illis propriè ad immortales delicias, atque perenne oblectamentum reſervata. Ut huc ſpeciatim referre liceat illa ejusdem S. Auguſtini verba, ſermone quodam de Aſcenſione Domini: *Sic veniet* (utique Chriſtus ad judicium) *clavorum vulnera illaſa demonſtrans, & foraminum cruenta monilia. Vobis filijs Sponſi cùm coronam cœleſtis exhibebit Imperij, crucis vulnera non mutabit, quia ſignum Filij hominis fulgebit.*

*Serm. 179. de temp:*

## §. 2.

### *De eo, quod à S. Martyre Hippolyto ſcriptum eſt: Chriſtum in judicio caput ſpinis coronatum oſtenſurum.*

At enim priusquam porrò pergamus; dubitabit fortaſſe quiſpiam, quid verbis à nobis laudatis ſibi velit S. Hippolytus, dum Redemptorem noſtrum in judicio, non ſolùm manuum pedúmve, aut ſacri lateris vulnera (uti Patres alij) ſed inſuper caput ſpinis coronatum, aſſerit demonſtraturũ. Neque enim, credo, id hac mente duntaxat ab eo dictum ſentiemus; quòd oſtenſurus ſit caput illud, quod in paſſione ſpinis coronatum fuerit, nullo ejus rei tunc exiſtente veſtigio. Id enim præterquam quòd nullam haberet vim ſpecialem ad permovendos percellendóſve inſpectantium animos; plus quiddam exigere videtur ipſa ſermonis proprietas, & illa crucis aliorúmve vulnerum, quæ Chriſtus tunc pariter exhibiturus dicitur, analogia.

An ergo dicemus Chriſtum Judicem revera cum corona ſpinea conſpiciendum; ſive, eâ ipsâ, quâ olim fuerit coronatus (quam, uti & crucem, è ſuis ſegmentis & quaſi cineribus excitatam, formæ ſuæ priſtinæ reſtituturus ſit) ſive quâ aliâ ad primæ illius ſimilitudinem, quacunque tandem

dem ex materia, in uſum præſentem conformata. An verò (quò magis fertur animus) id potiùs voluiſſe dicemus B. Hippolytum; quòd velut Chriſtus, ex Scripturæ & Patrum certo ſenſu, aliorum vulnerum magis ſpectabilium cicatrices in carne ſua retenturus eſt, eáq; ratione dicitur in judicio manus pedésq; confoſſos clavis, & latus lanceâ perfoſſum, velut ad oculum demonſtraturus: ita etiam dicatur caput ſpinis coronatum oſtenſurus, ob retentas in eo ſpinarum notas atque fixuras; quibus, etſi minorum vulnerum, non tamen obſcuris cicatricibus, in modum cujusdam purpurei diadematis, frontem præcinctus, atque inſignitus appareat? Quo nimirum modo in ſuperioribus diximus, Chriſtum ipſum quibusdam ſponſis ſuis, quas utique ſerti ſui ſpinei volebat eſſe participes, iſtiusmodi cruentis notis frontem ac caput, in coronæ modum impreſſiſſe.

Sanè in celebri diſputatione à S. Gregentio Archi-Epiſcopo Tephrenſi, olim habita cum Herbano Judæo, refertur tunc Chriſtus apparuiſſe ab oriente (ſpeciem videlicet olim ad judicium venturi referens) purpureâ nube circumamictus, in cujus capite (inquit Hiſtoria) ſplendor fulgens & diadema pulchritudinis inæſtimabilis, & radijs velut corona ſpinea. Ex qua apparitione in primis ducitur conjectura non improbabilis: Chriſtum ſimiliter ad judicium non purpuratum, aut aurato fulgentem diademate; (quod jam olim negabat S. Martinus) ſed cum aliqua radioſæ coronæ ſpecie, eſſe venturum. Rurſum, neq; illud videri poſſe incongruens; ſi eos cœleſtes radios, quibus ea corona formanda ſit, dicamus forſitan ex illis divinæ frontis cicatricibus (quæ ſi reſerventur, uti cætera carnis Chriſti vulnera, quidam lucis fontes futuræ ſint) in orbem undique proceſſuros, & (ſi ita voles) ſic in ſe invicem incurſuros & implectendos, ut & formam quandam coronæ ſpineæ repræſentent, & ipſi divino vertici non exiguum ſplendorem hone-

Dddd d ſta-

ſtatémq; concilient. Quò etiam facit, quod ſcriptum reliquit S. Tereſia, ſibi quadam vice apparuiſſe Chriſtum, cum corona ſplendoris eximij, ijs in locis, in quibus illum ſpinæ vulneraverant. Verùm hactenus dicta magis confirmat, quod denique legi in vita S. Franciſcæ Romanæ: huic ſcilicet in raptu quodam ad complectendos Crucifixi pedes admiſſæ, inter cætera manifeſtatum divinitùs; plagas etiam à ſpinis ac flagellis diviniſſimo Chriſti corpori inflictas, in extremo judicio, omnium oculis obijciendas. Et ſanè quod ad cicatrices à flagellis relictas attinet, expreſsè docet Theophilus Raynaudus, eas reſervandas in Chriſti corpore: quemadmodum etiam communior eſt SS. Patrum atque Doctorum ſententia, ſuppliciorum notas in SS. Martyrum glorioſis corporibus generatim eſſe conſpiciendas.

*Addit. ad vitam ſuã.* *J. Urſin. l. 3. vit. c. 6.* *De ſtigmat. ſect. 1. c. 16.*

Verùm hæc obiter, ex occaſione verborum S. Martyris Hippolyti, & per piam duntaxat conjecturam (quæ fortè nonnullis non videbitur improbabilis) abſque præjudicio dicta ſunto. Quanquam eam nunc quidem idcirco magis amaverim, quòd ipſam animadverto, viro erudito è Societate noſtra Petro Thyræo, etiam ante nos placuiſſe. Quippe qui tractatu de Chriſti apparitione judiciaria, Hippolyti Martyris eadem illa verba pertractans, cùm de ipſa corona ſpinea in Judicis vertice conſpicienda opinationem, neque approbandam neque damnandam ſibi cenſeret, hæc ita ſubijcit ad ſenſum noſtrum: *Indicia tamen coronæ caput Dominicum dabit; quamvis non talia, qualia pectus, manus, pedes vulnerum in cruce acceptorum.* Sic ille.

*cap. 1. §. 130.*

Ad extremum obſervo, ex S. Thomæ ſententia, veniente Domino ad judiciũ, non ſolùm crucem, ſed alia etiam paſſionis indicia, & nominatim coronam ſpineam ex mente Doctoris Seraphici, aliáq; ejusmodi demonſtranda.

*Opuſc. 2. c. 244.* *P. 1. Stim. c. 2.*

§. 2.

## §. 3.

### *Crucis inimicorum, & Crucifixi amatorum in judicio diſcrimen.*

Hic verò jam paucis obſervare delectat; quod eo articulo futurum ſit, inter inimicos & amatores Crucifixi rerum diſcrimen, quanta animi motuū, affectionúmve differentia. Illi ad aſpectum venientis crucis Dominicæ, horrifico pavore concutientur, atque ab inviſo ſibi ſigno, ſuóq; (ut loquitur S. Auguſtinus) accuſatore, ſi quà poſſint, avertent oculos, non ſuſtinentes terrificum, qui inde promicabit fulgorem. Hi ad ejusdem ſibi dilectæ, jámq; glorioſè ac blandè fulgentis crucis intuitum, exilient gaudio ſcilicet, & tanquam ad notum vexillum congregabuntur, atque ad ejus felicia oſcula, & pridem optatos aſpirabunt amplexus. Illi plangent: hi levabunt capita. Illi ad adventum atque conſpectum irati Judicis, cujus etiam ipſo in vultu, tanquam deſcriptam legent ſcelerum ſuorum imaginem, terrore, pavore, furore, deſperatione replebuntur, horrendúmq; in modum rugient, aſpicientes eum quem confixerunt. Hi venientem cum gloria Patrem, Sponſum, amatorem ſuum, ſumma cum voluptate ſuſcipient, neque reformidabunt Judicem, quem experientur Salvatorem. Illi denique (ut expreſſum habes in Joannis Apocalypſi) abſcondent ſe in ſpeluncis, & in petris montium; & dicent montibus & petris: *Cadite ſuper nos, & abſcondite nos à facie ſedentis ſuper thronum, & ab ira Agni.* Quanquam fruſtra id quidem: quoniam ira Dei comprehendet eos, & circumfuſus divinæ Juſtitiæ ſatelles, ignis involvet. Hi dulces latebras & tutum perfugium invenient in foraminibus Petræ, in ipſo corde Salvatoris; & ad illa nota diverſoria confugientes (ſi qua vel umbra timoris eſſet) tempeſtatem illam iræ Dei declinabunt, quaſi illis dicatur illud de Can-

*ſerm. 130. de temp.*

*Matth: 24. Luc: 21.*

*Zach: 12. Joan. 19.*

*Apoc: 6.*

Iſai 26. rico Iſaiæ: *Populus meus, intra in cubicula tua* (in familiaria videlicet ipſius Judicis vulnera) *claude oſtia tua ſuper te, abſcondere modicum ad momentum, donec pertranſeat indignatio.* Illi glorioſos crucis clientes, quos ipſi in vita deſpexerint & oppreſſerint, & quorum vitam, ut ait Scriptura, Sap. 5. æſtimaverint inſaniam, plenos gloriâ inter filios Dei conſpicientes, *turbabuntur timore horribili*, & præ dira rabie atque invidentia ululabunt, & in ſemet ipſos furore converſo, carnes ſuas commanducabunt. Hi in partem cœleſtis conſeſſus & judiciariæ poteſtatis admiſſi, de inimicis ſuis divinam approbabunt ſententiam, & (velut in quodam Pſal 57. pſalmo dicitur) *manus ſuas lavabunt in ſanguine peccatoris.* Poſtremò (quæ ſumma & extrema eſt infelicitas) qui crucem Domini, jugum inquam ſuave & onus leve, olim adeò averſati fuerint, & vel ipſam vocem mortificationis cane pejus & angue oderint, horrendâ Crucifixi Judicis & efficaci voce conſtricti, mittentur in tenebras exteriores, ubi inter igniū immortalium abyſſos, ac vortices flammarum ineluctabiles, fumique urentis caliginoſa volumina, cruce configentur æternâ. Qui verò crucem & Crucifixum amaverint, ejusq; amore ſe ipſos oderint, & in omnibus abnegaverint, amantiſſimo ipſius Regis atque Judicis invitatu, præeuntem crucem læti ſequentur, cum Amore ſuo Crucifixo æternùm in cœlis regnaturi, & pro gutta fellis, quam hic cum Chriſto guſtaverint, torrente potandi indeficientis voluptatis. O ſecuritatem, beatitatem, regnum, gaudia! ô vitam quibusvis tormentis, & vel mille mortibus, redimendam?

Porrò quæ hoc capite, de ſpecialibus amatorum crucis in judicio prærogativis, præeunte B. Angela decuimus, & de Generali præſertim expoſuimus, etiam de Particulari (ut vocant) accipienda ſunt: quanquam earum prærogativarum, in privato illo judicio, etiam magis ſit nobis incomperta ratio.

CA-

# CAPUT XII.

## *Purgatorii pœnarum immunitas, aut maturior liberatio.*

VIdeamus modò, num quid ſubſidij ſolatiiq; animabus ijs, quæ Chriſto crucifixo impenſiùs in vita devotæ fuerint, in Purgatorio appromittere poſſimus.

Henricus Suſo, vir (ut Bloſius ait) ſanctiſſimus Deóq; chariſſimus, in Dialogo æternæ Sapientiæ, ipſam Sapientiam, ſeu DEI Filium, ita introducit loquentem. *Ut eadem paſſio mea magis tibi cordi ſit, eiq; plus afficiaris, audi quæ dicturus ſum. Anima quæ ſe multis obſtrinxit peccatis, poterit ipſius paſſionis meæ theſaurum adeò ad ſe adjungere ſibiq; applicare, ut etiamſi vel mille annis punienda ſit in Purgatorij locis, brevi tempore & culpam & pœnam omnem diſſolvat; ita ut abſque Purgatorio libera commigret in cœlum.* Quod ait hoc modo effici poſſe: ſi quis videlicet corde contrito peccatorum ſuorum magnitudinem & multitudinem ſæpè ponderet; tum verò propriæ ſatisfactionis, ad ipſa ſua peccata collatæ, exiguitate ac levitate animadverſâ, illius ſupplendæ gratiâ, ad ipſam recurrat ſatisfactionis Chriſti immenſitatẽ. Etenim, ut ibi ſubijcit divina Sapientia: *Satisfactionis meæ tantum ſibi quisq; applicat, & ad ſe trahit, quantũ ſe mihi compatiendo conformat, & ſuæ ſatisfactionis exiguitatem, in meæ expiationis infinitatem humiliter & obnixè demergit.* Hæc Suſo, & ex eo Bloſius: qui rurſum alibi ex Thaulero ac Lanſpergio, ad eum effectum, quo de agimus, eandem in meritis paſſionis Chriſti humilem fiduciam valdè commendat. Refert inſuper Cæſarius l. 12. miraculorum cap: 51. Religioſum quendam Priori ſuo ſtatim à morte apparuiſſe, valedicentem, eiq; indicantem, ſe rectà in cœlum abſque Purgatorio tendere. Quippe Dominum ſui miſertum: quòd quo-

*Scrin. ſpirit. in fine. cap: 4.*

*Conſol. puſill. c. 34. §. 2. & c. 40. §. 2.*

quoties coram Chriſto crucifixo tranſiret, conſuêſſet piam hanc precatiunculam recitare; quam inter ſeptem de paſſione Domini S. Gregorio attributas, & ad calcem operum ejus poſitas, poſtremo loco in hæc verba referri comperio: *Domine JESU Chriſte, propter illam amaritudinem, quam pro me miſerrimo peccatore ſuſtinuiſti in cruce, maximè in illa hora, quando nobiliſſima anima tua egreſſa eſt de corpore tuo, miſerere animæ meæ in egreſſu ſuo. Amen.*

Valet igitur peculiariter (ſi teſtibus hiſce credimus) ad harum pœnarum, ſive in toto, ſive in parte expiationem, ſincera animi adverſus paſſionem Chriſti devotio. Sive ea vis eſt perfectæ charitatis, quæ ex ejusmodi exercitatione mirificè ſolet exardeſcere; ſive id efficit illa humilis fiducia, quâ quis operibus meritisq; ſuis diffidens, veluti per ſeſe ad tot nominum expunctionem minùs idoneis, ſpem ſuam omnem amanter collocat in plagis & ſanguine, & infinita ſatisfactione Unigeniti, cujus contemplatione Pater æternus, hoc magis benignum & placabilem ſe præbeat; ſive alia quædam eſt ejusce rei arcana, & nobis non ſatis explorata ratio.

Nam, quando ex Eccleſiæ ſenſu, Sanctos Martyres conſtat (quoniam paſſione ac morte ſuâ, Chriſti paſſionem ac mortem ſingulari modo repræſentant) omni culpâ ac pœnâ liberos illico in cœlum tendere: non inanis erit aut incongruens fortaſſe ſuſpicio; ſi quis eos putet, qui toti in eo fuerint, ut eandem paſſionem ac mortem animo condolente convolverent, & quo poſſent ſtudio imitationéq; expreſſam, etiam in carne ſua circumferrent, aliquo ſuppare privilegio donandos, ut ſaltem citiùs ac faciliùs eximantur flammis purgantibus; Chriſto proptereà ſatisfactionem ſuam impenſiùs ijs atque extra ordinem adjungente; aut certè ijsdem juvandis Sanctorum preces & viventium ſuffragia, particulari quadam providentiâ, procurante aut applican-

plicante. Neque enim DEO rationes deſunt, ſervatis etiam communis juſtitiæ Legibus, ijs privatim opitulandi, qui proprio aliquo nomine id promeriti eſſe videantur: quo modo cum S. Anſelmo ſentiunt Theologi non ignobiles; ijs certiùs ſpecialiúsve prodeſſe vivorum ſuffragia, qui dum ipſi in humanis agerent, ſublevandis animabus Purgatorij inveniuntur propenſiùs ſtuduiſſe. *In elucidar. Cajet. t.1. opuſc: tr. 16. q. 5.*

His denique favet, quod tradit Doctor Angelicus: Chriſtum deſcendentem ad inferos, non omnes, qui carcere Purgatorio attinerentur, liberâſſe, ſed eos duntaxat, qui dum adhuc viverent, *per fidem & devotionem ad mortem Chriſti*, id ſpecialiter meruerint. Ex quo veroſimiliter inferri poteſt, ſpecialem animi erga Chriſti mortem ac cruciatus devotionem, ſaltem promptioris è Purgatorij pœnis liberationis, etiamnum titulum congruum eſſe. Quanquam nihil temerè de rebus ejusmodi pronunciandum eſt: nec verò hic locus eſt iſtæc operoſiùs exquirendi. Interim obſervare licebit, propoſitæ à nobis in hoc capite cogitationi, favere etiam Aloyſium ſidereum, ſive R. P. N. Generalem Vincentium Caraffam, Faſciculi Myrrhæ libro 3. conſideratione 19. *3. p. q. 52. a. 8. ad 1.*

# CAPUT XIII.

## *Merces amplior, & gloria ſpecialis in cœlo.*

### §. I.

*Crucifixi & Crucis amatores ſpeciali in cœlis gloriâ donandos.*

CUm à nobis antea demonſtratũ ſit, diligentem in Chriſti cruciatibus commeditandis exercitationem, viam eſſe compendioſam, quâ ad perfectionem vitæ Chriſtianæ, & excellentem gratiam ſanctitatémq; perveniatur; pro-

pronum eſt exinde colligere, ampliſsimam eo ſtudio mercedem ac gloriam comparari: cùm gratia ſit tanquam ſemen gloriæ, & labori in vita ſuſcepto, cœleſtis merces proportione reſpondeat.

Illud tamen coronidis loco adijciamus oportet: eminentiam cœleſtis gloriæ, diſciplinæ crucis ſtudioſis, videri nomine peculiari debitam; nec abſq; aliquo ſingularis gaudij corollario eſſe reddendam. Ut nimirum ij crucis ac paſſionis Chriſti fructum proprio quodam jure participent, qui per veram germanámq; compaſſionem, hoc eſt, non per ſolam animi erga Chriſtum patientem piè affecti condolentiam, verùm etiam per earundem paſſionum experimentum, aut (ut Paulus appellat) *ſocietatem paſſionum illius*, in omni vita morti ejus configurati fuerint, & cum ipſo perpetuò crucifixi. Quid enim, amabo, aliud volunt Salvatoris verba, quibus dilectos diſcipulos ſuos, & in diſcipulis eos omnes, qui pariter laborum ac dolorum ſibi ſocij futuri eſſent, blandè conſolans, ajebat: *Vos eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis. Et ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum, ut edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo.* Quibus verbis cenſent S. Cyrillus Alexandrinus, & Titus Boſtrenſis, non communem Sanctis omnibus gloriam, ſed ſingularem, iiſq; propriam, qui paſſionibus Chriſti conſtanter communicaverint, gloriæ prærogativam promitti: quemadmodum (inquiunt) non omniū eſt, qui de Regis aula ſint, ſed eorum duntaxat, qui primas apud illum obtineant, menſam cum Rege habere communem. Quapropter id ego ſic interpretor in rem noſtram. Solebant Reges, qui peregrina atque longinqua bella ſuſcepiſſent, & feliciter ac glorioſè confeciſſent, principes viros, quos peregrinationis, ac militiæ victoriæq; perpetuos ſocios atque adjutores habuerant, in reliquum tempus familiares & intimos habere, & menſâ ſuâ etiam communicare:

*Philip: 3.*

*Luc: 22.*

care: ut ſicut laborum ac periculorum, ita gloriæ eſſent ac lætitiæ participes. Ad hunc igitur modum Salvator, ijs qui vel morte re ipſâ obitâ (ut de Martyribus dicitur apud Cyprianum) collegæ paſſionum & compares Chriſti fuerint; aut aſſiduâ tormentorum ejus recordatione atque imitatione, laboris ac pugnæ, quâ ille per crucem de mundi principe triumphavit, ſocij ac participes extiterint, ſingularis mercedis nomine, communionem menſæ ſuæ, familiaritatem nimirum præcipuam, atque intimam beatæ vitæ conſuetudinem, appromittit. *De Laude Martyr.*

Hi quippe verè ſunt milites Chriſti (quâ appellatione extat equeſtris Ordo in Luſitania, & olim in Livonia) qui pulcherrimâ virtutis æmulatione, præeuntem ducem, & ipſi cruce ſuâ in humeros ſublatâ, per dura omnia & aſpera quæque ſecuti, eidémq; conſtanter ad mortem uſque adhæreſcentes, id denique meruerunt, ut pace jam partâ, omnibúsq; hoſtibus debellatis, in cœleſtis Sionis arce, veluti milites prætoriani, Imperatori ſuo proximè aſſiſtant, militiæ ſuæ certa ſymbola, & excellentis gradûs ſui ornamenta, geſtantes. Nam ſi etiam in hac mortali vita, quos doloribus ſuis commentandis atque imitandis ſpecialiùs addictos aſpiceret, hos paſſionis ſuæ certâ teſſerâ Redemptor noſter inſignire dignatus eſt, ut quorundam carni, vulnerum ſuorum ſacra ſtigmata imprimeret, aliorum cordi ſuppliciorum ſuorum inſtrumenta & inſignia inſculperet, alijs denique in capite membriſq; alijs, ſuorum item dolorum ſenſum ac communionem impertiret. eoſdem non abſurdè dicemus, etiam in cœleſti beatitudine, ſingulari aliquo gloriæ corollario donandos, atque eo velut charactere, præ alijs inſignes ac conſpicuos futuros: Eſto enim illis propriè non competat corona illa, quam Theologi appellant aureolam; quippe quæ ex eorum ſententia, ſolis Martyribus, Virginibus & Doctoribus debeatur: tamen, ut citato Sancto



Digitized by Google

*1. 2. diſp. 11. ſect. 3.* cto Thoma ait Suarez noſter; non eſt inconveniens, etiam alijs Sanctis, ob cauſas alias dari ſpecialia præmia, quamvis illa tria in hoc genere ſint potiſſima, & ideo ſingulariter numerentur.

Atque his quæ dixi confirmandis, ſubſervit ſimilis S. *l. 3. c. 30. in fine.* Gertrudi à Chriſto inſinuata cogitatio: Perpenderet quantâ familiaritate adhibeatur à Rege, qui ei in omnibus præ alijs maximè aſſimiletur, quantáque commoda, honores, gloriam inde reportet. Sic enim haberet: qui adverſorum patientiâ ipſi Chriſto ſimiliores effecti eſſent, hos præſertim illi charos futuros, & pro toleratis ejus imitatione laboribus, ſpecialibus ſolatijs, & gloriâ in cœlo donandos.

## §. 2.

### *Peculiaris eorundem gaudij cauſæ nonnullæ proponuntur.*

JAm quid de peculiari gaudio dicam, quo præclari crucis & Crucifixi ſectatores, vel eo reſpectu in regno cœleſti cumulandi ſunt; quòd Chriſti amore multa acerba pertulerint in vita, atque adeò præ multis alijs ipſi Crucifixo ſimiliores effecti ſint, ejusq; imaginis propriâ quâdam ratione conformes? Si enim etiam mortali carne circumdati, cùm eos malorum ſenſus premeret, omnibus tamen incedebant lætitijs, quòd digni haberentur quiddam pati pro Chriſti nomine, atque, ex Apoſtoli Jacobi monito, afflictiones *Act. 5. Jac. 1.* eâ gratiâ ſuſceptas, omne gaudium exiſtimabant: quantâ eam ob rem voluptate illos perfundi oporteat, quando jam abſterſâ omni lacrymâ, & luctu doloréq; longè ſubmoto, ſolos percipient dolorum ſuorum fructus ſuaviſſimos, & immenſo clariùs conſpicient, quantæ gloriæ & dignitatis atq; felicitatis ſit, pro Chriſti amore & gloria, omnibus urgeri & conflictari adverſis.

Quò ſpectare poteſt, quod B. Petrus admonet: *Com-* *1. Pet. 4.* *municantes Chriſti paſſionibus gaudete, ut & in revelatione glo-*

Digitized by Google

*gloria ejus gaudeatis exultantes:* Subdens, in opprobrijs pro Chriſti nomine toleratis, ſummam beatitatem atque honorem conſiſtere. Quod illi in cœlo liquidiſſimè pernoſcentes, ita ſcilicet afficiuntur animis, ut ſi qua beatas illas mentes invidentia tangeret rerum noſtrarum, id unum profectò poſſint invidere mortalibus, quòd etiamnum nobis liceat dura ſufferre dilecti noſtri gratiâ, quod illis jam conceſſum non ſit, ipsâ ſtatûs ſui conditione, ab omni malorum noſtrorum contagione ſubductis.

Quis porrò vel etiam cogitatione aſſequatur, quanta quámq; dulcis, ex deſiderato Redemptoris ſui conſpectu, illis obventura ſit lætandi gratulandiq; materia? cùm eum videlicet, quem ut opprobrium hominum, ut virum dolorum & quaſi leproſum, atque attritum propter ſcelera noſtra, aſſiduâ meditatione in vita contemplati fuerant, & jugi dolore atque ploratu defleverant; eundem nunc ut gloriæ Regem in decore ſuo videbunt, formoſum in ſtola humanitatis ſuæ, incredibili gloriâ ac delitijs circumfluentem, & beatiſſimâ florentem immortalitate. Aut cùm amabilia ejus vulnera, quæ inter labores & faſtidia humanæ vitæ, eis fuerant ſolatia dolorum, & piarum curarum diverſoria; nunc in totidem cœleſtes pyropos converſa aſpicient, aut velut præclaros immortalis luminis fontes, ſparſo quaquaverſum fulgore quodā amabili, civitatem Dei lætificantes?

Si enim, ut cum Joanne Thaulero commentatur Lætienſis Abbas, & nos parte 3. indicavimus: *hæc quinq; vulnera beatiſſima, plus pulchritudinis, lætitiæ & claritatis toti cœleſti curiæ conferunt, quàm omnia alia, quæ in vita perenni (exceptâ divinitate) habentur:* vel, ſi ex quorundam Theologorum ſententia, ſacratiſſima Chriſti humanitas, & præſertim ejus beatiſſimæ cicatrices, etiam phyſicâ ratione, futura ſunt divinitatis inſtrumenta ad productionem ejus Luminis, quo beatæ mentes ad Deum clarè conſpiciendum feliciſ-

*Expl. paſſ. c. 19.*

*Recup: t. 1. 1. p. l. 6. c. 19. &c.*

liciſſimè perfunduntur; in quem utique ſenſum accipiunt, quod Apocalypſis 21. dicitur, cœleſtem Jeruſalem claritate Dei illuminari, & lucernam ejus Agnum eſſe, qui, retentis plagarum ſuarum cicatricibus, etiam iſtic ſtet tanquam occiſus; proindéq; eorundem glorioſorum vulnerum, veluti perennium divini luminis ſcaturiginum, conſpectum, ſecundùm divinam eſſentiam, potiſſimum fore beatitudinis argumentum. Si hæc, inquam, ita ſe habeant, quis eos dubitet, in lætitiæ hujus ac felicitatis partem præcipuo jure ac ratione eſſe venturos, qui in vita mortali Jesum crucifixum continuò præ oculis habuerint; atque ſpecialiùs potandos de fontibus Salvatoris, qui in ſacris illis vulneribus, uti probè notis ac familiaribus diverſorijs, conſuerint jucundè aſſiduéq; commorari?

Idq; ante omnia de amantiſſimo Chriſti corde dicendum eſt: ex quo, tanquam è loco voluptatis egreditur præſertim ille fons vitæ, & lætitiæ fluvius omnem irrigans Paradiſum cœleſtem. Qui enim etiam in his tenebris ærumniſque poſiti, cùm perfoſſum Domini latus ac vulneratum cor ejus ſanctâ meditatione ſubintrarent, in eo (ut alibi diximus) cœlum ac Paradiſum inveniebant, hoc eſt, ſedem atq; officinam ineffabilium & inæſtimabilium deliciarum: quid tunc reperturos & experturos eſſe credimus, cùm abſoluti vinculis hujus mortalitatis, libero volatu in arcanum illud divini cordis domicilium ſeſe inferent (veluti viſa eſt S. Ger-*Vita c. 13.*trudis morientis anima rectà involare in ipſum cor dilecti ſui) puris jam atque impermixtis inebriandi voluptatibus, eámq; habituri, non uti antea, temporariam peregrinantium quietem, ſed æternam lætantium habitationem.

Iſta ſanè, animæ olim Crucifixo devotæ, nunc autem modo ineffabili in ipſum Chriſtum glorioſum transfuſæ, ſecreta ac terris incognita gaudia, quæ hiſce figuris allegoriiſve, ad eorum aliquam ſuſpicionem faciendam, adumbra-

bramus, ita ſenſum omnem ac mentem humanam exuperant, ut nec eos arbitrer, qui ijs intimè in cœlo perfundi ſe ſentiunt, ut pro dignitate à nobis intelligantur, dicendo efficere poſſe. Quid ſi tot tantisq; gaudijs & illa addatur non exiguæ voluptatis acceſſio; quam iſtic capient crucis amatores, ex amœniſſimi vitalis ligni, ipſius inquam Dominicæ crucis aſpectu? ſi ea quidem (ut quibusdam placere vidimus) in fine mundi rediviva cœlis inferenda eſt, ibique ævo ſempiterno perennatura? Nam ſub cujus umbra ab æſtu ſæculi reſpirare ac interquieſcere feſſi ſolebant, aut amore languentes dilectum ſuum ſuſpirare, aut denique gemere dulciter, ſeu vitæ mortalis tædio, ſeu deſiderio dilatæ felicitatis; triumphabunt enimverò gaudio, cùm eam quam adhuc mundo contemptam atque abjectam, ut ſponſam chariſsimam adamaverint, ſpectabunt ſplendore circumfuſam inenarrabili, & immortalis decoris ac gloriæ admirabilitate, omnium oculos animósq; ad ſe rapientem.

Sed de his nimirum plura principio diximus, cùm incitamenta proponeremus præſentis exercitij; quæ tametſi ipſo ſuo genere beatis omnibus futura ſunt univerſè communia, ad eos tamen, ut dicebamus, ſingulari quodam modo & cæteris incognito pertinebunt, qui ſeſe in vita Chriſto crucifixo propiùs conformare ſtuduerint, & quorum circa Domini crucem & plagas amabiles, tota fuerit occupata devotio.

§. 3.

*Hujus capitis, totiúsq; tractatus, extrema concluſio.*

HÆc igitur probè intelligentes, & tantam mercedem crucis amatoribus repoſitam ſpe & cogitatione præcipientes, aſſurgamus animo, & cunctis quæ obſtare poſſint ſuperatis atq; contemptis, in Redemptoris noſtri paſſione recolenda atq; imitanda, totâ animi devotione exerceamur. Delectet nos JESUM crucifixum aſſiduè recogitare, eum amare, de ipſo loqui, cum ipſo agere, circa ipſum occupari; & nunc

& nunc his, nunc illis aſſumptis pijs exercitationibus, inſtar apium ſanctarum de vulnere in vulnus tranſeuntes, ex iſtis Paradiſi roſis rorem gratiæ modò ſugere, hauſturos deinde ex ijsdem cœleſte nectar, & ſuccum beatæ immortalitatis. Neque nos iſtæ ſpinæ terreant, quibus in hac rerum conditione eos flores ſuccinctos atq; obſeptos intuemur. Nam, ut jam non dicam, earum aculeos, prout Tertullianus loquitur, *in Dominici capitis tolerantia*, obtuſos admodum atq; refractos eſſe: etiam per ſpinas cœleſtia mella quærenda ſunt; neq; tam rerum ingreſſus aut initia, quàm exitus aut finis ſpectandus. Ut enim B. Paulus ait: *Omnis diſciplina in præſenti quidem videtur non eſſe gaudij, ſed mœroris; poſteà autem fructum pacatiſſimum exercitatis per eam reddet juſtitia.*

*De coron. mil. c. 14.*

*Heb: 12.*

*Thom. Hibern.*

Et quando teſte S. Auguſtino, *ſolus amor eſt qui nomen difficultatis erubeſcit*; amemus Jesum crucifixum, & medullitùs amemus, & omnia prona ac facilia erunt amantibus. Et ſanè mentem & animum & cor ut quid habemus; niſi ut Dominum ac Deum noſtrum, benigniſsimum, amantiſsimum, dulciſsimum, tam atrocia támq; indigna & tanto amore pro nobis paſſum, in hoc exilio tenerè ardentérq; diligamus, eúmq; deinde in vita beata æternæ charitatis brachijs indiſſolubiliter complectamur?

Extremæ deniq; clauſulæ loco exaudiamus mellifluum Bernardum, omnem hanc materiam paucis complexum, & quæcunq; hactenus docuimus, ſuo calculo firmantē, & tanquam ſigillo obſignantem: *Quia ergo ſi compatimur, & conregnabimus; ſit interim meditatio noſtra Chriſtus, & hic crucifixus. Ipſum ponamus ſignaculū ſuper cor, ſignaculum ſuper brachium noſtrum. Ipſum amplectamur brachijs quibuſdam vicariæ dilectionis, ipſum ſequamur ſtudio piæ converſationis.*

*ſerm. 1. de*

F I N I S.

# *Errata ſic corrige.*

Pag. 2. lin: 7. *expugnandas*, Lege *expungendas*.
pag. 3. lin. 13. *deſtinandas*, L. *declinandas*.
pag. 5. lin. 3. *divinitus*, L. *divinitas*.
ibid: lin. 9. *modo*, Lege *medio*.
ibid: lin. 14. *nollem*, L. *nolle*.
pag. 15. lin. 22. *omitto*, L. *omitte*.
pag. 23. lin. 19. *locari*. L. *vocari*.
pag. 24. lin. 22. *Senenſis*. L. *Genuenſis*.
ibid. lin. penult. *ut quæ*, L. *útque*.
pag: 29. lin. 17. *induunt*, L. *induant*.
pag. 35. lin. 10. *animis*, L. *annis*.
pag. 39. lin. antepen. *maxima*, L. *maximè*.
pag. 44. lin. 25. *expertos*, L. *expertes*.
pag. 56. lin. ult. *At idem*. L. *Ad idem*.
pag. 60. lin. 15. *prodigioſum*, L. *prodigiorum*.
pag. 68. lin. 24. *leto*, L. *telo*.
pag. 73. lin. penult. *tantarum*. L. *tantorum*.
pag. 75. lin. 28. *protuliſſet*, L. *pertuliſſet*.
pag. 81. lin. ult. *ſolam*, L. *ſolum*.
pag. 90. lin. 17. *incedit*, L. *inſedit*.
pag. 93. lin. 28. *paſſionis meæ*, adde, *lectioni*.
p. 106. lin. 22. *formando*, L. *formandos*.
pag. 131. lin. 19. *facto*, pro *fato*.
pag. 147. lin. 21. *induc*, L. *indue*.
pag. 154. lin. 31. *claritate*, L. *alacritate*.
pag 158. lin. 19. *eorúmq;*, L. *earúmq;*.
pag. 162. lin. ult. *ipſis*, L. *ipſa*.
pag. 180. lin. 9. *dicebat*, L. *dicebam*.
pag. 204. lin. 21. *ſibi*, L. *tibi*.
pag. 205. lin. 20. *memoranda*, L. *muneranda*.
pag: 210. lin. 2. *illi*, L. *ille*.
pag. 220. lin. 12. *præſatiuncula*, L. *precatiuncula*.
pag 221. lin. ult. *coronæ*, L *corona*.
pag. 227. lin. 25. *oppidè*, L. *oppidò*.
p. 235. lin. 18. *collatio*, L. *collectio*.
p. 242. lin. 24. *Atq; hac*, L. *Atq; hæc*.
pag. 247. lin: 17. *divina prædeſt*: L. *de divina prædeſt:*
pag. 248. lin. 4. *irritus*. L. *initus*.
pag. 249. lin 19. *præſtabis*, L. *repræſentabis*.
pag. 251. lin. 2. *cælorum*, L. *cæleſtem*.
pag. 252 lin. 5. *dilationem*, L. *dilectionem*.
ibid. lin. 28. *ut ille regat*, L *& ille reget*.
pag. 258. lin. 4. in Tit. *colendum*, L. *alendum*.
pag: 260 lin. 21. *videre amans*, L. *videri*.
pag. 261. lin. 29. *formoſæ*, L. *frondoſæ*.
pag. 262. lin: ult: *à S. Bern:* L. *è S. Bern:*
pag. 264. lin. 8. *habeamus*. L. *habemus*.
ibid. lin. 18. *amiſſo*, L. *omiſſo*.
pag. 281. lin. 13. *ſagittam*, L. *ſagittare*.
pag. 287. lin. 26. *metu*, L. *motu*.
pag. 290. lin. 10. *adhita*, L. *adhibita*.
ibid: lin: 11. *cáve*, L. *cámbe*.
pag. 291. lin. 11. *victoria*, L. *victoriæ*.
pag. 293. lin. 24. *unius diei*, L. *unius Dei*.
pag. 295 lin. 3. ( *quod exinde*, *&c.* L. ( *& quod exinde*.
ibid: lin. 3. *ſe per omnia*. L. *ei ſe*.
ibid. lin. 18. *loculus*, L. *lectulus*.
pag. 297. lin. 17. *locum*, L. *lectum*.
pag. 301. lin. 13. *erubeſcis*, L. *requieſcis*.
pag. 304. lin. 8. *& ipſum cor*. L. *ut ipſum*.
pag. 317. lin. 11. *promovenda*, L. *promerenda*.

pag:

ibid. lin. 17. *per viride* , L. *per vitrum viride.*

pag: 319. lin. 27. *aliquos* , L. *aliquas.*

pag: 328. lin. 22. *videt* , L. *ridet.*

ibid. lin. 23. *ipſum* , L. *ipſam.*

pag: 339. lin. 2. *verè* , L. *verò.*

pag. 342. lin. 21. *par* , L. *per.*

pag. 355. lin. 11. *habes* , adde , *anima.*

pag. 370. lin. 2. *eundem* , L. *eandem.*

pag. 381. lin: 24. *ſecuriùs* , L. *ſeveriùs.*

pag. 383. lin. ult. *amoris* , L. *cruoris.*

pag 396. lin. 24. *tandem* , L. *eandem.*

pag. 405. lin. 29. *intermiſſo*, L. *irremiſſo.*

pag. 414. lin. 1. *perſequi* , L. *proſequi.*

pag: 416. lin. 7. *ſi quem.* L. *eo quem.*

pag: 423. lin. 12. *vitam* , L. *vivum.*

pag: 424. lin: 11. *& juſtiſſima*, L. *ut juſtiſſ:*

pag: 428. lin. 6. *Antonio* , L. *Antonino.*

pag. 448. lin. 27. *infeſta* , L. *infecta.*

pag: 451. lin: 14. *acceptum* , L. *acceptam.*

pag. 453. lin. 20. *omittendo*, L. *amittendo.*

pag: 454. lin. 7. *natura* , L. *naturæ.*

pag. 477. lin. 14. *verè* , L. *vero.*

pag. 486. lin. 13. *direptione* , L. *direptionem.*

pag. 489. lin. 4. à fin. *contingentia*, L. *continentia.*

pag. 493. lin. 4. *parum.* L. *purum.*

ibid. lin. 19. *cavendas* , L. *cavendos.*

pag: 510. lin: 20. *abhorrere*, L. *abhorreri.*

pag: 520. lin. 29. *pro Chriſto* , L. *cum Chriſto.*

pag: 525. lin. 1. *flores* , L. *fores.*

pag. 535. lin. 15. *alicujus virtutis* , Lege : *alicujus difficultatis obtentu , Evangelicæ virtutis , &c.*

pag: 546. lin. 20. *ad ejus.* L. *ad eum ejus.*

pag. 549. lin. ult. *& ſemper*, L. *ut ſemper.*

pag. 553. lin. 11. *non utile* , L. *non inutile.*

pag. 564. lin: ult: *intrinſeco* , L. *intrinſecus.*

pag: 567. lin: 18. *diademate*, L. *diademati.*

pag: 568. lin. 24. *dicimus* , L. *diſcimus.*

pag. 570. lin. 27. *ut quàm* , L. *& quàm.*

pag. 577. lin. 19. *ex botro*, L. *eo botro.*

pag: 581. lin. 30. *vitam* , L. *vitem.*

pag: 597. lin. 26. *præſertim*, L. *præſentem.*

pag. 605. lin: 19. *nos* , L. *nam.*

pag: 609. lin penult. *eſt* , L. *eſſe.*

pag. 610. lin. 7. *ubique* , L. *utique.*

pag. 621. lin. antepen. *inferiorem* , L. *infenſiorem.*

pag. 627. lin. 23. *atq; dolore* , adde : *atq; opprobriis , quàm cruciatu atq; dolore.*

pag: 636. lin: 14. *prudentiſſimum* , L. *pudentiſſimum.*

pag. 639. lin. 1. *expugnanda* , L. *expungenda.*

Digitized by Google

Digitized by Google

8-1

Digitized by Google